
De Origine et libris scripturae Vide fo: 195.
De Antechristo fo: 370.

Nota, Bonus quisque dimulum adimunt mali,



John Carter Brown
Library
Brown University

161.

EPITOME

TRIVM TERRAE PARTIVM, ASIAE, AFRICAE ET EVropæ compendiariam locorum deſcriptionem continens, præcipue autem quorum in Actis Lucas, paßim autem Euangeliſtæ & Apoſtoli meminere.

CVM ADDITO IN FINE ELENCHO regionum, urbium, amnium, inſularum, quorum Nouo teſtamento fit mentio, quo expeditius pius Lector quæ uelit, inuenire queat.

PER IOACHIMVM VADIANVM MEDICVM.

TIGVRI apud Chriſtophorum Froſchouerum, An. M. D. XXXIIII.

AD GEOGRAPHIAE CAN-
didatos Ioan. *Keßleri Sangall. Phaletium.*

Quò tendis Peregrine, uel quid erras
Longa ambage diu, moraſq́ perdis?
Quæ terræ loca, fluminum meatus,
Vrbes, qui maris accolæ potentis,
Qua ditis Aſiæ patent receſſus,
Aut qua Marmarici fremunt leones,
Terram frugiferam & uiris potentem,
Quã paſſim memorant ſacri & prophani,
Si uidiſſe iuuat breui libello?
Hoc Compendiolum perambulato,
Hic ſtant Mercurij duces columnæ,
Infeſſo pede, nec labore multo,
Per terras, pelagusq́ fluctuoſum
Te mira VADIANVS arte ducet.

VERE PIO ET ERV- DITO VIRO D. HENRICHO BVL- lingero ampliſsimæ Eccleſiæ Tigurinæ Epiſcopo, Ioachimus Vadianus S.

HAbet hæc noſtra ætas, uir doctiſsime, com pluſculos Euangelij miniſtros, pios quidẽ illos & diligentes uiros, qui immodica quadam, ut mihi uidetur, ſcripturarũ ueneratione adducti, in ea ſunt hæreſi ut exiſtimẽt preſbyteris ad paſcendum gregem Dominicum uocatis, non licere præter ſcripturam uerè ſacram ullam philoſophiæ partem legere aut tractare. Huius enim nihil eſſe quod ad ſalutem noſtram attineat, nec quadrare ut quæ ſunt hominum ſolertia inuenta ad cœleſtẽ illam & à Deo reuelatam philoſophiã adhibeantur: Paſtorem eſſe debere qui eccleſiæ præeſt, non contemplatorem, nec aliud illi ſpectandũ magis quàm ut plurimorum ſalus, doctrina illa, quam Apoſtolus ſanam uocat, quæratur. Eam nec in hominum placitis conſiſtere, neq; ab ulla naturæ parte præſtari, ſed ex unico illo & inexhauſto fonte aquæ uiuæ in uitã æternam ſalientis, qui quidem in ſcripturis prophetarum & apoſtolorum ceu amplo quodã in labro contineatur, haurire oportere. Quam opinionem et Catabaptiſtæ

Actorum 20. Ioan. 21. 1. Pe. 5.

Paſtores

2. Timo. 4. Ad Tim. 1.

Ioan. 4.

de internæ uidelicet uocationis ſufficentia perſuaſi, non ſemel apud nos publicis in congreßibus cum clamore & ſtrepitu ita, ſuo more, tuebantur, ut in totum & linguarum peritiam & eloquentiæ ſtudium ſupploderent atque exibilarent. Illorum autem exiſtimatio, tametſi in ſpeciem non multum aliena eſſe à ueritate uideatur, propter abuſum ſtudiorum & artium quem proximis aliquot ſæculis ſtupor quidam, & ut ſic dicam, publicus hominum ueternus orbi inuexerat: tamen propius intuenti conſtabit, arbitror, errorē eſſe non minus pernitioſum quàm illorum fuit qui negarunt ſacras literas ſine ope philoſophiæ nunquam recte aut doceri aut intelligi poſſe. Ac mihi quidem ſi alterutram in ſententiam eundum pedibus eſſet, tolerabilius uideretur in eam peccare partem, quæ abuſum doctrinarum admitteret, modo interim eſſent qui probe uterentur, quàm probare ſententiam quæ honeſtarum artium ſtudia prorſus tollenda eſſe de eccleſijs arbitratur. Dignum autem foret admiratione, quo nam pacto uenerit uſu, ut quemadmodum ab ipſis eccleſiæ cunabulis ad noſtra uſq; tempora nunquam hæretici defuerunt qui apoſtolicam doctrinam loco mouere, & ſuam ingerere fuerunt auſi, ita ſanè neque ab illo hominum genere uacarit eccleſia, qui in re Chriſtiana ſtudio philoſophiæ & aliarum artium bonarum cognitione uehementer abuterentur.

Dignum

*Dignum inquam admiratione foret, niſi conſtaret non
omnem ſpiritum ex Deo eſſe, ſed ſancto illi omnis ue-
ritatis authori alium in mundo contraponi erroris
authorem & mendacij parentem, qui ab initio in ue-
ritate non ſtetit, cuius non aliud maius ſtudium quàm
ut per ſpeciem quandam recti, ipſo rerum optimarum
abuſu imponat, et ſic callide in errorem incautas men
tes præcipitet, qui ſuam quandam telã in Chriſto ten-
tando orſus, mox & cum ipſis apoſtolis, ut olim cum
Moſe congreſſus, miraculorũ fidem magicis præſtigijs
ſuis ſubuertere conatus eſt, prius quidẽ in Simone Sa-
maritano, deinde in Elyma Cyprio, quorum utriuſq;
ſcriptura meminit, mox paulò quum hac à parte pa-
rum profeciſſet, facile perſuaſit Philoſophiæ ne ad hu
milis doctrinæ famam ſeſe ſubmitteret, ſed criſtis ere-
ctis ſtultitiam crucis haberet contemptui. Quod qui-
dem non apud illos modo eſt aſſecutus, à quibus deriſi
ſunt apoſtoli, id quod Paulus ab Athenienſibus paſſus
eſt, ſed & his perſuaſit, qui cum nomen Chriſto dediſ-
ſent, in conſortium eccleſiæ iam recepti erant. Cæte-
rum elati peritia carnis, quum humiliora & ſimpli-
ciora uiderentur quæ prodidiſſent apoſtoli, quàm ut
in eis acquieſcendũ putarent ingentia quædã, ut ipſis
uidebatur, ſed reuera otioſa, ſuperuacanea, & impia
commenti, maximis erroribus ſunt inuoluti, ut non in-
iuria Septimius Tertullianus uetus author in libro de*

Præſcriptionibus hæreticorum, Philoſophiæ tribuat quod in eccleſia paßim hæreſes extiterint. Valentinus enim Platonicus fuit, et Cerdonis diſcipulus, Martion Stoicus: ſed et Ptolomæus Valentini, & Apelles Martionis diſcipulus, cũ à magiſtris nihil uariarint, de iiſdem fontibus ſuas hauſiſſe fabulas creduntur. Iam & Arrium ſunt qui tradant philoſophicorum dogmatũ abuſu deceptum, quo minus errorem de ſubſtantiæ patris ac filij inæqualitate uitauerit, maluiſſeq; ratiocinando, etiã admonitus, placere ſibi, quàm ex ſimplici ſcripturarum traditione tenere ueritatẽ, ut ex ea ſcintilla (adeò res eſt peſtilens peruicatia) incendiũ natũ ſit Conſtantino Magno imperante, quòd eccleſias & Orientis & Occidentis non uno ſæculo grauißimis odijs, & ceu inteſtino quodam ac planè ciuili bello, alternante, ut fit, principũ fauore, afflixerit, neq; in hoc diſcordiarum finis. Poſt Eunomium negantem ſpiritui ſancto quicquam cum patre & filio eſſe cõmune, Pelagius ille Britto, qui Auguſtino iam ſeni tantũ negotij peperit, itidem è ſuo latibulo emergens, aſſerebat hominem poße, modo uellet, ſine peccato eſſe, et ex ſolis meritis abſq; gratia ſalutem aſſequi. Cuius errorẽ ex Pytagora & principe Stoicorũ Zenone manaſſe, contra Pelagianos ſcribens diuus Hieronymus teſtatur. Hi enim ita hominis conditionẽ laudibus efferũt, tantũq; ei facultatis & dignitatis arrogant, ut propemodum diuino

diuino quodam gradu perfectionis ſint dignati: cum ex aduerſo ſcriptura homini gratia deſtituto, præter peccatum & mortem ac damnationẽ nil reliqui permittat. Sed ut proſequamur inſtitutum, paululum ſub Gregorij primi tempora cum pax in eccleſijs uigeret, & reſpiratio quædam ab incõmodis hæreticorum data feſsis uideretur, nec eſſent qui arcanum illud Trinitatis ſola adoratione comprehenſum tam fœdis errorum maculis aſpergerent: ecce derepente, ne non eſsent hæreſes, ab hoſte illo ueritatis alia eſt ſeminata diſcordia, & ab Epiſcopis de Monarchia, exitiali uidelicet humilitatis peſte, cogitari cœptum. Quæ ſanè ambitio clariſsimas illas Orientis & primæuæ religionis altrices eccleſias cum Romana eccleſia miſerabili clade commiſit, & cum nullus eſſet contentionis finis, poſt ſimultates ultro citroq; nulla (pace omnium dixerim) moderatione exercitas, perpetuò ſchiſmate ſint diſſociatæ: ſed nihilominus interim eſt de regno, de agris, urbibuſq; poſsidendis laboratũ, nec ſine artibus, quas hoc loco dicere nõ attinet. Demũ neſcio qua philoſophia eò deuentũ audaciæ ut homini palàm arrogarentur quæ ſolius Dei ſunt, quodq; Chriſti erat & ſeruatoris et uindicis ſalutis, idipſum operibus clericorum & ſanctorũ meritis è penario Pelagij denuo depromptis attributum fuerit. Quæ omnia quum non infœliciter promouiſſent, & tribus retro plus minus

*ſæculis à magnis quibuſdam, ut tum uidebantur, patro=
nis aſſerta defenſaq; fuiſſent, & in tanta ſecuritate li=
cere uideretur quod liberet, factum eſt ut quod mini=
ſterij erat, in dominatũ et tyrannidem abierit, quodq;
gratiæ fuiſſet gratiſq; iam olim credentibus daretur,
id fermè totum uno impetu ad quæſtum ſeu (ut* Petrus
eam rem uocat) cauponationem conuerſum eſt. Et, *ut
breuiter dicã, ea enata facies eccleſiæ quam uidemus.
Ac mihi quidem hoc in loco nec errata temporum
iſtorum perſequi, nec mores ſtringere animus eſt. Hoc
tantum moniturus eram nullis unquam ſæculis uſque
adeò abuſui patuiſſe honeſtas artes, ac uelut ſocium
fœderatumq; hæreſibus philoſophiæ ſtudium, quàm
proximis quadringẽtis annis Chriſtianis nobis patuit.
Sic enim ſacris eloquijs ſcripturarum peregrina pro=
phanaq;, ne dicam impia, quidam intriuerunt, ſic ſpi=
noſa curioſaq; miſcuerunt ſacroſanctis, ut ſimplici=
bus & communi obrutis malo conſcientijs, non alia
magis de cauſſa quæ humana erant pro diuinis rece=
pta, rurſum quæ diuina non multo pluris eſtimata ſint,
quàm ea ſomnia quæ homines tanta cum authoritate
ceu diuina mortalibus obtruſiſſent.* Parum *autẽ erat
pium aut theologicum quod* Ariſtotelem *non ſapie=
bat.* Atq; *utinam eius uiri, quem ut ſummum in omni
ſcientia* Plinius *laudat, magis frugiferas lucubratiões,
ac non ea tantum, quibus ad perplexas diſputationes,
contentiones,*

cōtentiones, et pugnas ſumus abuſi, recepiſſemus. Abſit aūt ut homo Chriſtianus quicquā per ſe bonū aut cōmodū ideo damnandū eſſe putet, quod ſint aut fuerint qui abuti quàm uti maluerūt. Quæ ſunt enim ſub cœlo aut res aut artes, qbus ingeniū hominis, ut eſt ad errorē natura pronū, abuti non queat? Ipſa ſcriptura tot nominibus ſacra etiamnū ab hæreticis aut inuerecunde cōtemnitur, aut certè pro re nata torquetur, ne non ei doctrinæ quæ defenditur, ſuffragari uideatur. Proinde rectè mihi & piè ſentire uidentur, qui quidē in eo loco ꝓpheticas & apoſtolicas ſcripturas habēt, ut in eis ſemel omnium eorum quæ ad uitam & ſalutē noſtram attinent, traditionē ita perfectam & conſummatam ſtatuunt, ut demere quicquā aut addere uelle confeſſam blaſphemiā dicant. Rurſum, quicquid præter illas ſic aſſeritur ut ſalutis in eo ratio ſtatuatur, idipſum nec credi oportere, nec recipi: quod impoſtura ſit non pietas, dicere ex dei uoluntate eſſe, & deo placere per Chriſtum, quod nec per prophetas deus, nec per apoſtolos filius dei Chriſtus docuit, ſed & impudentiſsime obtrudi ſimplicitati credentium quæ palàm cum ſcripturis pugnant. In qua ſententia, niſi fallor, ſcriptores ſunt omniū eccleſiarū præconijs commendati, præcipue autem Hieronymus & Auguſtinus, qui & lucubrationes ſuas non alia lege uolunt recipi & probari, quàm ſi quæ docent interpretando

à canonicis illis oraculis nuſquã diſſentiant. Sed eoſdem authores, quos iam nunc commemoraui, quũ tot præclaris artibus ornatos tantáq; rerum omniũ peritia & cognitione inſtructos ad illud cœleſtium myſteriorum arcanum, ceu bene lotis manibus acceßiſſe uideamus: profectò bonos pioſq; omnes uel ſolo exemplo admonuere, nihil eſſe reijciendum illarum artiũ cuius uſus honeſtus eſſe queat. Ea re factum, ut cum illis ſentire nequeam, qui ſacratißimã illam profeßionem ceu reginam quandam in ſuo ſolio poſitam ſolitis fraudare ornamentis, ſimulq; omni commeatu ſpoliare contendunt, dum liberalia ſtudia, eamq; philoſophiæ partem, quæ rerum nobis cœlo terráq; inſigniũ, uim, rationem & naturam multorum ſæculorum decurſu, tanta ingeniorum ſolertia perſpectam exploratamq; proponit, ſuo fungi munere, hoc eſt, Dominæ *illi, cui omnia debet, obſecundare & morigerari non permittunt, nec recipiunt quod dicimus in illis perdiſcendis tractandiſq; modum quendam nobis placere, & ſatis eſſe ſi partem aliquam ætatis illis tribuant, ut quædam etiã in tranſcurſu ad meliora feſtinantes perinde atq; è* Nilo *canis (quod dicitur) deguſtent tantũ, qui epiſcopi ſunt futuri.* Fateor *autem me non uidere qua in re ope duntaxat noſtra & conſilio iuuari religio, & ſemita aliqua aperiri pietati queat, ſi nullus eſſe locus debet his doctrinis, quibus uelut aſſeclis ue*

ritatis

ritatis à penitiore rerum creatarum indagatione ad ipſius creatoris ſummā admirationem aſcenditur. At nemo (aiunt) uenit ad me, niſi pater meus traxerit eū. Fatemur, at negamus uel ipſis ſcripturis bene uſurum qui ſpiritu domini nō imbuitur. Ea enim quæ ſunt dei, teſte Paulo, nemo nouit niſi ſpiritus dei. Hic autē (inquiunt) in omnē ueritatem nos ducit. Rectè ſanè. Dabunt igitur nobis, uelint nolint, neminem maiore cum fructu ſtudiorum atq; artium ceu prata perambulaturum, quàm eum ipſum qui dextro domini ſpiritu præditus, inſtar apis reiectis noxijs, ea tantum quæ ſunt mellea decerpit, nec alia legit quàm quorum indicatura, maieſtas, potentia & gloria illius, à quo ſunt condita, orbi exhiberi quàm ampliſsimo præconio poſſit. At hoc ipſum (aiunt) non fecerūt apoſtoli Philoſophia. Sed ijdem nō prohibuere. Paulus philoſophiam damnat, ſed eam duntaxat, quæ quidem ſibi tribuit, detrahit pietati, cuius arroganti fiducia, ſupra diximus, hæreticis impoſitū, ut pleriſq; haud malè proditis abuterentur. Idem apoſtolus priore ad Corinth. 12. cap. inter dona quæ per ſpiritum domini eccleſijs diſtribuuntur, ſapiētiæ et ſcientiæ, præterea ſanationis, & peritiæ linguarum, aliaq; id genus commemorat, quibus nominibus profectò magna pars rerum ad Philoſophiam pertinentiū comprehenditur: quas res eū qui ſyncera in Chriſtū fide eſt, uel ex Gentilium mo-

Ioan. 6.
et pernagas.
1. Corin. 2.
Matth. 15.
Ioa. 16.
Colo. 2.

numẽtis ueſtigare quid uetet? An putamus illuſiſſe no
Roma. 8. bis Paulum, dum aſſerit ijs qui deum diligunt omnia adiumento eſſe ad bonũ? Vt interim non referã quantopere ſit à ueteribus laboratũ, ut oſtenderent multa eſſe in Ethnicorũ libris quæ noſtram religionẽ palàm confirmarent: qua in re multus eſt Lactantius Firmianus, & eius imitator D. Auguſtinus. Iam ut fructum id genus ſtudiorum propius indicemus, non negabunt arbitror de Architecti peritia neminẽ certius & melius iudicare poſſe quàm qui fabricæ quã is eſt architectatus artificium nouit, nec laudare illum aut admirari ullum uerius poſſe, quàm qui artis fecit periculum. Sic arbitror permittent nobis rerum in tota natura inſignium perſcrutationem citra controuerſiã ad hoc inuitare bonas mentes, ut & potentiam & ſapientiam, & maieſtatem conditoris rerum omniũ, hoc magis tenere, admirari, et deamare pergant, quo ſunt propius ueſtigia illa inexhauſtæ plenitudinis aſſecuti. Sunt artes quæ cœleſtium nobis corporum circuitus, quæ interualla, quæ magnitudinem, quæ ortus & occaſus, quæ dierum noctiumq́; præterea temporum & anni partium ſucceßionem ac uicißitudinem commonſtrant. Sunt quæ animantium propè omnium naturas, ut infinita illas experientia deprehendit, explicant. Sunt quæ rerum è ſublimi apparentium, & totum in ~~toto~~ omnium eorum quæ in aere fiunt cauſas exponunt.

ponunt. Poſtremo terra mariq́; (quibus maximè partibus ſpectabilis eſt illa in uſum mortalium prognata rerum opulentia) nihil tam minutum aut exile uiſum antiquitati, quin annotare & literis mandare libuerit, modo aliquis inde fructus cognitionis aut admirationis appareret. Quarum omnium cognitione eum, ut dixi, fructum percipimus, ut & uehementi artificis admiratione capiatur pius animus, ac mox tantarum rerum fontem amplius quærat & uereatur. Præterea facilè ſecum cogitet nec ſemper fuiſſe opus in quo tantum artificium eluceat, nec ex ſe aut fortuitũ eſſe quod tam pulchro & admirabili ordine eſt diſtinctũ. Nam & M. Cicero grauis inprimis author, prodidit ueteres philoſophos naturæ cõtemplatione adductos, eò demũ ſcrutando perueniſſe: ut mentẽ eſſe faterẽtur cui gubernãti parerent omnia: ut ſi quis, inquit, in domum aliquã, aut gymnaſium, aut in forũ uenerit, quũ uideat omniũ rerum rationem, modum, diſciplinam, non poßit ea ſine cauſſa fieri iudicare, ſed eſſe aliquẽ intelligat qui præſit & cui pareatur. Multo magis in tantis motibus, tantisq́; uicißitudinibus, tam multarũ rerum atque tantarum ordinibus ſtatuat neceſſe, ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari. Hæc Cicero. Sed & Chryſippus, eodem authore faſſus eſt ab ipſa ſe natura didiciſſe eſſe deum qui omnia conficiat. Vnde & Maronianum illud deductũ uidetur:

Vir. li. 6. Ae. Principio cœlum ac terras campoſq; liquentes
Lucentemq; globum lunæ, Titaniaq; aſtra,
Spiritus intus alit, totamq; infuſa per artus
Mens agitat molem & magno ſe corpore miſcet.

Ariſtoteles aũt ita cẽſuit, ut ſi qui eſſent qui ſub terra ſemper habitauiſſent, deinde aliquo tempore patefactis terræ faucibus ex illis abditis ſedibus euadere in hæc loca quæ nos incolimus atq; exire potuiſſent, quũ repente terram & maria cœlumq; uidiſſent, nubium magnitudinem, uentorumq; uim cognouiſſent, aſpexiſſentq; ſolem, eiusq; tum magnitudinẽ pulchritudinemq;, tum etiam efficientiam cognouiſſent, quod is diem efficeret toto cœlo luce difuſa (diffuſa.), cum autẽ terras nox occupaſſet, tunc totum cœlum cerneret aſtris diſtinctum et ornatum, lunæq; luminum uarietatẽ, tum creſcentis tum ſeneſcentis, eorumq; omnium ortus et occaſus, atq; in omni æternitate ratos innumerabileſq; curſus: quæ cum uiderent, profecto & eſſe deos, & hæc tanta opera deorum eſſe arbitrarentur. Ea re factum eſt, ut apoſtolus principio epiſtolæ ad Romanos, ſapientes ex Gentibus hac maximè de cauſſa & (Roma. i.) iræ & damnationis reos faciat, quod deus illis ſui cognoſcendi ſemitam apperuit, ipſi uero apprehenſum & cognitum ut deum non glorificauerint, ſed mutata gloria pro uno multos deos fecerint, imaginibus non ſolum mortalis hominis ſimilitudine effictis, uerumetiam

rumetiam uolatiliũ & quadrupedũ & reptiliũ, &c. Quæ res quomodo acciderit ex his libris quos de Natura deorũ M. Cicero ſcriptos reliquit clariſsime deprehenditur. Cæterũ cum Paulus hoc ipſo loco palàm doceat inuiſibilia dei ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, peruideri, & hac uia æternã & potentiam & diuinitatem eius patere: Non erit quod amplius cauſentur aduerſarij, quin liceat, ut ſemper licuit, imò uero & conducibile ſit, & maximè decorũ religioni, honeſtis diſciplinis & ſtudijs liberalibus uacare, qui ad ſcripturarum profeſſores & eccleſiarũ præſides ſint futuri. Cum ita natura comparatũ eſſe uideamus, ut quantum quidem in noſtra induſtria ſitum eſt, ab his rebus quæ ſenſibus noſtris ſunt obuiæ, ad ſublimiora remotioraq́; noſcenda naturali quodã ordine perducamur. Neq; nos offendit, qd' quidã obijciunt, in ueterũ recenſiorũq́; de naturis rerũ placitis permulta uideri quæ partim dubie et incertis cauſsis prodita, partim non ſatis liquido indagata ſint, maioraq́; eſſe quæ captum humanũ fugiant, quàm quæ ad notitiam noſtram peruenerunt: præterea & Peripateticos fateri, frequẽter animum noſtrum in multarum rerum inquiſitione hallucinari, quæ naturæ cauſſas pernoſcenti ſunt manifeſtiſsimæ. At hoc ipſum uel maximè ad architecti illius et conditoris laudem attinet, cui nõ modo acceptum referimus quod cognoſcimus,

uerumetiã tanta uarietate, multitudine, & excellentia rerum uerè mirabiliũ circumſepti, fatemur tamen longè præſtantiora ſublimioráq; eſſe quæ mortalis animus noſter non aſſequitur, quàm quæ maiorum ſolertia & diligentia in lucem ſunt prodita. Hæc nimirum uia eſt, quæ nos in adorationem incomprehenſæ illius maieſtatis allicit. Hæc ingens dei noſtri gloria, quæ noſtros conatus humiliat. Ipſe Paulus in tertiũ raptus cœlum, tradit nos in res cœleſtes ceu per ſpeculũ & ænigma intueri, nec uiſuros de facie ad faciẽ niſi permutatos & indutos melioribus. Sed in re propemodum manifeſta ſum longior quàm aut ferat ratio aut ego inſtituerim. Libuit autem mihi hac de re contra quorundam inſolentiam ceu præfari, ut quoniam tu pro ſingulari tua, qua es à domino donatus eruditione, poſt aliquot Apoſtolorũ Epiſtolas ſumma dexteritate expoſitas, in alterũ librũ euangeliorũ Lucæ, qui Acta apoſtolorũ inſcribitur, Cõmentarios adornares, & ſimul literis tuis ſuauiſsimis efflagitares, ut quæ nuper fratribus meis miniſtris uerbi ꝑ Lucæ hiſtoria illuſtranda, cum eam unà reuoluerimus adiuncta generalium tabularũ orbis demonſtratione, dictaſſem, in Epitomen redacta ad te mitterẽ, quo tuis commodum connexa prodirent in lucem: ego primum omnium iſtorum calumnijs contra irem, qui quod non intelligunt damnant, & ſub prætextu pietatis ipſam uerẽ

pietatem

2. Cor. 12.
1. Cor. 13.

pietatem oppugnant,nec uident hoc ſe maximè quæ=
rere,neque aliud aſſequi, ſi ſuccedat uotis,q̃ ut in er=
tia illa, quæ tot ſæculis Chriſtianũ orbẽ ceu Barbaris
captiuũ miſerrimè afflixit,denuo reuocata,ſolidã pie
tatem tot illuſtribus diſciplinis ueterum exemplo co=
mitatã,funditus euertant & conficiant. De Geogra
phiæ ſeu Coſmographiæ utilitate dictum eſt à nobis
aliâs, & ſatis conſtat hanc Philoſophiæ partem, quũ
paulò diligentius explicatur, ſic affinem eſſe uniuer=
ſæ de rerum natura ueſtigationi, ut fermè quicquid eſt
paßim in orbe illuſtre & memorabile ſecum trahat:
Sed & frequens conſenſus eruditorum tantum huic
facultati tribuit,ut fateatur ſtudioſos nec locorum no=
titiam, nec rerum geſtarum ſeriem rectè poſſe uel in
ſcripturis accipere,qui illius prorſus ſint ignari.Mihi
certè quum iſthæc dictarem duæ res maximè ſpecta=
bantur.Prior quidem, ut quoniam Lucam tam multũ
eſſe in locorũ mentione uiderem,ex hac noſtra ceu ru
dimentaria inſtitutione intelligerent, ne illos quidem
certo ordine aut magno cum fructu teneri memo=
ria poſſe,niſi prius terræ totius forma,ut in partes di=
ſtributa eſt, utq; extra intraq; littora mari alluitur,
perdiſceretur. Nam ut membri à corpore reſecti, ſic
nec partis ullius terrarũ notitiã habere ſeorſim poſ=
ſis, niſi prius de ſitu,facie, & habitu corporis totius
conſtiterit. Deinde, ut ad gentium ac populorum res

geſtas, adeoq; ad omnimodam hiſtoriam noſcendam cohortarer, quòd huius lectione non res modo quæ referuntur dignæ ſint cognitu, uerumetiam ipſa locorum tam crebra mentio ſubinde memoriam exerceat, & ad Tabularum fidem, ut quæque ſuis partibus inſerta adnotataq; ſunt, reuocet. Ante omnia autem admonebam nihil eſſe in hoc doctrinæ genere quod in tam perplexa nominum locorumq; uarietate & multitudine memoriã fidelius iuuaret, quàm uſum tabularum ueterum, maximè autem generalium, quæ ſic nobis urbes, amnes, montes, regiones ob oculos ponunt, ut coram intueri & contemplari res ipſas uideamur. Vale Sangalli, VII. *Kallen. Auguſt. Anno,* M. D. XXXIII.

IOACHIMI VADIANI TRIVM TERRAE partium Epitome.

TERRARVM ET OCEANI unam eſſe rotundam ſuperficiem.

SVperficiem Terræ cum Oceani ſuperficie corpus rotundũ globoſumq; mutuo cõplexu efficere, mathematicis demonſtrationibus conſtat, & teſtatur libro 3. Strabo: præterea cap. 72. ſecũdi Naturalis hiſtoriæ Plinius, palàm innuens nauigantium id curſu deprehendi, ex demerſu uidelicet emerſuq; ſyderũ, prout alia atq; alia maria nauigentur, aut apparentium aut deſidentium. Nauigantibus enim in Auſtrũ ſtellæ meridianæ attolluntur, quoq; propius adpuleris eò ſublimiores fiunt, demiſsis interim & proſpectui ſeſe ſubtrahentibus ſeptentrionibus. Contra uero uſu ueni re his qui noſtro cœlo, hoc eſt eleuato polo & Vrſis conſpicuis nauigant. Quod profectò fieri non poſſet, niſi una ceu pilæ figura, extima terræ mariumq; inſederet rotunditas. Prodiderunt ea de re ex recentiſsimis Georgius Purbachius, & Ioannes Gmundanus Norici, quondam Ioannis de Regio monte clariſsimi Mathematici familiares, quorũ extant de Sphæræ con

ſideratione Commentaria. Sed & Eclypſium obſerua tio dierumq; & noctium uarietas, totaq; illa umbrarum et lucis uiciſsitudo, quã uariata latitudine ſol ambitu ſuo peragit, non aliud magis euincunt, quàm in hunc modum quem diximus, terras undis & undas terris cohærere. Quod ſi quem aut montiũ altitudo, aut uallium profunditas, ceu aduerſa rotunditati, ſuſpenſum tenet, is cogitet ne æſtimari quidẽ iſthæc poſſe quum ingens ille utriuſq; corporis ambitus animo concipitur. Nam ſi uel ex altiſsimis locis proſpicientibus nobis plana uidentur omnia quæ aſſequi uiſu & præhendere circumſpiciendo poſſumus, quæ ipſa tamen in conuexitatẽ inclinant: ita ex planis in alta ſuſpicientibus, alta quidem uidentur, quæ comparatione tamen magnitudinis orbis cũ planis poſſunt conferri: nec magis obſunt rotundæ figuræ in orbe montes, q̃ in iuglande cõmiſſurarũ aſperitas ipſam per ſe nucis rotunditatẽ imminuit. Porrò nucẽ aliquã rotundã ſub aſperã, rotundã dicimus, quoniã animaduerti tantillũ aſperitatis nõ poſsit. Labuntur igitur qui terræ partẽ ex undis ita putãt prominere, ceu mons aliquis è mari prominere uidetur, uelut ſi ſuper diametro hemicyclum aut circuli partem aliquam ducam, ita ut diameter planam aquæ ſuperficiem referat, quemadmodum Lyranus quædam in Geneſim Moſaicam commentus eſt, neſcio quibus figuris aquæ ſuperficiem à terræ planicie

nicie ſecernẽs, quo minus crederemus utriuſq; elementi coitum ſphæricæ figuræ dimenſione abſolui.

DE CARDINIBVS ORBIS.

COeli ſeu orbis quatuor eſſe Cardines dicimus, Ortum, Occaſum, Meridiem & Septentrionem. Hos Pomponius partes, Gellius 2. lib. nũc regiones, nunc limites, alicubi metas, neq; non et partes cum Plinio uocat. Qui quidem æqua partitione in mundi latera diſpoſiti, hoc etiam differunt, quod duo Cardines, uidelicet Septentrio & Meridies, immobiles ſunt et immobilibus punctis axis ſphærici, in quibus totum cœlũ uoluitur, attribuuntur. Duo autem, uidelicet Oriens & Occidens, uariant propter ſolis motum in Signifero circulo per ſigna graduſq; ſignorum uariantẽ. Nunquã enim uno aliquo tẽpore ex eodẽ loco ſigni ſol aut oritur aut occidit, ſed ut dixi, de die in diem uariat. Proinde Gellius lib. 2. triplicẽ ortũ facit, cui triplex occaſus reſpondeat, Aequinoctialem, Solſtitialẽ et Brumalẽ. Aequinoctialẽ ortũ Sol efficit, quũ in ipſo æquinoctij circulo, uicinus'ue, ultro citroq; gradibus ſignorũ uoluitur, id quod Vere & Autumno accidit. Aequinoctiũ enim uernum Arieti, Autumnale Libræ tribuimus. Solſtitialem autem, quem Manilius Aeſtiuum ortum uocat, quum Cancrum ingreditur: in cuius prima parte noſtri lateris Solſtitiũ pera-

gitur: ſed & in iuxta poſitis aut Geminorum aut Cancri partibus, quoniam in illis latitudinis ratio non admodum uariet, nec multum multorum dierum longitudo, Solſtitialem ortũ occaſumq́; fieri dicimus. Brumalem *autẽ ortum, quem &* Hyemalem Higynus *nominat, facit ſol cum ad initium* Capricorni *finitimisq́; gradibus uoluitur.* Brumæ *uocabulo breuiſsimorum dierum tempus intelligimus, quale nobis accidit hybernis menſibus, quibus ex pari cauſſa latitudinis non multum uariatæ, uſu uenit ut multi dies ad hybernum Solſtitiũ pariter breues uideantur.* Meridies Septentrionesq́; *(inquit* Gellius*) ſtatu perpetuo ſtant et manent.* Quatuor Cardines *non ineleganter complexus eſt* Calphurnius *in* Aegloga *quæ* Delus *inſcribitur, his uerſibus:*

Exultet *quæcunq;* Notum *gens ima iacentem*
Erectúmue *colit* Boream, *quæcunq; uel ortu*
Vel *patet occaſu, medióue ſub æthere feruet.*

QVIS SIT AEQVATOR, & cur Tropici dicti Circuli.

CIrculus *maximus qui orbem in duo æqualia diuidit pariter ab utroq; immobili cardine diſtans,* Parallelus Aequator *ſiue* Aequinoctialis *dicitur.* Sol *enim dum in eo eſt æquis ſpacijs diei noctisq́; durationem dirimit terræ uniuerſæ. Fertur autẽ*

in illo

in illo Sol dum in primo eſt arietis tempore ueris, & in Libræ primo gradu Autumni tēpore. Hic circulus omnem Horizontem à quacunq; parte globi ductum, in duo æqualia ſecat & cum diametro eius concidit, duobus autē punctis cardinalibus, quæ diximus, ipſe per ſe Horizon eſt, unde cauſſa ducitur æqualitatis ſub hoc ſolo circulo dierum & noctium in orbe uniuerſo, quum in locis duorum ſignorum prædictis Solis circuitione fatigatur. Et quoniam Signifer circulus ab ipſo ſectus Aequatore, ita ſe obliquat in latera, ut paribus ſpacijs partim in Auſtrū partim in Boreā deflectat, duobusq; in hemicyclis utrinq; ſex ſignorum amplitudine ab Aequinoctiali deuergens, ad eundem redeat, factum eſt ut paralleli ab his punctis Zodiaci quibus latiſsime ab Aequatore abſceſſerit circūducti circuli Tropici appellati ſunt, ἀπὸ τῆς τροπῆς, hoc eſt à conuerſione, quoniam Sol ultra eas partes circuli, ceu ad metam quandam progreſſus, amplius nō abeat, ſed conuerſione facta curſum ſuum ad Aequatorē reflectat. Ea de re Græcis θερινὰι τροπαὶ καὶ χειμερινὰι, hoc eſt, æſtiuæ & hybernæ conuerſiones dicuntur, quæ nos Solſtitia æſtiua hybernaq; dicimus. Circulus qui in Meridiem abſcedit Tropicus Capricorni, qui Borealis eſt et noſtri lateris, Cancri dicitur: in ipſis enim momentis initiorum utriuſque ſigni Solſtitia notantur. Sub his qui habitant umbris carent me

ridianis, dum illis in locis Sol uoluitur: extra ſitis perpetuam umbram hora meridiana gnomon proijcit, et ſemper à Sole auerſam, nobis quidem qui Arctoum latus incolimus in Septentriones, Auſtrinis uero in meridiem: intra uero habitantibus bis in anno umbræ meridianæ abſumuntur, id quod nullis alijs ſiue ſub Tropicis ſiue extra ſitis contingit.

DE ZONIS.

SVnt et Zonæ breuiter referendæ nobis, quas Martianus Capella libro 6. Faſcias uocat, interualla quædam quatuor circulorum, quibus totũ illud inter Polos quicquid eſt latitudinis diſcernitur. Porrò Latitudinẽ uocant Coſmographi dimenſionẽ quæ uergit in latera, ut in Auſtrum Boream'ue: Longitudinẽ uero, quæ ab ortu in occaſum, aut è diuerſo dirigitur. Quæ ratio & in agris decuſſandis potiſsime locũ habet, per cardines & decumanos, hoc eſt, per latũ (ut uocant) et longũ obſeruatione cardinũ. De qua re eſt apud Pliniũ lib. 18. quũ limitis Decumani meminit. Igitur præter circulos Tropicos alij duo circuli latera orbis hinc et inde ſubdiuidunt, quorũ alter Arcticus, alter Antarcticus dicitur, atq; hic quidẽ Auſtrini lateris eſt, ille uero noſtri cœli, in quo Vrſæ extant: unde nomen circulo duntaxat imaginario datum. Credidit autem antiquitas, hac partitione facta, eam eſſe harum regionum naturam, ut quæ intra Tropicos conti-

neren

nerentur propter uehementē æſtum habitari cōmode non poſſent, ideoq; illis exuſtæ Zonæ nomen tribui, quæ uerò extra hanc utrinq; panderentur, temperati cœli & frequentis habitationis eſſent. Vltra has quæ trans Arcticum paralellum in Septentriones, aut illū Antarcticum in Meridiem & Notum paterent, ob immane frigus quo alternatim per remotiſsimā ſolis abſentiam infeſtarentur inhabitabilia eſſe: præterea & Glatialem illic Oceanū eſſe exiſtimauit. Quam rem profecto artifex ille orbis Deus contemplatus, ſic limites terrarum & littora aptauit Oceano, ut ubi habitandæ terræ per cœli inclementiam locus non eſſet, ibi latius pelagus inundaret. Et ſi recte extantium terrarum formam cōtemplamur, deprehendimus eam ab utroq; axe uelut contractis lateribus ſtringi, ab Ortu autem in Occaſum q̃ longiſsime procurrere: cuius rei periculū ex tabularū deſcriptionibus ſtudioſi facient. De Zonis illis clariſsime Maro Georgicorum primo,

Quinq; tenent cœlum Zonæ quarum una choruſco
Semper ſole rubet & torrida ſemper ab igne eſt,
Quam circum extremæ dextraq; leuaq; trahuntur,
Ceruleæ & glacie concretæ atq; imbribus atris,
Has inter mediamq; duæ mortalibus ægris
Munere conceſſæ Diuûm, &c.

Vbi Probus inſignis Grammaticus Zonarum ordinē recte deformari ait, ſi leuam manum cōtra ora noſtra

in meridiem uerſa ponamus, ut ubi pollex eſt ibi Ar-cticam frigidam, ubi index ibi æſtiualem ſeu ſolſtitialem noſtram temperatam, ubi medius digitus ibi torridam æquinoctialem, ubi annularis ibi temperatam alteram, poſtremò ubi auricularis eſt, ibi extimã meridianam, quam Notiam *appellat, intelligamus. Sed de his (ſi quis uelit requirere) abunde multa in* Pompo*nianis* Commentarijs *diximus.*

DE VENTIS ET EO-rum *poſitione.*

PRofuerit *fortaſſe & uentorum meminiſſe hoc loco, quod conſtat* Lucã *in* Actis *cap. 27.* Aphri*ci &* Cori *&* Euroaquilonis *&* Auſtri *facere mentionem, diuerſa quidem ueterum in his enumerandis ſententia: aliqui enim quatuor fecere, à quatuor orbis cardinibus exorientes, in qua ſententia &* Homerus *fuit uatum uetuſtiſsimus,* Eurum Orienti, Zephyrũ Occidenti, Meridiei Notum, *&* Boream Septentrioni *tribuens. Qua nimirum diſtributione contenta eſſe naturæ ratio potuiſſet, niſi aliud immodicæ diligentiæ fuiſſet uiſum. Secuta enim ætas, ut tradit* Plinius, *octo addidit ratione nimis ſubtili & conciſa: quam diſtributionem* Varroni *tribuit* Seneca. Mox *fuerunt qui primo numero duplicato alios quatuor primis adiecerunt, ut ſingulis cœli partibus bini eſſent* Plinio. *Sed*

nos

nos Gelliũ libentius ſequimur, qui Orientis lateri pro triplicis ortus ratione tres uentos, rurſum Occaſui pariter triplici, ſex illis cõtrapoſitos, cardinibus autem, hoc eſt Meridiei et Septentrioni, quia ſtati ſint, ſingulos tantum tribuit: quæ traditio mihi in tanta uarietate in primis clara & explicata uidebatur. Ventus igitur qui ab Oriente uerno ſeu Aequinoctiali uenit Eurus nominatur, alio nomine Apoliotes Græcis dictus, Romani eum Subſolanum uocitant. Porrò is, qui ab Hyberno Oriente ſpirat Vulturnus Romanis dicitur: Quanquã Plinius à Gellio tantillo diſsentiens, Eurum eũ uocari à Græcis autumat. Ipſe autẽ Gellius quoniã inter Notũ & Eurum interſit, εὐρόνοτον mixto ſcilicet nomine, Græcis appellari tradit. Vẽtus qui ab Aeſtiua ſeu Solſtitiali Orientis meta uenit eidem Gellio Latinè Aquilo, Græcè Boreas dicitur. Boream autem, inquit, putant dictum ἀπὸ τῆς βοῆς, id eſt, à boatu, quoniam ſit uiolenti flatus & ſonori. Sed reliqua Gellij uerba lubet adſcribere ex 22. cap. lib. ſecundi, quæ ſic habent, Hi ſunt igitur tres uenti Orientales, Aquilo, Vulturnus, Eurus, quorum medius Eurus eſt, his oppoſiti & contrarij ſunt alij tres occidui: Corus, quẽ ſolent Græci ἀργέστην uocare, is aduerſus Aquilonem flat: item alter Fauonius, qui Græcè uocatur ζέφυρος, is aduerſus Eurum flat: tertius Africus, qui uocatur λίψ, is aduerſus Vulturnũ flat. Eæ duæ regiones cœli

Orientis Occidentiſq; inter ſeſe aduerſæ ſex habere uentos uidentur. Meridies autem, quoniam certo & fixo limite eſt, unum meridionalem uentum habet, is Latinè Auſter, Græcè Νότος nominatur, quoniam eſt nebuloſus atq; humectus. Νοτὶς enim Græcè humor nominatur. Septentriones autem habent ob eandem cauſſam unum, is obiectus directuſq; in Auſtrum Latinè Septentrionarius Græcè ἀπαρκτίας appellatus. Hactenus Gellius. Cum quo ferè conſentit Plinius 49. cap. libri ſecundi, niſi quòd Septentrionem uocat eum, qui à Gellio Septentrionarius dicitur, et Corum quem ille Caurum uocat, ratione nihil diuerſa. Quatuor autem præcipuos uentos eleganter Manilius libro quarto Aſtronomicω̃n his uerſibus cõplexus eſt.

Aſper ab axe ruit Boreas, fugit Eurus ab Ortu.
Auſter amat medium ſolem, Zephyruſq; profundum.

Qui duodecim uentos ſtatuũt cum Varrone hunc ordinem ſequũtur, ut ab ipſo Meridiei cardine flantem Notum ſeu Auſtrum ponant, à latere autem Orientis Euronotum, Occidentis Libanotum illi tribuant. Rurſum ab Arctico cardine uenientem Boream et eundẽ Aparctiam, eiq; laterales, alterũ Occaſum uerſus Traſcæam, alterum ad Orientis latus inclinantem Aquilonem uocant. Ipſi ortui Aequinoctiali Subſolanum tribuunt, qui à latere in Boream uerſo Cæciam (quem Lucas in Actis Euroaquilonem uocaſſe uidetur) ab Au- Acto. 27.
ſtrali

ſtrali uerò Eurum habeat. Contra eum qui ab Occaſu Aequinoctij ſpirat Fauonium dicunt, cui uicinus ſit Libs uentus ab Occaſu Brumali, altero autem à latere Corus: ut in hunc modum à quatuor orbis partibus ue nientes terni quater, duodenarium numerum conſti= tuant. Plinius author eſt uiginti & amplius authores Græcos de uentis prodidiſſe. Ex Latinis potiſſime tra dunt hac de re Seneca libro Naturalium quæſtionum quinto, Plinius & Gellius locis citatis, ad quos Lecto= rem remittimus.

DE TERRAE HABITATAE partitione, deq; Oceano & mari noſtro.

HIs ad hunc modum ex tabulæ generalis deſcri ptione demonſtratis, ad terræ habitatæ par= titionem accedemus. Ac primo quidem mari noſtro, quod Mediterraneū uocamus, ab Herculis co= lumnis uſq; ad Tanais oſtia procurrente, & duobus inclytis amnibus, Tanai uidelicet & Nilo, in tres par tes uniuerſæ terræ continens diuiditur. Tanais ipſe à Septentrionibus in Meridiem decurrens mediam ferè Mœotida ingreditur. Hæc autem à Thaurice Cher= ſoneſi fronte Euxino mari miſcetur. Ex diuerſo Nilus amnis in pelagus quod Aegyptiacum dicitur influit. Quod terrarū à freto Gaditano ad ea flumina inter=

iacet, ab altero latere Africam uocamus, ab altero Europam: ad Nilum ſcilicet Africam, ad Tanaim Europam, ultra quicquid eſt Aſia eſt Pomponio. Cæterum ingens illud pelagus quod ambitu ſuo iam memoratas partes cingit & alluit ceu inſulam quandam complexum, proprie Oceanus dicitur: ex quo terra uelut urgenti cedens locum intra ſe quatuor ampliſsimos ſinus recipit, quanquam nec receſſu nec magnitudine pares. Quorum primus & maximus eſt quem Athlanticum pelagus ab Occaſu fundit per fretum, quod ab inſula Gadibus Gaditanum cognominatur, quem in uniuerſum, ut dixi, Noſtri maris ſeu Mediterranei nomine cenſemus. Secundus à Septentrione ingreſſus lõgo freto, quẽ libro 3. Pomponius deſcribit, Caſpius ſeu Hyrcanus ab gentibus qui adhabitant appellatus eſt. Etiãſi ſunt qui mare illud ita ſuis claudant littoribus ut ſeorſum mare eſſe, & ab Oceano magno terrarum interuallo ſecerni, nec ullo freto inde deriuari tradant. Tertius ſinus Perſicus ab Indico Oceano, & Auſtrino latere fuſus Perſarum terras magna parte alluit, unde & ipſi nomen datum. Quartus Arabicus nominatus ab Eudæmone, id eſt beata illa Arabia, cuius littora longiſsimo receſſu pulſat, Erythreum aliâs et Rubrũ mare à colore quo apparet, dictus. Sunt præterea & alij Oceani ſinus, ſicut Magnus ille in India ultra Gangem, & Gangeticus ipſe, qui Gangem fluuium recipit,

pit. Deinde à Septentrione ſinus inter Hiſpaniæ Galliæq; littora, qui illinc Cantabrico, hinc Aquitanico Oceano penetratur, et Codanus trans Daciam in quo Scandia inſula eſt. Cæterū ad illos collati minus ſunt celebres, nec tam longe terras ingrediuntur.

DE SINIBVS MEDITERRANEI præcipuis: præterea quid Promontorium, Inſula, Peninſula, Iſthmus, Fretum.

HAbet & noſtrum mare ſinus aliquot, quos ordine littorum paucis indicabimus. Primū quidem à Gaditanis anguſtijs aduſq; Zephyrium extimæ Italiæ promontorium menſus eſt lib. 3. Hiſtoriæ Naturalis Plinius. Secundum idem author à Lacinio & ipſo extremæ Italiæ promontorio, ſed in ortum reflexo, ad uſq; Acroceraunia, quæ ſunt Epiri montana, in Adriaticū procurrentia extendit, cuius 11. cap. eiuſdem libri meminit. Tertium ſinum ab Epiro ad Helleſpontū uſq; deflectit, in Præfatione quarti libri. Quartum ac poſtremum his littoribus tribuit, quæ ab Helleſponto ad uſq; Mœoticæ Paludis oſtium ſinuantur, libro quarto cap. 12. Ora Africæ contrapoſita non longe nec ſinuoſe flectitur minorem maioremq; Syrtam admittens, cætera ferè recta, quod & in Aegypti & Syriæ ora uidere eſt. Tantum in intimo angulo quo

mons Amanus Syriam à Cilicia diſterminans pelagus ingreditur, littorum flexu ſinus efficitur, qui ab Iſſo iuxta ſito oppido Iſsicus cognominatur, memorabili loco ob pugnam quondam Alexandri Macedonis & Darij Perſarum regis: cuius Q. Curtius tertio libro meminit. Eſt & ille ſinus notabilis, quem Euxinū pelagus flexu littorum, quà ſupra Colchidem in Tauricam Cherſoneſum procurrunt oræ Ponticæ, diuerſo & contrapoſito efficit, Iſthmo quodā inter Hyrcanū pelagus & Euxinum relicto. Atq; hi quidē quos memorauimus præcipui ſinus noſtri maris exiſtimantur. Sunt alij particulares circū omnia huius littora, qui ſuis locis referuntur. Iam propè notius eſt quàm ut referri debeat Promontorium dici montanum, quod cōſpicua altitudine in mare prominet, quale eſt in extima Italiæ Lacinium aut Zephyrium, in Sicilia Lilybæum, in Aſia Sigæum. Inſulam autem uocari quæ à continenti ſeiuncta undiq; mari alluitur, ut Sardinia, Creta, Cyprus, Corcyra. Inde factum ut domus & ædificia, etiam in urbibus ſeorſum extructa et ſeperata ab alijs Inſulæ dicantur Liuio, Suetonio & Iureconſultis ſæpe. Peninſulam uocamus quaſi penè inſulam, quæ non toto mari ambitur ſed iugo aliquo continenti, id eſt, terræ ſolidæ adnectitur, qualis eſt Achaiæ Peloponeſus. Græci terram hoc modo anguſtam qua mare dirimitur ἴσθμον Iſthmum, Peninſulam autē χερσόνησον

σύνεσον Cherſoneſon, hoc eſt, Inſulam terræ adhærentem uocare ſolent. Sunt porrò celeberrimæ aliquot Cherſoneſi, quarum una eſt Indica illa, quæ Aurea Ptolomæo dicitur, inter Gangeticū ſinum et eum qui Magnus dicitur expanſa. Secunda Septentrionaria, quam Cymbricam ſeu Daticam uocant. Tertia Taurica illa quæ Mœoticam ~~Thracenſem~~ ab Euxino palude dirimit. Quarta in Helleſponto contra Phrygium littus porrecta. Quinta Peloponeſus eſt, quam Strabo Cherſoneſum uocat. Sexta iuxta Rhodum in Caria Gnidū ſuſtinens, in cuius Iſthmo Halycarnaſſus iacet. Sed & in Ionia Peninſulam Pomponius facit, illam quæ Teion & Clazomenas in anguſtijs ſita oppida habebat, quorum meminit libro ſecundo. Et Plinius libro quarto, in Lugdunenſi Gallia, inter eum ſinum in quem Liger influit, & littus contrarium, quicquid inde terrarum contra littus Anglicum excurrit, Peninſulam & ſpectatiorem quidem nominat. Mare autem quod anguſto aliquo meatu terras dirimit Græcis πορθμός, Latinis Fretū dicitur, quale illud eſt quod Siciliam Italiæ eripuit, & Gaditanum fretum quo extima Bethica à Mauritaniæ ora diuiditur.

QVID VRBS, OPPIDVM, Vicus, Pagus, Ciuitas, Metropolis, Colonia, &c.

QVanquam leuiculum uideri poteſt, non erit tamen ab inſtituto noſtro alienum aliquot uoces, quarũ frequens in omni hiſtoria uſus eſt, paucis explicare. Vrbs ut M. Varro lib. 1. linguæ Latinæ tradit, ab orbe et uruo, quæ pars eſt aratri, deducitur. Circũducebãtur enim aratro loca extruendo oppido deſignata, & ut ait Seruius, ſulco muri deſignabãtur. Neq; aliud eſt urbs quàm oppidũ, niſi quòd maiora inſignioraq; urbes dicere ſolemus, ut Roma urbs dicta: et de Carthagine Maro, Vrbs antiqua fuit. Coloniæ quoq; populi Romani in antiquis literis urbes ſcribebãtur, ceu tradit Varro: qui idem ait, Oppida quondam in Latio, Ethruſco ritu condi ſolita, hoc eſt iunctis bubus, tauro, et uacca, interiore aratro qui ſulcum circũagerent: quod faciebãt religionis cauſſa die auſpicato, ut foſſa et muro eſſent munita. Terram unde exculpſerant Foſſam uocabant, et introſum factum murũ, poſtea quod fiebat orbis urbis principiũ, quod poſt murum erat Pomerium dicebatur. Oppidũ aũt ab ope dictũ exiſtimat, nimirũ quod opis cauſſa, foßis muroq; cingatur. Vicus in oppido uia eſt domorum ſeriem cõplexa, eius enim appellatione etiã ædificia cõprehenduntur: nam ut ait Varro, ex domibus conſtat. Habet aũt ſua cognomina, ut Romæ quondam Vicus Africus, Vicus Cyprius, Vicus Sceleratus, quorum cauſſam Varro reddidit. Extra oppida uicus idẽ

eſt

eſt quod pagus, uulgus indoctũ Villã uocat, cũ Villa ſit domus ruri ſeorſum extructa, & ſuo fundo attributa. Vicus aũt multis domibus conſtat nullo muro clauſis. Ciuitas tametſi ꝑ urbe oppidóue frequenter uſurpatur: ut quũ concuſſa terræmotu, aut abſorpta pelago, aut incendio uaſtata ciuitas dicitur, tamen proprie ipſa eſt ciuiũ κοινωνία & ſocietas, moribus legibusq; & inſtitutis gubernata. Nam & hi qui paßim tractu aliquo habitant, iiſdem legibus atq; inſtitutis uſi, Ciuitas dicuntur Cæſari. Porrò donari ciuitate, & ciuitatem dari legimus, quibus ius dignitasq; urbis conceditur, quiq; numero ciuium cenſentur. Et petere ciuitatem, eſt eam cõmunionem & dignitatem ambire, Germani Burgerrecht uocitant, nam uetus horũ nomẽ Burgum eſt, quod eis oppidum ſeu caſtrum ſignificat. Metropolis urbs dicitur, quæ ceu parens alias ex ſe urbes genuit, nam ἀπὸ τῆς μητέρος καὶ πόλεως hæc uox deducitur, Latini Matrices uocant, Auguſtinus ſimpliciter Maiores urbes nominauit: quales fuerunt Athenæ, Lacedæmon, et ipſa ante alias urbs Romana: cuius innumeræ non in Italia ſolum, ſed & in prouinciis Coloniæ extiterũt. Coloniæ enim dicebantur quæ in hunc modum eſſent conditæ & deductæ. Auguſtinus principio decimi de Ciuitate Dei, Hinc (inquit) ciuitates à maioribus ciuitatibus uelut populorum examinibus conditæ, Coloniæ nuncupantur. Romanis nõ

una ratio erat deducendi Colonias, nam & Latinas deducebant, et quas non Latinas ſed Colonias tantum ciuium Romanorum appellabant, authore Liuio. Gellius tradit libro 16. Colonias Romanorum iura inſtitutaq; omnia non ſui arbitrij ſed populi Romani habuiſſe, eaq; re à Municipijs differre. Erant enim Municipia oppida quæ ſuo iure & legibus ſuis utebantur, nec niſi honorario munere cum populo Romano participabant. Ipſi incolæ Municipes dicebantur, qui ciuitatis Romanæ honorem quidē capiebant, ſed negotijs tamē atq; oneribus uacabāt. Apud Pliniū aliasq; legimus Oppida libera, quæ ſunt īmunitate donata: rurſus alia Stipendiaria, quæ annuū ſtipendiū populo Romano ſoluebant. Sed uerba eius ex cap. 1. tertij libri, ubi de Bethica loquitur adſcribamus, Oppida (inquit) oīa numero CLXXV. in his Coloniæ VIII. Municipia VIII. Latio antiquitus donata XXIX. Libertate VI. Fœdere II. Stipēdiaria CXX. Emporium oppidū aut locus negotiatione & mercatu celebris, ἐμπόριον, quale in Germania Norinberga & Franckfurdia, in Gallijs Lugdunum, apud Belgas Antuerpia. Prouincia, authore Donato, à porrò uel procul uincendo dicta: adquiſitæ enim bello ab Italia regiones Prouinciæ dictæ ſunt: & in Prouinciæ formā redigi dicebātur, quū tributorū & uectigaliū inita ratione, aut Proconſuli ex urbe miſſo, aut Prætori ius dicenti

centi

centi parebāt. Quædā enim Proconſulares erāt, quædam Prætoriæ aut Præſidiales, Stipēdiariæ tamen oēs.

HISPANIA.

NVnc ad terras ueniendū, ipſæq; partes ordine cenſendæ: quarum quoniam noſtra eſt Europa, de ea primùm dicemus. Hæc(quæ in Occaſum uergit) extimam habet Hiſpaniam, diuitem terrā & fœcundā, nec minus populoſam: quippe quæ proximis ſæculis ut antea in prouincias ſic etiā in regna diuiſa, hodieq; non uni regi pareat. Clauditur illa tribus à lateribus mari, in fronte quidem quam latiſsimā habet & fermè totā occiduā Athlantico Oceano, & illo quem Occidentalē Ptolomæus nominat. A Septentrionibus Cantabrico, à Cantabris iuxta ſitis populis dicto. Qua meridianam plagā reſpicit Mediterraneū mare habet, recens à Gaditanis anguſtijs immiſsum. Quod quidē toto littorū decurſu, quatenus Hiſpaniā lambit Hiſpanū, præterea & Ibericum & Balearicū nominatur, illi Iberi gens frequens, huic Baleares Inſulæ in ipſo ſitæ nomen dederunt. Ortū uerſus Pyrenæi montes ab Aquitanica & Narbonenſi eam ſeiungūt. Pyrenæi dicti à Pyrene Bebricis filia, uelut lib. 3. Silius Italicus tradit: qui quoniam inſtar Alpiū ſunt, incolas eius recepti ſcriptores Alpinos Hiſpanos dixere, in quibus etiā ueteribus memoratæ ærariæ, argentifodinæ pulcherrimæ, mons ex ſale magnus, quantum

demas tantum adcreſcit. Forma littorum propemodũ triquetra, & ſi totam contempleris Gallijs ceu Iſthmo quodã adhæret, hinc inde terras pelago fatigante, ac uelut perrupturo ni montana obſiſterent. Inde pateſcens Cherſoneſi ſpeciem habet latißime diffuſa. Plinius eam in ulteriorem diuidit & citeriorẽ. Vlterior qua in fretum ſe flectit, Bethicam habet prouinciã fertilißimam, nunc Granadæ regnũ uulgo. Eam Bethis perlabitur amnis nauigabilis, unde terris nomen. Oppida inter innumera Corduba & Hiſpalis, coloniæ quondam Romanæ. Qua media fronte in Oceanum exit Luſitania eſt prouincia, Ana fluuio à Bethica diſcreta, hodie regno Portugalliæ tribuitur. Habet & Tagũ amnem memoratũ ueteribus quòd aurũ trahere creditus ſit. In ea oppidũ antiquum Vlyſippo, quæ uulgo Lyſbona dicitur, celeberrimo emporio, ob merces ab Indiæ atq; Aethiopiæ littoribus aduectas, tota Africa circũnauigata. Quam nauigationẽ tot ſæculis intermiſſam, annis retro plus minus quadraginta, inclytus Rex Ferdinandus Caroli quinti Romani imperatoris maternus auus, poſt expulſos Sarracænos incredibili opũ acceßione inſtaurauit, ſed magno diſpendio Reipub. Venetæ: de qua re alibi referemus. Illos aũt qui primum omniũ hanc in Indiam nauigationẽ à Ferdinando inuentã aſſerũt, palàm refellunt Strabo, Plinius, Pomponius. Citerior longe lateq; patens Tarraconenſis

Tagus amnis fert aurum

raconenſis cognominatur, à Tarracone urbe à Scipio
nibus cõdita: amnem habet Iberum clarũ, Cantabricis
ortũ Iugis, qui primum in ortum ſolis egreſſus tandẽ
alueo in Meridiem flexo mediam Tarraconenſem ri-
gat, inq; Mediterraneũ effluit. Ab hoc Iberi iuxta ſiti
populi, & Iberia Græcis Hiſpania dicta. Vrbes in ea
etiamnũ claræ, Tarracon, Valentia, Cæſarauguſta,
quã uulgus Zaragoſtam uoce corrupta nominat, præ-
terea & Barcino, quæ hodie Barſilona clariſsimum
emporium, & Toletum, unde Plinio Toletani dicti.
Gentes quæ oram habitant Borealem ab Occaſu Gal-
læci, & Celticũ promontorium, Finis terræ uulgo di-
ctũ. Dein Celtici à Celtis, ſi Silio credimus orti. Mox
bellicoſiſsimi Cantabri, Aſtures, Varduli, & in Pyre-
næum inclinantes Vaſcones Plinio. Ea ora plerũq; ſte
rilis, et cœli durioris, nec ſine cauſsa robuſtiorũ gen-
tium, uulgo Piſcaiam uocitant: ſed et pietate & inge-
nijs Hiſpania excelluit. Corduba Oſium illum habuit
Conſtantini Magni tempore Epiſcopum, uirum cla-
rum, & tolerantiſsimũ laboris, qui Niceno cõuentui
interfuit. Præterea Pacianũ Epiſcopũ Barcino, cuius
inter ſcriptores meminit Hieronymus. Famam aũt de
Chriſto uel Apoſtolorũ tẽporibus Hiſpanias tenuiſſe,
ipſe in primis nobis Paulus fidẽ facit, qui in Romanis Roma. 15.
tanto ſe Hiſpaniam inuiſendi deſyderio teneri teſtatus
eſt, uelut operæ facturus pretiũ apud eos qbus Chriſti

nomen et profeßio arriſißet. Ex gentilibus autē præcipue clari Seneca Stoicus Cordubenſis Pauli familiaris, ſi Hieronymo credimus, utrunq; certè Nero occidit. Item M. Fab. Quintilianus, quem Valla non dubitauit lumen Romanæ eloquentiæ dicere. Sed et Valer. Martialis, Lucanus & Silius clari poetæ, Hiſpani fuerunt. Præterea & Pomponius Mela, cuius de Geographia libri extāt. Et ex noſtris Chriſtianis Iuuencus preſbyter qui ſub Conſtantino, & Prudentius qui ſub Theodoſio floruit. Dedit et principes Romano imperio, præcipue Traianū, et cuius iā memini Theodoſiū.

GALLIA.

AMpliſsimum Galliarum tractum, ab Occaſu Pyrenæi Montes ab Hiſpania ſeparant. Ab ortu partim Alpes, quæ ab Hannibalis quondam tranſitu Pœninæ, ab Herculis aūt Graiæ, præterea & Cotiæ dictæ, ſiue ut Tacitus eas uocat à Cotio Regulo Cotianæ: partim Rheni amnis decurſu clauditur. Orā Septentrionis æſtuoſus Oceanus alluit, qui iuxta oſtia Rheni Septētrionalis, inter Rhenū et Sequanā fluuiū Britannicus, dein ad Pyrenæum uſq; Gallicus dicitur: qua in Meridiē procurrit pelago mitiori nempe Mediterraneo terminatur. Proinde ab Auſtro oræ eſt non admodum iniquæ, niſi quòd amplis ſinibus ſemel iterūq; ſeſe incuruat, cum ſit à latere Boreali ob frequentes ſinus & promontoria maxime lacinoſa.

Serius

Serius hæc quàm Hiſpania Romanorū armis paruit, & Fabij Maximi primum ætate petita eſt, quū annis ante Chriſtum natum circiter CXXV. *illam Punica bella, ea maximè parte qua maritima eſt, longe antea imperio ſubieciſſent. Terram eius uniuerſam ueteres quatuor in partes diuiſere. A Rhodano enim & Cœmenijs montibus in meridiem uergens, hinc Varo amne à Nicæa & alpibus, illinc ad Illiberim Pyrenæis, finita, Braccata Gallia dicta eſt, à Braccis ueſtis genere, quo tū ea gens peculiariter utebatur. Mox à Narbone Colonia, Prouincia Narbonēſis dicta, omnium Galliæ regionum fertiliſsima, et ut ait Plinius, nulli prouinciarum poſtferenda, breuiterq; Italia ueriusq; prouincia. Nomen prouinciæ adhuc retinet, & media Rhodano fertiliſsimo amne rigatur. Reliqua Gallia minus fertilis, ſed aëre ſalubriore in totum aliquando Comata dicta eſt, qđ ueteres Galli, perinde atq; Germani comæ nutriendæ ſtudio tenerentur: qua de re eſt apud Tacitum lib.* II. *Hæc pars à Cæſare dictatore primum omnium inuaſa, & toto decennio non ſine magnis cladibus ægre deuicta, tribus clariſsimis amnibus diſtinguitur. A Pyrenæo enim iugo ad uſq; Garumnam fluuium, ſi Plinio, aut certè ad Lygerim, ſi Ptolomæo credimus, Aquitania protenditur. Dein à Lygeri ad Sequanam uſq; amnem, qui Lutetiā Pariſiorum perlabitur, Lugdunenſis appellata. Poſtremo inde la-*

tiſſime patentibus terris ad Rhenũ Belgica Gallia uocata eſt. Quibus limitibus hodieq; ampliſſimũ Galliæ regnum continetur, niſi quod ad Rhenum & Alpes iuſta pars urbium gentiumq; alienæ ditionis exiſtunt. Galliæ autem omnes iam olim non ob opes ſolum & uirtutem bellicam, quibus ſemper præſtiterunt, uerumetiam ob continentiã et diſciplinam, quæ ſummũ apud illos locum habuit, celebres fuerunt. Nam & artium illuſtrium & Græcæ etiam linguæ peritia excelluerũt, matre ut arbitror Maſſilia Græca urbe, quæ in maritima ora Prouinciæ ſita, ad quã quondã diſciplinarũ gratia uel ex ipſa urbe Roma miſſi ſunt q̃ docerentur. Certè Cæſar primo Commentario belli Gallici tradit in Heluetiorum, quos afflixerat, caſtris tabulas fuiſſe repertas, quæ Græcis literis ſcriptæ eſſent. Præterea fuere in Gallijs qui mercatores, ea quæ ad luxũ & mollitiem facerent importantes, non admitterent, neque uinũ inferri ſinerent, quod his rebus, ut inquit Cæſar, elangueſcere animos & remitti uirtutem exiſtimarent. Græci Gallos qui trans Rhenum ſunt Celtas dixere, ideoq; Celtogallia Ptolomæo lib. 2. Gallia qua abit in Septentriones uocata eſt. Vrbes partiũ plurimæ, ac in Prouintia quidẽ & ueteribus etiamnũ illuſtres, Narbo colonia, et ſub ipſis penè Pyrenæi iugis Toloſa. Præterea in ora ut dixi, Maſſilia clariſſima olim. In mediterraneis aũt Vienna & Auenio, &

Arelate

Arelate colonia. In Lugdunenſi Lugdunum colonia, emporio in omni Gallia celeberrimo, ubi Ararim amnem incredibili lenitate fluentē Rhodanus in ſe recipit. Sed & Lutetia Pariſiorū tenuis quondam, nūc adeò frequens & populoſa, ut cum maximis Europæ urbibus certet. Eſt & Rothomagus clara. In Aquitania fuerunt Aquitani populi Plinio, à quibus prouinciæ nomen datum. Præterea et Pictaui celebres, quos hodie Pictones dici autumant. Oppidum præter alia eximie clarum Burdegala. Sed & Vaſconum gens in eas terras migrauit, quos Aquitanica oppida compluſcula tenere conſtat. Ipſa Belgica qua ad Oceanum et Rheni oſtia procurrit, quondam deſertior et raris oppidis, nunc ut res uariant mortalium, magnifice extructis urbibus habitatur. Ex ueteribus autem quæ in Rhenum inclinant clariſsima eſt Auguſta Treuirorū, uetus principum Romanorum ſedes. Secundæ autem gloriæ Colonia Agrippina, ab Agrippina illa Claudij Cæſaris coniuge appellata, nomen adhuc retinet. Eſt & Bonna uetus & Mediomatricum ciuitas. Rurſus in Rheni ripa, Romanorum quondam contra Germanos excubantium præſidijs celebres factæ urbes, Magonciacum, Nemetumq́; & Vangionum, quas uulgus Spyram & Vuormatiam uocitat. Supraq́; eas clarum admodum hodie & humanitate, & potentia Argentoratum. Sed & Rauricorum Augu-

ſta quondam florentiſsima fuit, poſtquam à Germanis ſolo æquatam iuxta condita eſt Baſilea, urbs cum loci natura & ſplendore ædificiorum, tum uero & legum & inſtitutorum ciuilitate eximia. Intus Sequanorum quondam Veſontium, quam hodie Biſantium uocant. Trans Iuraſſum Auenticum fuit, itidem Heluetiorum, ſed interijt, extant reliquiæ tantum & nominis & urbis, Tabulæq; non paucæ ueterum inſcriptionum quas è ruderibus accolæ effodiunt. Supra Baſileam & Iuram montem ueterum Heluetiorum ſedes, et Belgicæ prouinciæ pars fuit. Quorũ uetus oppidum Vindoniſſa iuxta Vocetij montis radicẽ poſita, adeò ab Alemannis Rhenum tranſgreſsis uaſtata, ut nulla prorſus urbis ueſtigia appareant, durant tantum nominis reliquiæ, uetus nomiſma "antiquitatis monumenta illic "~~efoſſa~~ urbem fuiſſe indicant ubi nunc ſolũ eſt. Gentem ipſam Heluetiorum penitus interijſſe autumãt. Qui hodie habitant à Germanis orti maiores habuerunt Alemannos, qui annis ab hinc ſupra mille traiecto Rheno ſæpe antea ab eis uaſtatum agrum omnẽ qui Rheno ambitur inſederunt. Fuerunt enim oppida non obſcura, et ante alia uetuſta, Gaunodorum, Forũ Tiberij, Vitudurum, Arbor felix, quæ adhuc quidem extant. Cæterũ à ueteri illa clade uelut recenti etiamnum inualida, Tigurum refloruit, proximis aliquot ſæculis Thuregum dictum, cuius pagus Tigurinus ob

" aliaq;.
" effoſſa

eximiam

eximiam uirtutem uel ueteribus hiſtorijs celebris eſt. Præterea et Salodorum uetus æditiore colle conditũ, quà ad amnem quem Arulam uocant demittitur: turrim habet uiſendam profectò ob eximiam uetuſtatẽ. Berna ſi annos numeres, non admodum uetus eſt, ſi ſitum & cultum, ſi mores & ciuilitatẽ, ſi leges & inſtituta, ſi potentiam ac uirtutem cognoſcas, nulli urbium quæ in hoc ueterum Heluetiorum tractu ſunt, cedit. Sed & Lucerna dignitate & opibus par multis, in eius lacus exitu, iuxta quem condita eſt, turrim habet peruetuſtam, unde ei nomen datum puto, quoniam ex ea nocturni ignes oſtenſi nauigantibus præluxerint. Eiuſmodi turres ueteres Pharos dixere: qualis iuxta Alexandriam in Pharo inſula turris fuit, nocturnis facibus procul et è ſublimi nauigantibus uelut curſum dirigens, quo ſuum in portum inoffenſi deferrentur: talem adhuc habere Genueſem portum aſſerũt. Et eſt Tiguri pari modo extructa turris, quæ à procellarum alluuione nomen habet, quem credibile ſit primum eius rei gratia itidem conditã. Nihil enim eſt dubium utram uiam, uidelicet & quà Tiguro & quà Lucerna in Alpes & Italiam itur, iam olim tritam & maximè frequentem fuiſſe. Friburgum recens eſt, cæterum & ipſum floridum & eximie munitum. Tugium nõ ita pridem paruum oppidulum fuit, quod cum annis retro plus minus LXXXV. bona parte in

lacum iuxta quem conditum erat ſubſidiſſet, mœnia mox in amplius ſpacium diducta, celebri oppido fecerunt locum. Schafhuſia ipſa non admodum uetus, à nauium traiectu Scheffhuſia dicta eſt: mox ut fit, uulgo detorquente uocem, Schafhuſia, ex quo errore & inſignibus datus locus. Cæterum hodie & loci amœnitate & rerum copia, præterea & ornatu urbis & eximia ciuilitate antecellit. Sangallum, patria mea, oppidum Linificio nobile, annis retro fermè ſexcentis primum mœnibus cinctum, & in oppidi formam redactum eſt, diuq; (ut reliquæ ferè à me in hoc tractu memoratæ ciuitates) non ſui iuris, mox liberum & fœderatum, quanquam grauibus ſemel iterumq; cladibus afflictum, emergit tamen palmæ in morem, inq; numero Ciuitatum quas Imperiales uulgo uocāt cenſum, ſua libertate fruitur. Intus Pagi aliquot ſunt liberi, et ipſi clari. Sed in Acronij lacus littore, quo denuo in Venetū lacum Rhenus effunditur, ſita eſt ueterum præſidiorum alumna Conſtantia, à Conſtantio Imperatore Magni Conſtantini patre appellata, urbs in primis munita et culta longeq; omniū in Acronij & Veneti littore conditarum ciuitatum florentiſsima. Cæſar in primo Commentario ueterum Heluetiorum agrum, una ex parte flumine Rheno à Germanis ſecludit, altera ex parte monte Iura, qui eos à Sequanis diſterminet, tertia Lemanno Lacu & flumi

ne

ne Rhodano, *qui prouinciam* (*inquit*) *noſtram ab Heluetijs diuidit*. Fortißimos *autem omnium facit* Belgas, *propterea quod à cultu ac humanitate prouinciæ* (Narbonenſis) *longißimè abeſſent, minimeq́; ad eos mercatores ſæpe commearent, neque ea quæ ad effœminandos animos pertinerent importarent, proximiq́; eſſent* Germanis, *quibus cum continenter bellum gererent. Qua de cauſſa* (*inquit*) Heluetij *quoque reliquos* Gallos *uirtute præcedunt, quod ferè quotidianis bellis prælijsq́; cum Germanis contendunt, cum aut ſuis finibus eos prohibent, aut ipſi in eorum finibus bellum gerunt*. In *ſecundo autem* Commentario *belli Gallici tradit, pleroſq́;* Belgas *ortos eſſe à* Germanis, Rhenum *antiquitus traductos propter loci fertilitatem ibi conſediſſe,* Galloſq́; *qui ea loca incolerent expuliſſe*. Ex *quibus uerbis intelligimus longè ante Cæſaris in Galliam aduentum, qui origine Germani eſſent, eam* Rheni *ripam, quæ ad Galliam pertineret, habitare cepiſſe, quibus poſthæc tempora, cum ſubinde alij atque alij ex Germania profecti accederent qui eas terras traiecto* Rheno *incolerent, idq́; principum etiam iuſſu fieret, quod & Suetonius & Tacitus innuunt, factum puto, ut* C. Plinius *qui ſub* Veſpaſianis *uixit, quarto libro* Belgicam *ab ortu, non iam* Rheno, *ut* Cæſar, *ſed* Schalde *amne terminare uoluerit, uelut* Anaſtrophe.

confeſſus, Germaniæ potius quàm Galliæ eſſe quicquid intra Schaldim & Rhenum interiaceret. Pari *cauſſa factum, ut mox* Cl. Ptolomæus *& poſt eum* Marcellinus *& alij, infra* Rauricos Germaniam *ſuperiorem, quæ & prima, inferiorem quæ ſecunda* Germania *dicta eſt, ſtatuerint.* Conſtat *autem has terras circiter annos* 500. *hoc eſt, quamdiu poſt* Iulium Cæſarem *uictorem* populo Romano *paruerunt, &* Prouinciales *factæ ſunt, cum legibus atq; inſtitutis mores etiam atq; linguã eorum, à quibus gubernabantur recepiſſe: id quod et* Narbonenſi *prouinciæ ante acciderat.* Tandem *ſub* Valentiniano *tertio, quũ circumquaq; robur imperij frequentibus hoſtium excurſionibus quateretur, factum eſt ut &* Alemanni *&* Franci *fortiſſimæ Germanorũ nationes, ſpe potiundi quod ante ſæpe tentauerãt, traiecto* Rheno *magnam* Galliarum *partem inuaſerint:* Alemannis *quidem eum tractum, qui ab exortu* Rheni *aduſq;* Confluentes *porrigitur,* Francis *uero* Belgicam *utramq; qua in ortum & Septentriones patet occupantibus.* Irruerunt *&* Burgundiones *ex* Germania, *et alia à parte* Nortmanni: *quæ Gentes cum nõ exigua nominis gloria adhuc durant.* Produnt *hiſtoriæ, &* Gothos *in* Gallijs *conſediſſe,* Vandalos *autem &* Alanos *&* Hunos *uagas gentes* Galliam *quondam magnis cladibus afflixiſſe.* Sed Franci *poſt ſubiugatos* Alemannos *& pulſos* Ro-

manos

manos circum oram Rheni primum, mox in interiori bus partibus longè lateq; ita regno inualuerunt, ut nō leges modo ſuas, uerum & linguam & patrios mores cum regno propagarint, annis non minus quingentis. Poſt quæ tempora quum cum ipſa principum ſtirpe regniq́; ſplēdor elanguiſſet, ueteri, hoc eſt, prouinciali Romanorum lingua reducta (cuius etiamnum reliquias uernaculus Gallorum ſermo retinet) maior regni pars alienæ ditioni conceßit, ita tamen ut Germaniјs quæ cis Rhenum ſunt non multum de dignitate fuerit detractum. Porrò & gentis & regni ceu auſpicata feliciaq; nomina poſteritas retinuit, hodieq; incolæ Franci, regnumq́; horum amplum & potens Francorum dicitur.

GERMANIA.

TRans Rhenum in ortum ſolis & latus Septentrionum conuerſa Germania longè lateq; extenditur, terra uirorū diues & populis (ut ait Solinus) numeroſis frequēs. Veteres eius termini ſunt inclyti amnes, ab Occaſu Rhenus, à Meridie Danubius. Ac Rhenus quidē ex Alpibus, quas Rheticas Tacitus uocat, delapſus, non ita longe ab exortu ſuo adeò propinquus fit Abnobæ monti, ut inter eius ripam & caput Danubiј quod agrorum interiacet amplius duorum milliarium latitudinis non habeat: quo in loco

Rhetiæ primæ finis, & Germaniæ ipſius initium ſta-tuitur. Ab ortu Sarmaticarum gentium confinio ex-cipitur, cæterum limite propemodum confuſo. Taci-tus mutuo metu ac montibus hos ab illis ſeparat. Nec certi limitis Plinius meminit, niſi quod 14. cap. lib. 4. in amnium enumeratione, qui Oceanum influunt, con iecturam facit Gutallo amne (qui ultra Viſtulam ſit) ab ortu eum Germaniæ finem ſtatuiſſe. Pomponius certè & Ptolomæus amne Viſula ſiue Iſtula illam ter minant: qui quidem ex Carpati montis arduis iugis ortus, primum tenuis, mox aliquot fluminibus rece-ptis auctior iuxta urbem quam hodie Cracouiam uo-cant, Regum Poloniæ ſedem, altus & nauigiorum ca pax ingreditur, atque inde flexus in Boream longiſ-ſimo tractu frequentibus populis peragratis demum tribus minimum oſtijs Sarmaticum ſiue uerius Germa nicum Oceanū influit. Mons Carpatus ab Iſtulæ fonti bus recta in meridiem iuxta Iazigum campeſtria in Danubium prominet, ibiq; finit Germaniam: tum in ortum conuerſus per Dacos ad Mœſos uſque & Scy thicas gentes pertingit, ut ferè ex ueterum termino-rum obſeruatione conſtet magnam partem regnorū, Polonici uidelicet & Vngarici, ad Germaniam perti nere. Nam & Carpetum ætate noſtra, quā æris argen ti atque auri fodinas habet, magno hominum numero Germani adhabitāt, à circumpoſitis gentibus lingua, inſtitutis,

inſtitutis, & habitu diuerſi, quemadmodū et Septem-caſtrenſes eodem tractu, ſed remotiori paululum in ortum ſitu. De ueteribus Germanis qui Cæſaris Dictatoris ætate, annis non multis ante natum Chriſtum, Romanis propius cogniti et in literas relati ſunt, ipſe Cæſar libro Belli Gallici ſexto ſic ſcripſit, Vita oīs in uenationibus atque in ſtudijs rei militaris conſiſtit: à paruulis duritiei ac labori ſtudent: qui diutiſsime impuberes permanſere maximam inter ſuos ferunt laudem, hoc alij ſtaturam, alij uires, neruosq́; confirmare putant: qui quaq́; de cauſſa ad eos uenerint ab iniuria prohibent, ſanctos habent, ijsq́; omnium domus patent, uictusq́; communicatur. Idem author tradit miram eis & inopiæ & egeſtatis & patientiæ conſuetudinem fuiſſe: agriculturæ non ſtuduiſſe, ſed maiorem uictus partem in lacte, caſeo, carne conſtitiſſe: nec agros proprios habuiſſe, ſed ut magiſtratus in annos ſingulos deſignaſſent, ita permutatis uicibus habitaſſe & coluiſſe, ne uidelicet aſsidua conſuetudine capti belli gerendi ſtudium agricultura permutarent, néue qui latos fines paraſſent humiliores poſſeſsionibus ſummouerēt, poſtremo ne qua oriretur pecuniæ cupiditas, qua ex re factiones naſcuntur. Cornelius Tacitus Germanos indigenas, minimeq́; áliarum Gentium aduentibus & hoſpitijs mixtos aut illarum connubijs infectos, propriam & ſynceram, & tantum

ſui ſimilem gentem extitiſſe arbitratur. Pabula *eorum iam olim laudatiſsima fuiſſe tradit* Plinius. *Sed & Tacitus pecorum fœcundam* Germaniam *dixit, easq́; ſolas illis & gratiſsimas opes fuiſſe ait.* Auri *& argenti magnarum peſtium nulla illis cupiditas erat. Præterea & uaſa argentea quæ principibus eorum aut legatis munera data eſſent, non alio loco habebant, quã quæ humo eſſent ficta.* In pagos *autem, quos* Cæſar Tacitusq́; *ciuitates uocant (tractus uidelicet amplos unius iuriſdictionis) diuidebantur.* Nulla *erant* oppida, *nimirum rei pecuariæ & uenationi deditorum, omnia autem ſyluis horrida, & qua* Oceanum *Germanicũ regio procurrit, paludibus impedita.* Gentes *in totum fortiſsimæ & maximè frugales, ſed ſuis uitijs notatæ, quorũ hodie, ut ad deteriora procliues ſumus, reliquiæ extant.* Latrocinia *nullam habebant infamiã, quæ extra fines cuiuſq; ciuitatis fiebant, atq; ea iuuentutis exercendæ ac deſidiæ minuẽdæ cauſſa fieri prædicabant, ceu tradit* Cæſar. Tacitus *qui ſub* Hadriano *hiſtoriam ſcripſit,* Annos *poſt natum* Chriſtum *circiter* CXX. Germanos *cõuictibus & hoſpitijs effuſiſſime indulgere, plerumq; uero ſomnũ in diẽ extrahere: diem noctemq́; continuare potando nulli probrum eſſe tradidit, ſed & crebras ut inter uinolentos rixas, quæ raro conuicijs ſæpius cæde & uulneribus tranſigantur. Si indulſeris, inquit, ebrietati ſuggerendo quantum*

quantum cõcupiſcunt, haud minus facile uicijs quàm armis uincentur. Præterea & *alcam ſobrios inter ſeria exercere ſolitam, tanta lucrandi perdendiue temeritate, ut cum omnia defecere extremo & nouiſsimo iactu de libertate ac de corpore contendant, & uoluntariam ſeruitutem uictus adeat, quamuis iunior, quamuis robuſtior alligari ſe ac uenire patitur.* Ea eſt (inquit Tacitus) *in re parua pertinacia, ipſi fidem uocant.* Accedit ad hæc quod quum ueteres illi nec dum opulentarum gentium cõmertio contaminati, aurum & dona cotemptui haberent, nec uictu nec cultu elegantes, poſterior ætas longè diuerſos mores admiſerit. Tacitus enim, cui Germanorum res probe cognitæ fuerunt, hæc uerba habet, Gaudent præcipue finitimarum gentium donis, quæ non modo à ſingulis ſed publice mittuntur, electi equi, magna arma, phaleræ torquesq́;. Iam & pecuniã accipere docuimus. Idem author de ſtudio bellorum & raptus, neq; non de laboris domeſtici faſtidio locutus, inter alia, Pigrum quinimo, inquit, & iners uidetur ſtudio acquirere, quod poſsis ſanguine parare. Sed & Claudianus qui ſub Honorio Auguſto ſcripſit, Anno Domini CCCC, Panegyri in laudes Stiliconis prima, teſtatur Germanos Romanis quietem uendere, hoc eſt, pecunia accepta pacem addicere ſolitos, quum inquit,

Illi terribiles, quibus otia uendere ſemper

Mos erat, & fœda requiem mercede paciſci,
Natis obſidibus pacem tam ſupplice uultu
Captiuoq; rogant, &c.

Contra uero eximiæ illorum, præter eas quas retuli uirtutes extiterunt, quos utinam tam ſequeremur quàm uicia exprimimus. Soli Barbarorum, inquit Tacitus, ſingulis uxoribus contenti ſunt: & ſepta pudicitia agunt, nullis ſpectaculorum illecrebris, nullis conuiuiorum irritationibus corrupta. Paucißima in tam uniuerſa gente adulteria, quorum pœna præſens & maritis permiſſa. Acciſis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem uicum uerbere agit. Publicatæ enim pudicitiæ nulla uenia, non forma, non ætate, non opibus maritum inuenerit. Sera iuuenum Venus, eoq; inexhauſta pubertas: nec uirgines feſtinantur, eadem iuuenta, ſimilis proceritas, pares ualidæq; miſcentur, ac robora parentum liberi referunt. Sua quenque mater uberibus alit, nec ancillis aut nutricibus delegantur. Fœnus agitare & in uſuras extendere illis ignotum. Hucuſque Tacitus. Mirũ autem uideri poſſet à Ptolomæo & cæteris ueterum gentium tantam uarietatem & multitudinem cenſeri, quarum nec loca, nec nomina hodie facile agnoſcamus, niſi conſtaret adeò fluxa & caduca eſſe mortalium omnia, ut rerum ac populorum caſum aut mutationem uel nominum interitus

conſe

conſequatur: ſed & migrationes in cauſſa fuerũt, quo minus de nominibus conſtet. Sedibus enim mutatis factum eſt, ut egreßis alijs, aliæ ſuccederent, quin et inteſtinis diſcordijs excitatis inuicem ſe pepulerint, alijs ſubinde atq; alijs ſedibus occupatis, quod facilè ex Taciti lectione deprehenditur. Clarißimi & qui magnã Germaniæ interioris partem tenuerint centum pagis habitantes Sueui non unius gentis, tanta autem continentia, ut nec uinũ ad ſe importari permiſerint, quod eo ad laborem ferendum remolleſcere homines atque effœminari arbitrarentur, uelut quarto libro belli Gallici Cæſar prodidit. Sunt et hodie clari, ſed in alijs ſedibus. Cattorum uetus gloria, qui ſub Hercynijs ſaltibus in Oceanum expanſi quondam, nũc remotiora paulum & in Rhenũ uergentia incolunt, pars iuxta Melibocũ montẽ Ptolomæo cognitũ, à quo Cattimeliboci dicti, uernacula uoce idem ſed corrupte ſignificante, quã nuper in libris Rerũ Germanicarũ reſtituit Beatus Rhenanus uir præter eximiã eruditionẽ iudicij etiã dexteritate et diligẽtia ſingulari clarus. Sunt è ueteribus Saxones maximè clari. Præterea quorum extãt nomina Phryſij Toringiq;, ſed et Miſni et Heßi memorãtur. Fueruntq; Burgundiones celebres, ſed migratione illa in Gallias facta accidiſſe uidetur, ut gentis nomen in Germania interierit. Id qđ et Longobardorum gentẽ paßã eſſe ueriſimile eſt. Porrò ubi tanta

cum frequentia hominum migratur, etiamſi reliquiæ remaneant, ſit tamen ut ſuccedentium ingruente & uincente numero uetus nomen illæ tueri nequeant. Sic Scoti, Picti, & Angli celebres aliquando Germaniæ gentes, iam nunc propter migrationem in ſola Britannia memorantur. Franci fœliciſsimi primum ad Oceanum habitarunt, & pyraticam exercuerunt, mox interiora occupantes ad Rheni uſque ripas pertigerunt, neque hic finis, traiecto Rheno Franciam conſtituerunt, olim Theutonicã dictam, quòd lingua Germanica uteretur: de qua in Gallia dictum eſt. Hodie ad Mœnũ habitat Francorum gens etiamnũ clariſsima. Sed mirum alicubi ueterum gentium durare nomina, quæ tamen aut emigrarint aut interierint, ceu in Boiohemo ſede ueterum Boijorum, cuius coloni hodie Bohemi dicti. Gens Scythica Sclauinorum, ſed & ipſa ante alias clara. Quorũ pars ſunt qui Viſtulã accolunt Poloni dicti, et qui in Illyricũ conceſſere, uulgo Sclaui: eiuſdẽ enim originis eſſe lingua qua comuniter utuntur indicat. Manet & Theutonorum uocabulũ uulgo, quo nomine Germani ſignificantur. Ingens olim Cimbrorum gloria fuit, à quibus Cimbrica illa Cherſoneſus dicta, quam coluerunt. Iis poſtea Inſulares homines Dani uocati ſucceſſerunt, qui & peninſulæ nomen dedêre, quam uulgus hodie Danmarchiam appellat, ea uoce tractum ſeu limitem Danorum

Mœnus fluuius Franciæ orientalis.

norum ſignificans. Alemanni, collectitia Germanorũ gens, tum primùm increbuerunt, quũ manu collecta ad ſuperiorẽ Danubij atq; Rheni ripam conſediſſent. Nominis ratio ex uirtute ducta uidetur eruditis: conſtat enim uocem uernaculam eſſe & planè Germanicam, ſignificans omnes illos uirili animo fuiſſe, qui ad hunc modũ, uelut ſocietatem pacti, confluxiſſent. Sed & Germani (ut obiter admoneã) ueteribus Celtæ uocati, ſic dicti uernacula uoce exiſtimantur, quòd qui primùm Rhenum tranſgreßi Gallos uicerunt, ad uirtutis commendationem hoc ſibi nominis ceu eulogij uice aſciuerint, quo mox ut honorifico tota natio uſa ſit. Nam & Tacitus in libro de Situ & moribus Germanorum hoc uocabulum recens & nuper additum tradit. Porrò uox ipſa, ſi interpreteris, totum uirum ſignificat. Qui hodie habitant, nec uirtute nec dignitate maioribus cedunt, par robur corporibus, animi longe ornatiores, quippe qui de feritate antiquis opprobrata remiſerint aliquid, & prudentiam per honeſtarum artiũ ac diſciplinarum occaſionem eximiã ſint nacti. Vetus enim Germania in totũ literas ignorauit, & ſero cœpta eſt ea lingua ſcribi, quod & ipſum & diplomata principum & Germaniæ regum indicant, à proximis etiã ſæculis non aliter quàm Latinè ſcripta & prodita, quorũ aliquot in archiuis noſtris oppidi Sangallenſis aſſeruantur, à Rudolpho Ha

biſburgio Germanorum rege miſſa, qui Ann.Dom. M. CCXCI. *ex humanis exceßit.* Oppida *Germaniæ non perinde frequentia pro regionis magnitudine, ſed plura tamen ſi cogites quondam nulla fuiſſe.* Atq; *hoc magis mirum aliquot præclaras urbes breui tempore adeò ciuilitate, dignitate & potentia creuiſſe, ut cum florentißimis aliarum gentium certare uideantur.* Omnium *primi ordinis ſunt quas* Imperiales *uulgus uocat.* Potentioribus *autem magnum ſtudium exterarum nationum commertio uti, cui cauſſæ ſunt qui ciuilitatem & humanitatem acceptam ferant.* Eſt *& agriculturæ magna cura.* Neq; *ijs qui hodie habitant, ea eſt inertia quæ ueterum fuit: neq; paſcui ſolū ut quondam agri, ſed & frumenti in totum feraces.* Et *locis non paucis, maximè autem contra* Rauricorum *oram ſub* Martiana *ſylua, quā* Nigram *hodie uocant, longo* Rheni *decurſu uinetis amœnißimis cōſita.* Præterea *&* ad Nicri *(uulgus* Necarum *uocat) &* Mœni *amnis ripas maxime uitifera.* Illo *autem latere quo in* Ortum Aequinoctialem *excurrit, &* Norico *&* Pannoniæ *ſuperiori interfluo* Danubio *contermina eſt, nō modo uinum ædit optimum, ſed & crocum omnium præſtantißimū gignit.* Frugiferarum *inſuper arborū patiens: minus autem fertilis qua in* Oceanum *&* Viſtulam *porrigitur, quanquam abunde frumenti ferax.* Habet *& fontes & fodinas ſalis, & præter eas quas*

in Carpeti ſaltibus eſſe dixi, non uno in loco auri, argenti, æris, ferri, plumbi albi & nigri fodinas fertiles. Tacitus ſcribit ſua ætate, hoc eſt, annis poſt natum Chriſtum CXX. nullam uenam Germanis quæ aurum aut argentũ gigneret patuiſſe: haud quidẽ quòd non eſſent, ſed quòd tum pro gentis continentia nemo ſcrutaretur. Amnes Germaniæ clariſsimi ſunt præter terminales quos diximus Nicer et Mœnus, in Rhenum elapſi. Deinde Lupia, Amiſius, Viſurgis, Albis, Sueuus, Viadrus (uulgo corrupte Adrus ſiue Ader uocitatus) in Oceanũ Germanicum defluunt, ſeruatq; etiamnum horum nominum ueſtigia lingua uernacula. Nec dubiũ quin Latini ſcriptores ſua ab indigenis, hoc eſt, Germanicis deflexerint, detortis, ut fit, interdum ſyllabis. Nam & Rhenũ, quaſi Rhinum, à fluendo dictum quis neget? Præterea & Danubium, quaſi Abnobiũ, à clementer ædito monte Abnoba unde exoritur, appellatum. Quippe recens uernaculum quo uulgo hodie utuntur Danouw, parum ab illo, ut uidetur, ueteri nomine, Die Abnouw, & literarum colliſione Germanis uſitatiſsima, Dabnouw, differre uidemus. C. Plinius quarto libro Gutallum trans Iſulam in ortum, & ab occaſu Moſam, qui cis Rhenũ Belgicã rigat, inter Germaniæ flumina memorat. Sed notandum eſt, gentes illum non terras menſum. Aetate enim ſua, cis Rhenũ in prouincia frequentes Ger-

mani colebant. Proinde & Schalde fluuio, quem Cæſar in Moſam influere ait, ab Occaſu, ut ſupra admonuimus Belgicam terminat, ab Ortu uerò ſolis quintũ Germanorũ genus, nempe Peucinos & Baſternas enumerat, quos quidem longe ultra Iſtulam habitaſſe conſtat. Sed & Tacitus in Sueuici maris littore Efluorum gentis meminit, quorum in littore ſuccinum legatur: quem tractum hodie Pruteni incolunt. Præterea Peucinorum, Venetorum, Fennorũq; nationes Germanis an Sarmatis aſcribat dubitare ſe ait, &c. manifeſto argumento, in ea parte Germanicas gentes Sarmaticis ita permixtas fuiſſe ut dubiũ terminum effecerint. Porrò populorum emigrationibus factum uidemus, ut cis Danubium & Rhenũ magna ſit Germaniæ facta acceſsio, ut uere iam & recte quæ Danubio & Rheno clauditur, Vetus Germania dicatur. Præſtat tamen, niſi fallor, ad antiquæ hiſtoriæ cognitionem retinendã ueteres terminos obſeruare, ut quæ primæ Germanorum ſedes fuerint, deinde quæ loca primis acceſſerint poſterius occupata, facili & diſtincto ordine intelligi queat. Qua de re nec illud quidem (quoniam ad eximiam ueteris Germaniæ notitiã facit & linguæ propemodum adorandam uetuſtatem indicat) prætereundũ putauimus, eos Germaniæ populos, qui ad Oceanum proxime ſeu in ipſis inſulis maris coluere Vuigeuuones dictos, qui in Rhenum & Danubium ab

Oceano

Oceano remoti, Iſteuuones: rurſus qui mediterranei eſſent, Hermiones, quaſi Hernuuones dicas, appellatos eſſe, authore Plinio. Apud quem corruptam lectionē ſumma diligentia Rhenanus reſtituit. Enimuero, Plinio tot annis in Germania militanti, nota fuiſſe id genus Germanica nomina, uel hoc unum magno argumento eſt, quod libro 10. de Anſeribus quos Germania gignit locutus, Candidi, inqt, ibi ſed minores Ganzæ uocantur. Quæ uox adhuc durat, & Anſeres noſtri uulgo Ganzas dicunt. Sed procliue nimirum eſt tot ſæculorum interuallo notatas uoces à ſcribis indoctis et linguarum ignaris corrūpi et deprauari. Quos igitur Germana lingua, Wigewoner/Witſtewoner/Herdtwoner illa ætate uocauit, Plinius haud dubie mollius & ad Romanæ linguæ figuram deflexius uocabulū Vuigeuones, Vuitſteuones, ſeu Iſteuones, & Herdeuones dixerit. Neq; caret Etymo Herduundurorum uocabulum, ut alia multa uetera, quorum adhuc frequens uſus eſt. Hæc eſt Germania quam annis ante natum Chriſtum plus minus quinquaginta, primus omniū Iulius Cæſar in Rheno ponte facto cum exercitu ingreſſus, pauculos poſt dies rebus infectis & ponte quidem reciſo rediјt, ne uidelicet eſſent qui abeuntem poſſent ſequi. Hæc Germania, cui populus Romanus partim principum, partim conſularium hominum ductu & auſpicijs, poſt ordinatas cis Rhe-

num & Danubium prouincias perpetuas præſidiorũ ſtationes ceu murum quendam oppoſuit, nec permiſit ut quicquam uel ſingulis Germanis cum prouincialibus commertij eſſet, niſi in ſola ripa, idq; adhibitis cuſtodibus ne uagarentur: ſolis Hermunduris, ob fidem qua populo Romano commendabantur paßim uagari & ſine cuſtode penitius ingredi permittebatur: cuius rei author eſt Tacitus. Neque obſcura ſtationum frequentia, uel hoc potißimum argumento deprehenditur, quod cis Rhenum & Danubium, hoc eſt, in ripa prouinciarum toto utriuſq; amnis decurſu clariſſima hodie oppida extructa uidentur, quum ripa diuerſa ferè parua aliquot, nec illis conferenda ſuſtineat. Ipſe uidi in Pannonijs ad Danubij oram locis multis aggeres prealtos, foſſas amplis ſpacijs circumductas, magna murorum fragmenta, certa caſtrorum præſidialium ueſtigia, ubi ærei nummi ueteris notæ, præterea & aurei interdum reperiuntur, nec dubiũ eſt fuiſſe his ferè locis omnibus præſidiorum & excubiarum loca, ubi hodie urbes ripenſes, duntaxat uetuſtiores habitantur. Hoc enim Romanis ſupremum refugium fuit, ut quoniam tot tantiſq; cladibus acceptis de Germania retinenda nulla amplius ſpes eßet, ſaltẽ à ꝓuincijs arcere hoſtẽ, et non æſtimandis ſumptibus, quod reliquũ erat ex uictoria gloriæ, his modis tuerentur. Quanq̃ nõ admodum pretiũ operæ reſpondit.

Quod

Quod ingenue Tacitus confeſſus, Nō Samnis, inquit, non Pœni, non Hiſpaniæ Galliæúe, ne Parthi quidem ſæpius admonuere. Quippe regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas. Iiſdem cauſsis factum putamus, ut ſero ad Germanos fama Chriſti peruenerit. Nā plus ſeptingentis annis poſt mortem Domini Vunefridus ille Anglus, Maguntiacenſis Epiſcopus, qui poſt Bonifacius dictus eſt, primùm cœpit Chriſtum Germanos docere, cum iam Franci & Alemanni Rheno & Danubio tranſito, & præſidijs Romanorum fuſis diſiectisq́;, partem magnam ſplendidiſsimarum prouinciarum occupaſſent. Et quamuis gentes aſperæ, armorumq́; & prædæ ſtudijs aſſuetæ, ſalutarem illam diſciplinam ægrè per initia admitterent, tamen Francorū auſpicijs factum, ut ampliſsimas uictorias eorum per totam propemodum Germaniam Chriſtianæ religionis acceſsio ſit conſecuta: cum conſtet prouincias cis Rhenanas Danubianasq́; multo antea Chriſtiani nominis cultu imbutas fuiſſe. Creſcentē enim, cuius Paulus meminit, in Gallias ueniſſe Sophronius tradit. Sed & Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis uetus author, & uicinus Apoſtolorum temporibus, Germaniæ cis Rhenanæ meminit, ut quæ iam ſua ætate eccleſias haberet Chriſti profeſsione inſignes. Proinde in Germania nulla uetus eius rei memoria eſt, cum ſit in Gallijs celebris. Habuit enim Lugdunum Photinum Epiſcopum

.2. Timo. 4.

Ireneus Epis Lugdunensis

illum, cui Irenæus *ſucceßit, uirum* Apoſtolicum, *et ad grauißimarum perſecutionū* procellas *inſtar ſaxi immobilem: mox* Irenæum *& ipſum clarum, cuius de* Hæreſibus *extant libri.* Vixerunt *ambo ſub* Vero *imperatore, annis poſt Chriſtum paſſum* CL. Treuirorum *autem metropolis,* Paulinum *fouit* Epiſcopū, *ſub* Conſtantio Conſtantini *filio, uirum maxime pium, cuius meminit* Hieronymus. Et Priſcillianus *in ea urbe eſt à maximo tyranno interfectus.* Præterea *&* Athanaſius, *ſicut lib. 10. Eccleſiaſticæ hiſt. tradit* Euſebius, *ſexennio* Treuiris *latuit propter minas* Conſtantij, *cui* Arriani *perſuaſerant.* Sed *&* Hieronymus *aliquandiu* Treuiris *egit, uelut ipſe libro aduerſus* Iouinianum *ſecundo teſtatus eſt.* Toloſa *uetus urbs* Exuperium *habuit,* Auguſtini *contemporaneū, quem* Hieronymus *ut ditißimum laudat, quòd uaſa templi ſui pretioſiora diſtrahere & erogare pauperibus, præterea corpus* Domini *in caniſtro uimineo, & ſanguinem in uitro portare ſolitus fuerit.* Pictauorum Aquitaniæ Epiſcopum Hilarium *nemo ignorat: &* Aruernorum Sidoniū Apollinarem, *qui quidem poſtremis illis annis floruit, quibus* Gotthi *et* Franci *iam in* Gallias *irruperant.* Sed *ô felices prouincias, quibus cum imperij iugo libertas* Chriſtianiſmi *tam cito obtigit.* Minus *autem felicem* Germaniam, *cuius libertas tot annis ſuos in ignorantiæ ſeruitute detinuit.*

SAR

SARMATIA.

Dvplicem Sarmatiam ueteres fecere, Aſiaticã alteram quæ trans Tanaim & Mœoticam paludem in Ortum extenditur, alteram Europæam, de qua iam dicemus. Termini eius à Meridie Danubius, à Septentrione Oceanus, ab Ortu Tanais, Mœotis, Pontus, ab Occaſu Germania. Quidam Iaziges & Dacos ſeparant, cum conſtet & hos Sarmaticarum gentium fuiſſe. Pomponius enim lib. 3. de Sarmatia loquens, Quæ retro, inquit, abit uſq; ad Iſtrum flumen immittit: & Tacitus lib. 12. Iaziges Sarmatas uocat: quibus finitimi Getæ, à Romanis Daci dicti, authore Plinio lib. 4. Gentes intus bellicoſæ & uariæ, quondam quæ ad Germanos inclinant Baſtarnæ, quæ in Tanaim Roxolani et Hamaxobitæ dictæ, quoniam incertis ſedibus uictitantes, curribus res opesq; ſuas ſecũ ueherent: ſed & Scythæ in uniuerſum dicti Sarmatæ. Plinius eodem libro, Scytharum nomen, inquit, uſq; quaq; tranſit in Sarmatas atq; Germanos, nec alijs priſca illa durauit appellatio, quàm qui extremi gentium harum ignoti propè cæteris mortalibus degunt. Strabo certe lib. 7. latus Sarmatiæ quod in Boream porrigitur uel ſuæ ætati (uixit enim ſub Auguſto) non admodum cognitum fuiſſe tradit. Fit autem gentium migrationibus, ut ſubinde & ſedes mutentur, & nomina. Proinde ut hodie habitetur Sarmatia paucis ex-

pediam. Ad Oceanum Borealem ſeu Codanum, Pruteni terram fertilem & eximie cultam poßident, lingua, cultu, & inſtitutis Germani, pars tamen regni Polonici: ſupra quos in Ortum & Septentrionem poſiti Liuoni, at in Occaſum ad Iſulæ amnis oſtia clarißima urbs Dantiſcum memorabili emporio, quæ & ipſa regem Poloniæ agnoſcit. Polonia autem dicta magna Sarmatiæ pars à planicie, quam ipſi uernacula lingua Pole uocant, gens ipſa in plenum Sclauinorum eſt, Scythicæ originis, & quæ citra mille annorum ætatem in has terras migrauerit, ſed clarißima tamen, & humanitate longe à Sarmatarum ueterum aſperitate aliena. Vrbes in Germanico ſolo duæ, quarum altera regni ſedes Cracouia dicta, cum arce elegantißima, quam inclytus rex Sigiſmundus proximis annis magnificis ſtructuris inſtaurauit, ciuitas ipſa utriuſq; linguæ Germanicæ & Polonicæ perita, eo eſt cultu, elegantia, atque opulentia, ut regiam eſſe agnoſcere poßis. Altera in maiori Polonia (duplicem enim faciunt) Poſnania dicta & ipſa populoſa, cum ſede Epiſcopali, & amne interfluo, quem accolæ Vuartam uocant. Interiora uicis magis quàm oppidis habitantur: neq; alia memoratior illic ciuitas quàm Liuonorum, quam ipſi Vuilnam Lituaniæ nominant, à Liuonia maritima Lituaniã ſeparantes. Terra ipſa in uniuerſum frumenti maxime ferax, piſcibus item

&

& feris abundans, non tamen pro terrarum amplitudine illis in locis aut culta aut frequens. Nam & ſyluis immanibus diſtinguitur, in quibus hodieq; Vri boues, Alces, & raræ magnitudinis urſi, aliaq; id genus animalia capiuntur, quorum alicubi Cæſar, Plinius, & Solinus meminere. Sed neque ullo alio in loco Harcynium nemus tam late ingreditur, quàm circum Vuilnam, & qua parte in Mœotim & Boſphoranas gentes excurrit. Latrocinia præcipue Polonia ignorat, & tanta ſecuritas eſt ut hybernis menſibus etiam ſinguli tenuibus uehiculis immenſa itinera conficiant, hoc enim tempus uehendis ultro citroq; mercibus maxime commodum eſt, quoq; rigidior bruma fuerit, hoc celerior expeditiorq; uectura eſt, nimirum paludibus & amnibus quaq; uerſum gelu clauſis. Secundum regem magna dignatione Epiſcopi habentur, ille autẽ cum ratio regni poſtulat crebra concilia frequentiſſima nobilitate conuocata peragit. Militiæ munus non niſi nobilibus ijſq; qui ex oppidis honeſtiore ordine ſunt permittitur: quaq; uel una re regni amplitudinem intelligere queas, quoties eſt opus citra moram numeroſi exercitus conſcribuntur, in Moſchos enim ſiue Moſcuitas, & Ponticum tractum Polonia extenditur, nec multo minus ~~terram~~ [terrarũ.] ambit quàm tota propemodum Hiſpania trans Pyrenæũ habeat. Amnes Sarmatici præcipui ſunt, Ptolomæo

Chronon dictus, quem Guttallum uocaſſe Plinius uidetur, ex Liuonis delapſus Codanum influit. Diuerſo à latere in Pontum Euxinũ exeunt, Tyra, Boryſthenes, & inter hos medius Axiotes, omnes intra limites Polonici regni exorti: circum quos frequentes Rutenorum populi habitant, ibi tractus fertiliſsimus eſt, quem uulgo Podoliam uocant, in quo oppidum Lemburgum, ſalſamentis nobile. Sed dolendum profecto, agrum eum circumquaq; tam commodum habitationi, deſertè tamen, nec niſi ſparſis uiculis coli propter crebras Tartarorum incurſiones, qui equorum (quos optimos & laborum tolerantiſsimos habent) pernicitate freti, longiſsimis itineribus paruo tẽpore emenſis incautam plebem multis milibus obruunt, neq; pecus ſolum, ſed & homines captiuos trahunt, neque ulli ætati parcitur. Nulla his fides eſt, proinde nec pactis mitigantur, nec fœderibus acquieſcunt. Sed Moſci ſiue Moſcuitæ ſummoti in Septentriones, & Poloniæ centum ferè miliarium interuallo à Vuilna ciuitate contermini, terram fertilem nec admodum inclementis cœli habitant: ut inde ſit ueriſimile uetuſtatem fabuloſis plerũq; & uulgo receptis narrationibus uſam eſſe, quum experientia deſtitueretur. Nota enim ſunt quæ de Arimaſpis deq; Hyperboreis, deq; rigido illo ſyderum cardine antiqui retulerunt. Cæterum Moſcuitas corrupta uoce dictos apparet, quos ueteres Ha

maxobitas

"Axiares. "deſertu.

maxobitas dixere, extremæ Sarmatiæ incolas. Et ſic uetus nomen aduenæ genti relictũ, ſicut Boiemorum Sclauinis qui hodie Boiohemũ inhabitant. Multa enim argumenta ſunt quæ palàm indicant eam gentem indigenam non eſſe. Lingua utuntur nõ abſimili Dalmatiæ, & Dalmatam loquentem clare intelligunt, nec ignotus illis eſt Latinæ linguæ uſus. Præſtant & humanitate & fidei conſcientia, fœderibus multum tribuunt, ſtatura proceri, robuſtis artubus, hirſuti, glaucis ferè oculis, tenui uictu, potu frequentius ſaturi, quem ex melle conficiunt. Vrbem habent Nogardiã cognomento Magnam, in qua Solſtitio æſtiuo umbræ ferè nullæ, ſol enim non alte merſus crepuſculum, mox nulla nocte intermedia diluculum efficit. Ducem habuerunt proximis annis Baſilium nomine, uirum magnum, & rei militaris eximie peritum, breuiter talem quem Cæſar Maximilianus non ita pridem honeſtiſſimis legationibus ſalutandũ duxerit. Arbitror autem & Aſiaticæ Sarmatiæ partem ultra Tanaim horum ditioni parére. Non enim eſt obſcurũ, quàm ſæpe ampliſſimum Poloniæ regnum quantis copijs acerrimis incurſionibus factis perculerit, nec impune etiam uictus unquã abſceſſerit. Atq; his quidẽ, quanquã equeſtribus, grauior tamen armatura eſt quàm Tartaris, ij enim in fuga omne præſidium collocant, nec niſi telis & arcu nocent, cum Moſcuitæ comminus etiam cum

hoſte audeant pugnã capeſcere. Ab his gentibus pellium precioſarum copia in Poloniam primùm, mox alias in terras euehitur: quanquam & Ruteni idẽ mercimoniũ agitent. Apud Liuonos materia cæditur uarij uſus, qua et nauibus impoſita Codano ſinu in Daniã et circũpoſitas regiones portatur. In totum aũt mellis et ceræ in his partibus incredibilis copia eſt, nuſq̃ enim ſunt æſtiui dies longiores, quibus apes ad laborẽ natæ cum primis delectantur. Tartari ſordida gens & fera circa Cherſoneſum quæ Tartarica cognominatur ſedes habent, et in eã Myſiam inclinant, quæ trans Iſtri oſtia in Septentrionẽ extenditur. Conſtans fama eſt, hoc illis moris eſſe quod de Biſaltis Maro prodidit, ut equi uena inciſa ſanguinẽ eliciant et cibarijs miſceãt. Ipſe uidi Cracouiæ captiuos Tartaros qui morticina quotidie ueſcebãtur, duntaxat ad ignem adhibita donec incaleſcerent. Erat aliorum ciborum copia quam regij ſerui miniſtrabãt, ſed illa pro feritate & ſuo more præcipue delectabantur. Non præterierim & Moſcuitas & Rutenos Chriſtũ agnoſcere, & apoſtolorũ uereri memoriã, uariare tamẽ ceremonijs et dogmatis, in quibus Græcos ritus ſequi uidentur, & ignorãt priuatas Miſſas, quẽadmodũ et Græci. De Septentrionis et Orientis partibus, nũc Auſtrinas referemus. Iazigũ tractũ partim habent Germani, ſaltus Carpati incolentes, partim Vngari, quorum eſt Vngariæ regnum

magnam

magnam hodie Germaniæ partem & Sarmatiæ continens, quemadmodum & Poloniæ regnum plurimū agri ueterum Germanorum citra Viſtulam complectitur. Tibiſcus amnis piſcoſiſsimus, quem uulgus hodie Tayſſam nominat, à Dacis illos diſtinguens in Danubium influit: ultra quem montanis inhærentes fertiles ſaltus habitant, qui Tranſſyluani & Septemcaſtrenſes uocantur, quos Germanos eſſe, cum lingua qua etiamnum incolumi utuntur, tum morum facilitas & proceritas roburq́; corporum indicat. Habent urbes aliquot munitiſsimas, et à rege Vngariæ magiſtratum, hoc eſt, Præfectum accipiunt, quem Vngarus Vuayuuodam nominat, quæ uox etiam Sarmatis Præfectum, ſiue (ut cum uulgo loquar) Capitaneum ſignificat. Is fuit proximis annis Ioannes ille, à nobis ſemel Budæ (quæ Vngarorum metropolis eſt) uiſus, Stephani ditiſsimi Comitis filius, cuius ſororem coniugem habuit Sigiſmundus Poloniæ rex, qui hodie regno Vngariæ præeſſe dicitur, quo cū illuſtriſsimus Romanorum rex Ferdinandus tot iam annis belligerauit. Porrò gentis uetuſtatem ex Tacito & Plinio Rhenanus demonſtrat. Daci ueteres tanta belli gloria eminebant, ut annua tributa Romani eis dependerent. Sed Traianus hac re uires & opes eorum augeri, animosq́; ad maiora erigi ueritus, Decibulum eorum regem aggreſsus uicit, & Daciam totam in prouinciā

Anaſtrophe

formã redegit, urbes cõdidit & colonos deduxit: præterea & pontẽ lapideum in Iſtro mirandi operis nec æſtimandis ſumptibus fecit, quẽ pauló poſt Adrianus Imperator deſtruxit, ponte uiam patêre Barbaris ad Mœſias depopulandas ueritus. Nihil enim unquã in ſolo Barbarico, Romanis aut Rhenum aut Danubium trãſgreßis, ſtabile aut diuturnũ fuit. Dacia igitur prouincia ſub ~~Gallieno~~ imperatore amiſſa, Aurelianus eo poſterior deſperans retineri Daciã omnẽ poſſe reliquias coloniæ in Mœſias tranſtulit, totusq; ager Dacicus à Gotthis, Scandia, & Germanici Oceani remotiſſimis inſulis egreßis, occupatus eſt. Gotthi primùm prouincijs cis Danubianis magno dãno fuere, poſt pauló conſuetudine quadã, & quod ſæpe inter illos pacis cõditiones interueniſſent familiares facti, demũ opera Prouincialiũ Epiſcoporũ ad fidẽ Chriſtianã ſunt conuerſi: nam Theophilũ habuerũt Orthodoxũ Epiſcopum, qui cõuentui Niceno interfuit, & ſententiã Arrianis aduerſam recepit. Poſt uerò Vulphilam Epiſcopum, opinionis quidẽ Arrianorũ, ſed malis artibus à Valente deceptum, qui Gotthicas literas reperit, & ſcripturas ſanctas in ſuæ gentis linguam conuertit: id quod et Dalmatis ſuis mox pauló D. Hieronymus præſtitit. Huius Vulphilæ Socrates & Theodoretus meminere. Hodie (tanta eſt in rebus mortaliũ uicißitudo) Daciæ partẽ Vngari tenent, partem Turcæ, Montana

reliquiæ,

reliquiæ,ut arbitror,Gothorum et ueterũ colonorũ, quos uulgus Vualachos, & tractũ eorũ Vualachiam nominat, quorũ lingua etiamnum ueſtigia ueteris Romanæ Prouincialis retinet. Summũ magiſtratũ pariter Vuayuuodam cognominant. Cõmendantur autẽ non à uirtute ſolum gerendorũ bellorũ, qua maximè præſtant, ſed & diſciplina domeſtica & reipublicæ prudentiſsima moderatione. Religionem Chriſtianã agnoſcunt, quanquam Pauli cuiuſdam dogmatis iactatis, quibus inſunt quæ noſtris non admodum probantur. Huius gentis ornatiſsimam legationem ad Sigiſmundum regem aliquando in Sarmatia acceptam honorifice & liberaliter dimiſſam uidimus, profectò in his paucis uiris indoles quædã Romanæ et Gotthicæ uirtutis elucere uidebatur. Cultus illius per omnia Vngarico ſimilis. Vltra Daciã aũt ab amne qui Ieraſſus Ptolomæo dicitur, Getarũ quondã ſedes fuit. Terrã eam in Iſtrum & Pontum porrectam hodie finitimæ gentes Moldauiam uocant, & ſunt in littore urbes aliquot Græcorum coloniæ, quarum libro 4. meminit Plinius. Ouidius lib. 3. Triſtium:

Hic quoq; ſunt urbes Graiæ (quis credere poſſet?)
Inter inhumanæ nomina Barbariæ.
Huc quoq; Mileto miſsi uenere coloni,
Inq; Getis Graias conſtituere domos.

Ac de uniuerſa quidem Sarmatia hactenus.

EXpoſitis terris, quæ Rheno, Danubio, Oceano, Pontoq;, & Mœotide finiunt, rurſum ad prouincias ueniendũ nobis, maximè Danubianas (Rhenanas enim diximus) quæ ſunt, Rhetia prima, Rhetia ſecunda, Noricum, Pannonia prima, Pannonia ſecunda, Mœſia prima, Mœſia ſecunda, quas omnes ab Aquilone finit Danubius, à meridie Alpes terminant, quæ à Graijs illis iugis in ortũ flexæ perpetuo tractu in Orientẽ abeũt, diremptisq; populis imanibus uſq; in Thraciam penetrant: Rheticæ interim, ſed & Noricæ, & Pyronæ, & Iuliæ, & qua Pannonias premunt etiã Pannonicæ dictæ idoneis authoribus, quemadmodum ſupra dictæ Graiæ, Pœninæ & Cotiæ, quæ Narbonenſem à Togata ſeiungunt. Rhetia igitur prima, quæ & ſuperior, haud longe à fontibus Rheni in Belgicam imminet ab occaſu, ab ortu Lico flumine ex Rheticis alpibus delapſo, quem uulgo Lechum uocant, terminatur. Oppidũ habet Curiam antiquũ, et magiſtratus prouinciæ aliquando ſedem, unde illi datum nomen uidetur. Habet & Brigantiũ, à quo Brigantinus lacus qui & Acromus dictus, memorabile olim quum Romani tenerent, ſicut & Arbor felix oppidum, quod Arbonam uocant, in Acromi itidem littore, ſed trans Rhenum ſitum. Porrò euidentibus argumentis conſtat bonam eius agri partem quã ad Rhenũ iacentẽ Belgicæ Galliæ Cæſar tribuit,

poſtea

poſtea Romanis prouincias ordinantibus primæ Rhetiæ attributam fuiſſe, quod ipſum præter alia certa, in his locis ueterum præſidiorum monumenta conuincunt, ut etiam Conſtantiam in Rhetia prima cenſam fuiſſe ueriſimile ſit. De hoc dubiũ non eſt nullam prouinciarum huius tractus euidentiora ueſtigia ueteris prouincialis, hoc eſt, Romanæ linguæ retinere, quàm hanc primam Rhetiam, maximè autem hac parte qua Brigantini lacus littore cum Rheno ſeſe Rheticarum alpium conuallibus inſinuat. Arces alicubi uetuſtiſsimæ, præterea & oppida, ualles, agri, uici, uocabula Romana etiamnũ illæſa retinẽt. Curia teſtis eſt, cuius paulò ſupra meminimus. Item à Briganto paruulo interuallo arx, Eminens, cum balnearijs. Dein caſtrum Montis fortis, mox aliud Montis aſperi cognominatũ. Præterea oppidulum Magna uilla olim dictum, nunc uoce detorta Mayenfelda. Contra quod in noſtra ripa arx uetus Sanæ caſæ, cui rudis poſteritas prouincialis linguæ ignara, anſeris nomen affinxit, cui mox oppinioni (ut efficax eſt ad errorem confirmandum conſuetudo) nobilis illa familia acquieſcens, anſerem ceu gentilicium inter ſigna recepit. Eſt & Saxum dicta uetus arx, unde familiæ à Saxo cognominatæ origo eſt. Alicubi uiculus Vilis terræ cognomen habet, quod aër illic ferè peſtilens exiſtat. Eſt uicus qui Sceuolam, eſt qui Gracchum, inſuper & Fabium & Ci

ceronem, Gaium, aliaq́; id genus Romana nomina ex primat: certum autem & legionum nomina ex uulgatis locorū quorundam nominibus deprehendi. Vnde niſi fallor coniectura liceat colligere, Alemannis Danubium tranſgreſsis, & Rhetiam occupantibus, poſtremam omniū eam partem ceſsiſſe, quam ſupra Brigantinum lacum nō Rhenus ſolum, uerumetiam montana difficilem aditu & ideo ab illorum incurſionibus tutiorem effecerant. Ab ortu ergo Rheni alpeſtres Rheti, quos hodie Griſones uocamus. Praeterea alpini homines Atheſini pars Rhetiae ſunt. Trans Acromum autem qui habitant Sueui dicuntur, pars Sueuorum ueterum, quorū & uirtutem referunt. Notius autem arbitror quàm ut ſit multis indicandum receptis hiſtorijs Sueuorum nomine etiam Alemannos, qui hanc Rhetiam occuparūt, intelligi. Poſterior aetas Alemanniā uocauit, paulò amplius patentē quàm pro ueteri limite, magna enim ueteris Heluetiae partem amplexa eſt. Neq; inglorius fuit Ducatus (ut uocant) Alemanniae, mox & Sueuiae dictus. Vrbium clariſsima Auguſta eſt Vindelicorū, ſplendidiſsima olim Pop. Rom. Colonia: deinde paucae ex ueteribus reliliquae (multas uaſtarunt Alemanni, ante quorū incurſiones utriuſq; limitis prouincias florentiſsimas fuiſſe conſtat.) Cambidonum inter antiqua oppida memoratur, ueterum haud dubie praeſidiorum, cuius rei argumentum.

mentum eſſe uidetur Cœnobium uetus adiunctum oppido. Poſterioribus enim Francorum regibus placuiſſe uideo, monachos Scotia & Hybernia digreſſos, ferè his locis immittere, uelut expiandi conſilio, in quibus ante præſidia collocata fuiſſent: id quod Briganti, Curiæ, in Augia lacus Veneti, Augia Rheni faucibus, alijs huius Rhetiæ locis accidiſſe cernimus.

RHETIA SECVNDA.

QVod inter Licum & Oenū interiacet, hinc Danubio, inde rurſum alpibus clauſum, ad eam Rhetiam pertinet, quæ ſecūda aut inferior dicitur. Vrbes habet in Danubij ripa duas eximie clares, Reginoburgum, uulgo Ratiſbonam, cum ponte lapideo ſpectandi operis, & alteram itidem Epiſcopali ſede celebrem in ipſo Oeni & Danubij confluuio poſitam, quam hodie Patauium nominant. Veriſimile aūt iuxta illam caſtra olim Romanorum Regina cognominata, in Patauio autē caſtra Bataua conſediſſe, fuerunt enim & in hac ripa frequentes illorū aduerſus Germanos excubiæ. Ipſe Oenus è Rhetiæ primæ alpibus delapſus oppidū Oenipontis præterfluit, à quo loco primùm nauigabilis, ſed montium amphractibus uarie tortus, nec ſtatim in plana admiſſus, ubi longius per campeſtria ingreſſus eſt amnibus aliquot non ignobilibus è Norico uenientibus receptis, demū

uehementi undarum impetu Danubium *influit.* Hæc Rhetia *qua in plana demittitur, propemodum tota di tioni nobiliſsimorum principum* Bauariæ *hodie ſub= dita eſt, frequens cultiſsimis oppidis, & uicis, ſed re= centibus, præterea fertilis agri, niſi quòd uini nuſquã (quod ſciam) eſt ferax.* Pars *quæ alpibus attollitur, ad* Rhetiam Atheſinam *pertinet, argenti ſaliſq; fodinis nobilis, qui habitant* Boiorum *genus &* Marcoman= *norum exiſtimantur, qui è proxima* Germania *quon= dam, collapſis imperij* Romani *uiribus, hanc prouin= ciam migratione facta ſint ingreßi.*

NORICVM.

AMpliſsima *fuit prouincia* Noricum, *& ſi æſti metur magnitudo, haud multo utraq;* Rhetia *minor deprehenditur.* Fertili *in primis agro, præterea diues uenis, auri, argenti, ferri, chalibis, & ſalis fontibus inexhauſta.* Eã Oenus, *ceu dictũ eſt, finit ab* Occaſu, *ab* Ortu *et* Cœtio *monte* Pannonia *exci= pit* Superior *cognominata* Ptolomæo, *à* Meridie Al= *pes* Iuliæ, *& illæ quas* Plinius *lib. 4.* Carnicas *cogno= minat, à* Carnis *accolis, quos uulgus hodie literis tranſpoſitis* Cranos *appellat.* A Borea Danubius, *ceu ante diximus, perpetuus limes eſt prouinciarum om= nium quas hoc tractu memoramus.* Oppidorum *uete=*

rum

rum in Danubium uergentium, quorum quidẽ extet memoria, clariſsimũ eſt Laureacũ, Præſidis aliquando prouinciæ ſedes, & militum Romanorum ſtatiuis, ſed multo magis Floriani martyris memoria celebre, hodie Anaſum uocãt ab amne ſubter allabente, à quo et Ripenſe cognominatum uidetur, poſitum eſt in planicie ædita, & circumquaq; conſpicua, multaq; ſe offerunt contemplanti, quæ ſanè locũ ipſum non amœnũ modo, ſed & munitũ fuiſſe teſtantur. Ipſe Anaſus ſiue Aniſus, haud ꝓcul ab eo Caſtello quod Charnſtatt, rude uulgus Raßſtatt nominat, in profundæ uallis planicie ortus, primo tenuis, mox utrinq; illabentibus riuis auctus aſperrimis montium anguſtijs illabitur, atq; inde longis ſonoriſq; flexibus eluctatus Norici Ripenſis campeſtria ingreditur, curſu adeò citato, ut his in locis quibus interdum uadoſus eſt, quamuis fortia iumenta ſubſiſtere & ferre impetum uix queant. Ad huius uſq; ripam proximo anno Turcarum acerrimæ incurſiones patuerunt. Nam fluuij qui ſub Aniſo Danubium ingrediuntur in Norico, multis locis ſunt uadoſi. Neque eſt ulla prouincia huius lateris, quæ tot amœnis limpidiſq; & in totum piſcoſis amnibus irrigetur. Interius clariſsima urbs eſt Saltzeburgum, à Saltza amne interfluo Germanis uocata, quam ueterẽ eſſe multa ueſtigia declarant: ſed quo ante nõie dicta ſit haud facile eſt cognitu, quidã Badacum, alij

Carnuntum faciunt, ſed ueriſimile eſt Carnuntū alio in loco fuiſſe, nec remoto ab Aniſo fluuio, quanquam eum coniectura conſequi non admodum detur, propter frequentia uetuſtorum locorum ueſtigia, quæ ſe non eo tantum tractu, ſed toto ferè Norico, maxime autem qua in Ortum & Meridiem reflectit offerunt. Celeia, cuius Plinius meminit, nomen adhuc retinet, ſed multum de ueteri ſplendore deceßit. Extant et Flauij Solvenſis ueſtigia certa: nam Solenſem eum agrū accolæ etiamnum uocant, iuxtaq́; extructum Collegium Canonicorum templum uiſitur cuius muris tabulæ plures immiſſæ ueterum inſcriptionum: ſed & ſimulachra in eo tractu candidi marmoris & ærea extant. In confinio Pannoniæ Petouio eſt oppidū Epiſcopi Salisburgenſis, Petouiam hodie uocant. Extat & Sabaria Norico proxima, cuius meminit Plinius, cæterum tenui oppidulo habitata. Ita enim Noricum uniuerſum poſt deſertum à Romanis limitem è Germania profectæ Marcomannorum & Quadorum feroci ßimæ & Romanis infeſtißimæ gentes uaſtarunt, ut inter tot loca oppidorum ueterum nulla inuenias quæ admodū ex antiqua illa clade conualuerint, præter pauca quæ aut principum curiæ aut Epiſcoporū cathedræ cultiora frequentioraq́; proximis primum ſæculis reddiderunt. Notandum autē, utranq; Stiriā, Carintiam utranq;, Carnorum tractum quem Sclauini hodie

ni hodie proxime Villacũ *poßident, & omnem agrũ Saliſburgenſem in ueteri* Norico *contineri.*

PANNONIA PRIMA.

Mons Cœcius *Pannoniæ initiũ ab alpibus recta in Septentrionem porrectus, non admodum æditis iugis ad* Danubium *uſq; pertingit, qua* Ortum *uerſus in plana demittitur longißimo tractu uinetis amœnißimis conſitus eſt, ſummum iugum & latus occiduum denſæ ſyluæ occupant, à fronte, niſi fallor, accolis* Mons Caluus *dicitur.* Quanquã *non ignorem eſſe qui* Cœcium *haud procul* Arrabone *ſtatuant, quod ſi eſſet, conſequens foret, ad* Noricũ *longe maximam partem eius agri pertinere quem ſuperiori* Pannoniæ Ptolomæus *tribuit.* Hæc *igitur à Meridie parte* Norici *ſtringitur.* Qua *uerò in* Ortũ Brumalem *&* Sauum *egreditur, ad alpes uſq; pertingit.* Vrbium *quas habet, hodie cultißima & ornatißima eſt* Vienna, *in qua* Caſtrum *uetus* Principum Auſtriæ, *& ab hac diſtans* VIII. *milliarium interuallo oppidum* Nouæ *ciuitatis cognomine cũ arce munitißima, in qua* Maximilianus Cæſar Caroli *noſtri* V. *auus paternus, & natus eſt & conditus.* Anno *enim ab hinc decimoquarto cum in* Norici *amœnißimo oppidulo ad* Draunum *amnem ſito (uulgus* Vuelſum *uocat) in grauem ægritudinem incidiſſet, nec læta medici polli*

cerentur, neque ipſe admodum de uita eſſet ſollicitus, morbo inualeſcente id mandati intimis aulæ dedit, ut defunctum uita corpuſculum illi loco redderent quo recens natus accepiſſet. Sed & pater eius Fridericus, *multis ante annis in propinquo* Norici *ripenſis oppido* Lintzio *(quod ueteres* Romani *præſidio impoſito* Lentias *dixerunt) diem obijt,* Viennæ *poſtea in ampliſsima* Baſilica Stephani *Mauſoleo magnificentiſsime fabrefacto conditus. Sub* Noua *ciuitate lacus eſt* Peiſo *etiam* Plinio *memoratus, ut uicinus* Norico *(non enim meminit primæ* Pannoniæ*) cuius profecto prima eſſet in omni* Europa *gloria, niſi degeneraret propemodum in paluſtria, importuoſus enim paucis locis nauigatur. In* Danubij *ripa frequentia ueterum legionum monimenta exiſtunt, inſcriptiones ueteres, et numus antiquus. Amnis* Arrabo, *quo ſuperiorem* Pannoniam *finit* Ptolomæus, *nomen adhuc retinet: ſupra cuius oſtium quo* Danubio *miſcetur uetus oppidū primæ* Pannoniæ Brigetio *fuit, cuius poſt* Ptolomæum Marcellinus *meminit.* Arrabone *ſtatiua fuerunt militum* Romanorum, *quæ hodie ueteri foſſa, ſed recenti muro clauſa intus habent* Baſilicam Epiſcopalem Supronienſem, *cum atrio & ædibus aliquot magnifice extructis, quæ quidem omnia in ædita & eximie munita planicie inſtar* Laureaci *ſita, ſubter uicū habent ſatis frequentem, ſed neglectæ & incultæ ſtructuræ,*

ut tugurijs

ut tugurijs magis q̃ domibus habitari uideatur. Ab Arrabone Meridiẽ uerſus aliquot oppida iacent, ſed iuxta Drauum fluuiũ nobilem præcipua. Drauus ipſe haud longe à Tridentinis alpibus loco quem Tobliũ accolæ nominant, exortus, non Noricũ modo, qua lon giſsime extenditur, ſed utranq; etiam Pannoniã per= fluit, à Saui ex Carnicis alpibus orti ripis nuſquam amplius cxv milibus paſſuũ abſcedens: ingreditur au tem Danubium iuxta locum, qui quondam Teutobur gum uoce planè Germanica etiam Ptolomæo dictus, hodie celeberrimus uicus eſt, cum Baſilica itidẽ muni to loco poſita, cui Epiſcopus Quinqueccleſienſis præ eſt, quem aliquando Budæ (quæ Vngariæ eſt metropo lis) centum & amplius uarij ordinis hominibus comi tatum in arcem regiam deduci uidimus. Hic mos pro= ceribus regni cũ Epiſcopis cõmunis eſt, & quo quiſq; ſolus equo ſublimis maiorem peditatum aut pone ſe= quentem aut iuxta præeuntem habet, hoc eſſe ſubli= mior potentiorq; uulgo dinoſcitur. Sed ut ad primam Pannoniã reuertar minime prætereundũ exiſtimabã, appellatione regionũ (ut fit) hac quoq; parte limites confundi. Magna enim primæ Pannoniæ pars ad re= gnum hodie Vngaricum pertinet. Contra in iuſta No rici parte Auſtriæ, hoc eſt, Pannoniæ primæ nomine loca comprehenduntur, quæ ſunt tamen ſuo limite à Pannonia diſcreta, quemadmodum ultra Danubium,

ubi Germania eſt, Auſtriæ nomen late patet, & ut ſupra monui, pars magna Germaniæ Vngariæ tribuitur, terminis regnorũ nimirum uariantibus, in qua tamen uarietate nihil magis ad antiquitatis cognitionẽ facit, quàm ueterum limitum & terminorum obſeruatio, ſine qua ne recentia quidẽ recte ueſtigari aut accipi poſſunt.

PANNONIA SECVNDA.

PTolomæus lib. 2. alteram Pannoniã, quam ipſe Inferiorem uocat, ab Occaſu Arrabone fluuio terminat, ab Ortu Danubio, qui ubi Germaniã reliquit, recta in Meridiem ~~Sauum~~ [Drauum] excepturus feſtinat: dein iterum flexus Tybiſcum recipit, à quo Taurunum uerſus, uelut geſtiens Sauo ſe miſcere ita reclinat, ut non nihil occiduus fiat. A Meridie finiunt miteſcentia iam alpium iuga, quæ ut ait Plinius, per medium Illyricũ à Septentrione ad Meridiẽ uerſa, molli in dextra ac læua deuexitate conſidunt. Ruffus Conſularis Pannonias alpes nominat. Oppidorum memoratiſſimum eſt, quod accolæ Budam uocant, haud dubie uetus & ſtatiuorum Romanæ militiæ aliquando, nunc regum Vngariæ ſedes: quo nomine ante appellata ſit haud facile eſt conijcere. Sita eſt in clementer ædito colle, quẽ à Septentrione Danubius alluit, quo loco ſupra infraq; urbem thermæ ſaluberrimæ mirabili

bili aquarum copia ſcaturiũt. A Meridie *amœna planicies excipit. Qua in Ortum ſpectat, arcem habet uere regiam, ſeu amplitudinem eius, ſeu magnificentiam ædificiorum & loci amœnitatem conſyderes.* In *cuius introitu (quum ego* Budæ *agerem)* Herculis *ſimulachrum uiſebatur ex ære factum tanta arte ut tori etiam & uenæ exprimerentur.* Intus *atrium excelſum magnitudinis mirandæ, in quod ex ampliſsimo circo rectis gradibus aſcenditur, tanta horum latitudine, ut uiceis etiam liceat ingredi.* Iuxta *columnæ aliquot ex ære ſolido, & effigies paſsim operis ſtatuarij permultæ.* In Regia *interiori* Bibliothecam *è* Græcis Latinisq́; *codicibus magna cura conquiſitis* Mathias Coruinus *incomparabilis* Vngrorũ Princeps *adornauerat, quam poſteri diripuere. Sed & urbs cum arce proximis annis à* Turca *capta dirutaq́;, & (ut audio) clariſsimis illis monimentis regiæ magnificentiæ ſpoliata eſt.* A Buda Meridiem *uerſus* Albanũ *eſt, uetus oppidum paluſtri planicie ſitum, hodie* Albam *uocant, &* Regalem *cognominant, quòd regum* Vngariæ *ſepultura ſit celebre.* Porrò *ea* Pannoniæ *pars quæ in* Sauum *porrigitur,* Sauia *et* Sauienſis *regio dicitur* Sexto Ruſo, *cuius hæc uerba ſunt,* Amantinis *inter* Sauum & Drauum *proſtratis, regio* Sauienſis & *ſecundorum loca* Pannoniorũ *obtenta ſunt.* Appellatur & Valeria, *qua parte à* Danubio *recedens,*

ad Draui ripam procurrit. In Sauienſi tractu eſt Sirmium uetus oppidum, iuxta quod Bacuntius amnis in Sauum influit Plinio. Hoc eſt Sirmium in quo Conſtantius Imperator Arrianis fauens concilium habuit, Oſio Epiſcopo Cordubenſi ad id euocato, & Arrianorum ſuggeſtionibus indignis modis tractato, uelut ſcripſit Socrates. Meminit eius inter Synodalia decreta D. Hilarius. Aetate enim Conſtantij in qua et Hilarius floruit, hoc eſt annis poſt Chriſtum paſſum plus minus trecentis uiginti celebris iam & decantata erat Chriſtiana religio in omnibus tam Rhenanis quàm Danubianis prouincijs. Sed & eccleſiæ fundatæ in Gallijs præcipue prima & ſecunda Germania ueteres, quarum Irenæus propinquus Apoſtolorum temporibus meminit. Habuere igitur & Pannoniæ ſuos Epiſcopos, habuit Noricum (Laureaci Maximilianus fuit) habuit Auguſta Vindelica. Cæterum poſt amiſſum limitem & Imperij Romani uires collapſas factum eſt, ut Germanorum infidelium migrationibus non nihil & de religione deceſſerit, quæ (ut fit) cõuerſis gentibus poſtremo maxime poſt Francos fidem in Chriſtum edoctos, inſtaurata eſt. Supra Sirmium Occaſum uerſus, iuxta Saui fluenta, pars Pannoniarum eſt quam Croaciam uulgo nominant, in Illyricum & Lyburnos imminens, terræ maxime fœcundæ, & multis locis uitibus conſitæ, ubi Chriſtia-

næ ec

næ eccleſiæ, & Epiſcopi qui ſcripturis in ſuam linguam uerſis utuntur, & literas habent longe à noſtris caracteribus differentes, nec abſimiles ſcripturæ Turcicæ: ſed Dalmatica ſe & lingua uti et ſcriptura ipſi affirmant. Cæterum nihil illis tutum eſt propter frequentes Turcarum incurſiones, quæ & oppidis eos & magna agrorum parte fertiliſſimorum exuerunt. Dolendum profecto principibus Chriſtianis alicubi tantum bellorum geri quò regna regnis coniungant, quàm latiſſime dominentur: hoc autem loco quo bellum geri cum gloria, addo, & cum pietate poterat, tãtopere ceſſare, nec ad lachrymas hominũ tot nominibus miſerrimorũ reſpicere, nec tueri limitem, neq; hoſtem, deſidia noſtra (ut uere Hermolaus dixit) potentem, longius arcere. Profecto iſthac ceſſatione, dum quiſq; publica ſalute poſtergata ſuis rebus conſulit, unius tantum ſæculi decurſu factum uidemus ut magnam Europæ partem ſui iuris Turca fecerit. Cæterum ut de Pannonijs finiamus, iſtud obiter notandum duximus, Quinq; prouincias, uidelicet Rhetias duas, Noricum & Pannonias eregione Germanicæ ripæ ſitas eſſe, Mœſiæ enim contra Daciam & Getarum tractum panduntur. Proinde nec alibi Romanis frequentiora præſidia amni impoſita, et plures in ſtatiuis milites fuiſſe quàm in Pannonijs, quòd formidarent gentibus Barbaris hac maxime parte non in

Et uerũ eſt qđ Franciſcus Philelphus in Epiſtolis ſuis reliquit. At Turcæ (longe) uigilat. nos dormimus.

prouincias modo fertiliſsimas, ſed & in ipſam Italiam *uiam patêre poſſe ubi ſemel ſucceſsiſſet. Sunt enim non humilia modo alpium iuga quæ cingunt* Panno*nias, ſed locis etiam aliquot peruia, ut nullo labore tranſeatur.* Enimuero *cõſtat primum omnium* Romanorum Auguſtum Cæſarem*, inſolentia* Barbarorum *& crebris in* Italiam *factis incurſionibus commotum, per priuignos ſuos* Druſum *&* Tiberium *has terras quarũ hucuſq; à* Rheni *fontibus meminimus, alpibus ſuperatis perdomuiſſe, & in prouinciarum formam modo quo diximus redegiſſe, hoc maximè tempore quo* IESVS CHRISTVS *in mundũ natus eſt. Ante ſua lingua uſos eſſe, & quidem diuerſa à* Germa*norum lingua ſunt qui exiſtiment.* Non *dubium autẽ quin poſt receptum imperij iugũ* Rom*anam pariter linguam uſurparint: nam ſi hoc ipſum nil aliud, certè ueteres inſcriptiones tot locis memoriæ dicatæ ſatis ſuperq; teſtarentur.* Et Romanis *hoc ſtudij fuit, ut cũ armis quatenus dabatur linguam quoque & mores cum inſtitutis & legibus propagarent: quæ res, ut arbitror,* Coloniarum *deducendarum præcipua cauſſa fuit.* Hodie *qui habitant (tanta rerum omnium eſt uiciſsitudo) nec ueterem nec prouincialem, ſed quam linguam migrando importarunt eam adhuc retinent.* Pannonia *autẽ inferior, antè quidem à* Germanis *occupata, maximè* Longobardis *(ut mirum non ſit paſ-*

ſim

ſim extare illic Germanicorum nominũ ueſtigia) hodie ab Vngris qui regno dedêre nomen habitatur. Quam quidẽ gentem Scythicæ originis, & quæ pars Hunnorum fuerit, in hæc loca ingreſſam, nuper primo libro rerum Germanicarũ Beatus Rhenanus prodidit. Non tacendum & Imperatores aliquot Romano imperio genuiſſe Pannoniam, inter quos Decius, Aurelianus, Valer. Probus, Flau. Valentinianus præcipui fuerunt. Aetium autem præfectum Galliarum ſub Valentiniano uirum incomparabilem Mœſia genuit, de qua nunc dicemus.

MOESIA SVPERIOR.

A Confluente mox Danubij & Saui, Mœſia ſuperior cognominata incipit, Macedonicis mõtibus à Meridie, ab Ortu amne Ciabro finita Ptolomæo. Agrum habet eximie fertilem, & Dardano amne clariſſimo rigatum. Hodie Boſnam uocant & Seruiam. Satis autem ſuperq; prouinciæ opulentia hoc ipſo deprehenditur, quòd patrũ noſtrorũ memoria regibus paruit, nec amiſit nomen, hodieq; Boſniæ regnum uocatur. Oppida Mœſiæ permulta, ſed celeberrimum quod Vngari Sinderouiam uocant, regum Boſniæ nõ ita pridem ſedes, iam Turcarũ qui utranq; Mœſiam ſuam fecerunt domicilium. In Saui clariſſimi amnis & Danubij confluente Taurunum iacet, quod

in fine Pannoniæ ſtatuit Plinius, uulgus Belgradum nõminat, oppidum eſt nomine quàm magnitudine celebrius, nec tam foßis aut mœnibus q̃ undis circumfluis tutum. Habet in colle ædito, cui imminet, arcem munitißimam, in Occaſum & Boream ſpectantem, ſubtus autem amœnam & late patentẽ planiciem, à qua ſola parte, quoniam terræ uelut continenti adhæret, obſidioni patuit: ea re factum, ut Turca oppugnare conatus ſemel iterumq́; non ſine magna ſuorũ clade repulſus fuerit. Demũ anno Dom. M. D. XXI. uiuente adhuc Vladislao rege eius Ludouici patre, qui & ipſe nuper infelici prælio cum Turcis inito perijt, ingẽtibus copijs terra atq; undis obſeſſum Selinus Turcarum Imperator expugnauit. Sed & arces aliquot fortißimas haud longe Tauruno in Saui & Danubij ripis ſitas eodem bello cũ præſidijs impoſitis & uniuerſo commeatu recepit. Hoc eſt Taurunum quod Vngari ſemel mirabili opera Ioannis Capiſtrani ſeruatũ ferunt, atq; inde apud ſodales Franciſcanos illi honores propemodum triumphales decreti, inuito quidem Ioanne Huniade, qui Capiſtrano contempto, & hanc ſeruati oppidi gloriam ſoli ſibi deberi affirmabat.

MOESIA INFERIOR.

AB hac altera Mœſia Hæmo altißimo eius tractus monte in anguſtum coacta demittitur. Gens in ea uetuſta Triballi, ſicut & in ſuperiori

riori Dardani. Rigatur & amnibus partim in Iſtrum, partim in Euxinum exeuntibus. Sed latiſsima eſt, quæ Ponto alluitur, propter Iſtrum qui haud procul Euxino ſubito in Boream, ac mox Occaſum uerſus reflectitur, & Ieraſſum ex Geticis montibus delapſum excipit, demum ingenti mole undarum, non iam amnis ſed lacus magis ſpeciem referens, uaſtis ſex fluminibus in Pontum euoluitur. Plinius author eſt ſingula ora tanta eſſe, ut probetur in quadraginta milium paſſuum longitudinem uinci mare, dulcemq; hauſtum intelligi. Certum eſt ſecundum Nilum omnium amnium Mediterraneum mare ingredientium eum eſſe maximũ. Iſter autem appellatur, unde primum Illyricum alluit Plinio, id fit ad Saui confluentem. Regio illa tota hodie Bulgariæ nomen habet, non ita pridem à claris uiris qui colonis principũ loco eſſent gubernata, quorum poſtremus fuit Marcus Craienicus, quẽ Pazaites Turcarum Imperator ſuperatum interfecit, maxima parte eius terræ occupata, quæ dein tota Turcis ceſſit. In Bulgaria Theophilactus Epiſcopus fuit, qui idẽ & Vulgarius. Præterea Theotimus Tomorum antiſtes, cuius Hieronymus in Catalogo Scriptorum meminit. Sunt autem Tomi maritima urbs, in qua exulauit Ouidius, haud longe ab Iſtropoli clariſsima quondam urbe diſtans. Nulla eſt illis in locis frugum fertilitas, ac ne cœlum quidem admodum clemens,

quanquam hodieq; & in Iſtri ripa & Euxini littore non paucis celebribus oppidis habitetur. Circum oſtia accolentibus plurimus ex piſcatione quæſtus eſt, captos magno numero euiſcerant, & ſalitos dolijs prægrandibus indunt, Pannonijs atq; etiam Sarmatiæ ea inuehentes.

THRACIA.

C. *Plinius tractum Euxini qui ab oſtijs Iſtri in Meridiem protenditur, Thraciæ tribuit, quemadmodũ lib. 3. Mela. Ptolomæus aliã quandã rationem ſecutus, extimam Mœſiæ ciuitatem Meſembriã facit, & Mœſiam à Thracia omnino ſeiungit. Nos quo diſtinctius cœptam narrationẽ proſequi poßimus, Ptolomæum ſequemur, qui Thraciam à Septentrione Hemi montis altißimis iugis, ab Ortu parte Euxini et Boſpohro, deinde et Propontidis ora, et Cherſoneſo quam Thraciã cognominat, ab Occaſu brumali Neßi, ſiue ut Pomponius eum uocat Neſti amnis oſtijs & montanis ab Orbelo digreßis, præterea & Aegeo mari terminat. In multas prouincias quondam eam Romani diſtribuerunt: nec cito neq; impune ſubacta & retenta eſt. Gentem habuit iam olim armorum gloria celebratißimam, & ſunt rerum gerendarum præſtantia nihilo inferiores maioribus qui hodie habitant. Ipſa regio claris amnibus diſtinguitur, uiro-*

rum

rorum quàm frugum feracior. Oppida plurima, quorum longe clariſsimum & maximũ memorabile Bizantium antè, poſt à Conſtantino Imperatore trecentis minimum annis poſt natum Chriſtũ magnifice extructum & munitum, Conſtantinopolis dicta, quanquam ipſe Nouam Romam uocari malebat, gratia tamen principis factum, ut ſuum non urbis nomen obtinuerit. Porrò ubi illa increſcere fama & Imperatorũ res in Oriente gerentium ſedes eſſe cœpiſſet, factum eſt ut & eccleſia & Epiſcopi eius urbis ita dignitate eminere & authoritate præſtare cœperint, ut uereri illam ceu magiſtram diſciplinarum, Epiſcopos autem ut præſides & patres honorare uicinæ eccleſiæ perrexerint. Quod enim in Italia Roma, in Aegypto Alexandria, in Syria Antiochia, hoc non in Thracia modo, ſed & Aſia uicina & Græcia propè omni Conſtantinopolis erat. Ac tali quidem honore multis ſæculis celebris. Demum, anno Dom. M. CCCCLII. quum Fridericus tertius imperare cœpiſſet à Mahomete Turcarũ principe, urbe capta omni ſimul ſplendore & dignitate religionis ſpoliata eſt, & ferri potuiſſet qualicunq; dolore unius caſus, niſi tot iuxta frequentes, præterea & Apoſtolicæ eccleſiæ pari calamitate cecidiſſent. Turcæ Aſiam ſeptingentis retro annis uexauere, gens origine Scythica, & quæ per initia apud Aſiæ Regulos ſtipendia meruerit, paulò

mox ad dominatum conuerſa quum rerum geſtarum gloria efferetur, uario ſucceſſu oppidis & agris eſt potita, nihil minus interim (quod Europeis nationibus maximo damno fuit) mercenaria. Anno enim Chriſti M. CCC. (*quo primum tempore Turcæ in Europam traiecerunt*) *inteſtinis diſcordijs agitati* Græcorum Reguli, *ad auxilia reſpicere, & ingentes illorum copias ſollicitare atque euocare cœperunt.* Quin & Palæologis, *qui tum* Bizantio *atque* Oriente *potiebantur, cõtra* Bulgaros *impetrata* Turcarum *auxilia magno uſui fuere.* Vnde factũ ut quemadmodum Cæcias *nubes, quod dicitur, ſic* Thraces *nil tale ſuſpicati longe maximum malum ad ſe traxerint, & mox hoſtem fuerint experti, quem ante auxiliarem habebant.* Siquidem Turca *prouinciam clariſsimis urbibus cultam, portuoſam, nobilibus amnibus irriguam, & quæ duabus à partibus, nempe* Boſphoro & Helleſponto, *militem facili tranſitu reciperet, unde ultra progrediendi & interiora occupandi occaſio eſſe poſſet, perſpexerat, nec mora ſpem concipit aſſequendi: quod proximis duobus ſæculis ſupra omnium expectationẽ tanto eſt ſucceſſu conſecutus, ut hodie non* Thracia *ſolũ, ſed* Mœſia *utraq; cum magna* Daciæ *parte, præterea* Macedonia, Achaia, Pelopõneſus, Epirus, Dalmatia, *et* Illyrici *maxima pars, ordine quo memorabimus, illius ditioni cõceſſerit, ut ni-*

hil

hil ſit mirum ſi tanto ſucceſſu rerũ ipſe ſupinus iam et elatione animi tumens Pannonias ingredi, et (quod inauditum antea) Norico proximam fortiſsimam urbem Viennam obſidione cingere, & in medium uſq; Noricũ & totam Valeriam tanta ſuorũ manu excurrere, fœdeq; omnia populari fuerit auſus. Sed mœrore poſito ad terrarũ deſcriptionem reuertendũ nobis. Ac primùm quidem ipſa Conſtantinopolis in molli ſinus amœniſsimi receſſu poſita, contra ſe habet Aſiæ oram pariter cultã & ſplendidam, quæ in Boſphorũ, qui hoc loco Thracius cognominatur, approximat. Boſphorus autem à bubus meabili tranſitu dictus Plinio, quoniã non latius diſtent littora quàm ut tranari bobus interfluum mare poſsit. Nec amplius hoc loco quingentis paſsibus duarum terræ partium littora diſcedunt. Alitum quippe cantus canumq; latratus inuicem audiũtur, uocis etiã humanæ cõmertia, inter duos orbes manente colloquio, niſi cum idipſum auferunt uenti, adeò tenue illic interſtitiũ eſt quod Europam ab Aſia diſterminat. Inde retroactis littoribus pateſcit mare quod Propontidã uocant Græci, quoniã contra Pontũ Euxinũ, iã dicto Boſphoro diſtincta, præiaceat, amplũ id mare nec minus ſinuoſum. Cæterum hinc ab Euxino, illinc ab Aegeo prædictis anguſtijs diremptũ ferè undiq; terris clauditur. Qua à Meridie Aegeũ imminet, longe pulcherrima peninſula Europei littoris

Aſiæ imminet, Itali *brachium* S. Georgij *uocant.* Inter *quam & contra iacentem* Aſiam, *anguſtia maris non amplior ſeptem ſtadijs* Helleſponti *nomine ab* Helle Phryxi *ſorore illic tranſuecta.* Nec *obſcura in utroq; littore oppida, ſed in* Aſiatico Troas *eſt diui* Pauli *hoſpitio celebris, de qua ſuo loco meminerimus.* Non *tacendum ijs anguſtijs quondam cōtabulatis* Xerxen Perſarū *regem in* Græciam *moturum, exercitū ſuum traduxiſſe, & diuerſo conſilio* Alexandrum *contra* Perſas & Orientem *profecturum: itidem non procul* Priapo *Aſiæ oppido, ſi* Plinio *credimus,* Macedonicas *illas uires ſuas toti* Aſiæ *terribiles tranſportaſſe: ad eum modum &* Boſphorus Bizantinus Dario Perſarū *regi aliquando peruius fuit, mox* Marathonijs *campis à* Milciade Athenienſium *duce terreſtri pugna ſuperatus.* Vt *intelligamus etiam antiquis & remotiſsimis* Aſiæ *gentibus per illas anguſtias in* Europam *ceu compendiaria quadam uia tranſitū patuiſſe.* Eum *ad modum* Anno Dom. M. CCCLXIII. Amurates Turcarum Imperator, *primus omnium ex ea gente, exercitu per* Helleſpontū *traiecto,* Seſton & Callipolim, *iuxtáq; ſitas* Cherroneſi *urbes cepit, quæ prima ei occupandæ* Thraciæ *auſpicia fuere, octuaginta nouem annis antequam* Mahometes *nepos eius* Conſtantinopolim, *ceu diximus, expugnaret.* Hæc *enim ſæpe ante longis obſidionibus tentata, quoniā maxima*

&

& munitiſſima eſſet inter poſtremas recepta eſt, & Adrianopolim clariſſimam urbem, quã hodie Andernopolim uocant, regiam Turcarũ Mahometes antequam illa caperetur, fecerat. Quod ad religionem attinet, conſtat eam urbẽ claros paſtores habuiſſe & eruditos, ſed omnium celeberrimum Ioannem Chryſoſtomum, Hieronymi & Auguſtini contemporaneum, uehementis ingenij, & moribus paululo ſeurerioribus, charum autem populo ob eloquentiam & doctrinæ puritatem, ſed aulicis Honorij & ipſi in primis Eudoxiæ Auguſtæ, quæ Arrianis fauebat, exoſus: qua de re uarijs diſſenſionibus Cõſtantinopoli exortis, ſæpe pulſus Chryſoſtomus, & ſæpe populi maxime fauore adnitente reuocatus. Poſtremo Arrianis quibuſdam Epiſcopis calũniantibus quòd Origenis libris plus æquò faueret, præterea præfractus et ſuperbus eſſet, fruſtra renitente populo, ciuitate pulſus, & principis iuſſu in exiguum Armeniæ oppidum Cucuſum dictum, quo exularet eſt deſtinatus: inde & "Pthyuntem Ponti locum ueniſſe Theodoretus ſcripſit. Poſtremo itinere fatigatus, cum ardorem ſolis ægrè tuliſſet, ex capitis dolore mortuus eſt.

"Phyjunte

MACEDONIA.

SVpra Thraciam in Occaſu ampliſſima Macedonia excurrit, regnum quondam Philippi patris, & mox Alexandri filij imperio etiam orbis ter

Macedonia olim Emathia dicta fuit. ... est testis Pli. li. 4. ca. 10. et habet descriptionem in eodem loco. et li. 3. ca. 23. ... Pro lo. li. 3. ca. 13. Pom. Me. li. 2. Macedones proprios fuisse ad ministrandam eleemosynam fratribus. Paulus indicat 2 Cor. 8. Ro. 15.

rarũ magni. Plinius quinquaginta populorũ frequentia habitatam fuiſſe indicat. Hodie uniuerſa Turcicæ ditionis eſt. Habet ab Aquilone alpium iuga illa quorum ante meminimus, à Mœſia Dalmatiaq; diſterminantia eam: à Meridie Acrocerauniјs & Pindi montis lõgo procurſu ab Epiro ſeiungitur: qua Theſſalia atq; Magneſia eſt à ſinu Maliaco & Sperchio amne memorabili, Græciæ quæ Achaia dicta eſt coniungitur. Latus occiduum mare quod Ionium ac mox longius ingreſſum Adriaticum appellatur, recto admodum littore claudit. Ab Ortu itidem ingens pelagus, crebris magniſq; ſinibus alluit Aegeum mare, præterea & Macedonicum, quáq; Græciam excipit etiam Græcienſe dictum Plinio. Terra circũquaq; fertilis et claris amnibus, præcipue Strimone atq; Axio, q Dardanijs iugis delapſus ampliſſimum huius littoris ſinũ qui Thermaicus dicitur influit. Sub Achaia autẽ qua Theſſalorum ager panditur, longe amœniſſima eſt. Porrò ſub Philippo & Alexandro, rebus dum Macedonicis florentiſſimis cultiſſimam fuiſſe conſtat: poſteris annis Romani illos, quoniam Chartaginenſes iuuiſſent, uexauerunt, & uiginti annorum bello, uario caſu, nec parua ſuorum clade deuicerunt. Quo tempore Paulus Aemilius hac regione uaſtata, LXXII. urbes direptas uno die uendidit. Cæterum ut in agris fruges plerũq; aut grandine aut niuibus afflictæ reuirescunt,

reſcunt, & ad maturitatē perueniunt: ſic urbes bello diſiectæ pace reſtaurantur, interdū et cū potentiæ acceſſione. E Thracia igitur Macedoniā ingredientibus prima obtingit Neapolis maritima ciuitas Ptolomæo et Plinio. Ad quā Apoſtolus Paulus de petēda Macedonia uiſione monitus, Timotheo & Sila et Luca comitibus appulit, ceu 2. libro cap. 16. & 17. ipſe Lucas ꝓdidit. Inde remotior à mari et ad flumē Strimonē uerſa, haud longe ab Amphipoli, Philippi, colonia, celeberrima quondā urbs à Philippo rege nomē adepta, iuxta quā Philippici cāpi, in qbus M. Brutū et C. Caßiū Dictatoris interfectores Auguſtus Cæſar fudit. Philippis Paulus Lydiæ Thyatirenæ hoſpes, ob Chriſtū prædicatū et impoſturā dæmoniorū ſpeciem pietatis præ ſe ferentiū detectam & coërcitā cū Sila et uirgis cæſus & in carcerē coniectus eſt, nō ſine fœnore tamē perpeſſæ ignominiæ, plurimis enim ad Chriſtū cōuerſis eius eccleſiæ prima tum fundamenta iacta ſunt, quam paulò mox miſſa ex urbe Roma epiſtola ceu adultā & quæ indies magis ac magis ſynceritate ac ſanæ doctrinæ cognitiōe ꝓficeret, alloquitur. Nec tacendū ex hac urbe alteram ad Corinthios Epiſtolā mißam eſſe eo tēpore, quo Apoſtolus Macedonia iam tertiū peragrata in Aſiā ꝓperauit. Proximè Philippis in Occaſū brumalē Amphipolis iacet, Athenienſiū aliquādo colonia, quā Strimō amnis ex Hæmo, ut ait Pli. delapſus,

Neapolis.

Philippi.

Acto. 16.

2. Timo. 4.

Ad Ti. 1.

Acto. 20.

Amphipolis.

peninſulæ forma amplectitur, à quo ſitu urbi poſtea nomen datum. Trans Strimonem Athos eſt mons cõtra *inſulam* Lemnon *porrectus, quem* Xerxes *rex* Perſarum *continenti abſcidit.* Pomponius *ita elatũ eſſe tradit, ut credatur altius quàm unde imbres cadunt ſurgere: accolas eius* Macrobios, *à uitæ arbitror diuturnitate ueteres uocarunt. Supra* Athon Meridiẽ *uerſus aliquot ſinus cũ promontorijs, ſed lõge maximus eius littoris, non amplo introitu, cæterũ late ſeſe in terras recipiens, quẽ à* Mecyberna *urbe* Mecybernæũ Pomponius, *alij à* Therma *oppido* Thermaicum *dixere.* Axius *amnis* Macedonicorũ *clariſſimus medium illũ illabitur, infra cuius oſtia longo flexu littorum ſita eſt liberæ iam olim conditionis* Theſſalonica, *ſupra quã in* Occaſum Solſtitialẽ *longius à mari remota* Apollonia *illa iacet, qua & Amphipoli è* Philippis Theſſalonicam *ueniſſe* Paulum Lucas Act. 17. *innuit. Cæterum et aliæ quoq; in* Macedonia Apolloniæ *memorantur, quarum altera iuxta* Ionium *contrapoſito* Occidentis *latere ſita, quæ* Auguſtũ *literis & diſciplinis inſtituit: alteram in* Atho *monte cenſet* Plinius. Inter *illam noſtram et* Theſſalonicã Achedorus *amnis defluit.* Theſſalonica *(penultima producta, contra uulgi uſum, ceu* Valla *in* Nouum Teſta. *Annotationibus tradit)* Macedoniæ *metropolis, in qua* Iaſon, *pius homo, qui* Paulũ *eum ſuis hoſpitio excepit, apud quem longiuſcule moratus*

Apollonia.

Theſſalonica.

Acto. 17.

ratus (trium enim ſabbatorum Lucas meminit) in multo certamine Chriſtũ docuit. Sed quũ Iudæorum ueræ pietatis acceßionẽ inique ferentium maxima inuidia premeretur, atq; inde concitato magiſtratu res periculo proximæ eſſent, nocte intempeſta emiſſus cũ Sila in Berrhœam abijt (Berrhœæ etiã Plinius inter urbes Macedoniæ meminit) ex qua rurſum Iudæorũ perfidia agitatus, à fratribus Athenas uſque deductus eſt. Vnde cum illi redeundi Theſſalonicam animus eſſet, & ei propoſito tantopere ſathanas obſtaret, qui in ſuis, hoc eſt huius ſæculi filijs perpetua aduerſus pietatem conſilia meditatur, factũ, ut quos coràm docere non daretur, literis binis ex Athenis per Timotheum mißis, & cõſolatus ſit & inſtituerit, quibus Epiſtolis adhuc illæſis eccleſia utitur. Dolendũ autẽ hanc præclaram & tantarũ rerum memoria celebrem urbem, quæ haud multis retrò annis in Venetorum poteſtate erat, à Ioanne Manuelis Imperatoris Conſtantinopolitani filio tradita iam in Turcarum manu & ditione eſſe. Idem enim ille Mahometes, qui Bizantiũ expugnauit, Theſſalonicen reipublicæ Venetæ ꝑ uim ademit. Sed & Pella urbs duobus alumnis Philippo Græciæ atq; Alexandro etiã Aſiæ domitore maximè illuſtris aliquando fuit. Littore autẽ occiduo inter plures maxime clara eſt Dyrrachiũ, Epidamnos aliquando dicta. Quam Anno Domini M. CCCCXCIX.

Berrhœa.

1. Thes. 2.

Pazaites Turcarum imperator eius Selini qui hodie rerum potitur parens, Venetæ reipublicæ iure belli abſtulit, cultam nimirum & Chriſtianæ profeßionis diſciplina, quum tenerent Veneti, celeberrimam.

GRAECIA ET ATTICA.

IN Macedonia, paulò ſupra, Theſſaliã & Magneſiam, Ptolomæũ ſecuti, numerauimus: nã & Pomponius in ea iam dictas regiunculas cum Pthiotide cenſet. Clari in illis mõtes, Olympus, Oſſa, Pelion, Oeta, gygantum fabula belloq; memorati, inter quos Tempe illa Theßalica ſingulari amœnitate. Et iuxta ſita oppida celeberrima, quæ enumerare neceſſe non eſt, cũ omnia ſint ab idoneis authoribus diligentißime tradita: & nobis ut in Epitome ſummas tantũ rerũ ſequi placuit. Græcia igitur à Septentrionibus Theßalia finitur, amne et ſinu ſupra memoratis. Ab Occaſu Acheloi celeberrimi amnis oſtia excipiunt, ultra quẽ mox Epiri tractus incipit. Ab Ortu Solſtitiali & Aequinoctio Aegeũ continẽter pelagus alluit frontẽ quæ tranſuerſum inter Notũ et Eurũ extenditur, ſummoq; angulo Suniũ promontoriũ ſuſtinet, mari Myrtoo alluitur, id inter Aegeũ & quod Creticum Ptolomæus uocat etiam Cycladas interluit. Meridianum latus ferè medium Iſthmus excipit, quo Peloponneſus Atticæ adnectitur. Cætera ab Ortu ſolis Aegæum pelagus, ab

Occa

Occaſu Ioniũ lambit: & quod admiratione dignũ ſit, quinq; milium tantum paſsuum lata terrarũ his locis anguſtia, hinc & illinc urgentium undarum impetũ tanto ſæculorum decurſu tam pertinaci littorum obſtantia ſuſtinente, ut etiam transfodere conatis ſeſe impatientem præbuerit. Demetrius rex, Cæſar Dictator, C. Caligula, Dom. Nero, magnis conatibus transfodere aggreſsi cœpto deſtitere. Græcia igitur à Græco rege ibi nato dicta eſt Plinio. Hellas autem quemadmodum lib. 8. Strabo tradit ab Hellone Deucalionis et Pyrrhæ filio. Ptolomæus lib. 3. longe à Plinio diuerſus totum eum tractũ Achaiam uocat, cũ hoc nomine non Hellada ſed Peloponneſum Plinius ambiat. Dicitur & Attica, quæ Græcia, quod Attis omnium Achaiæ regionum celeberrima fuerit, ipſasq; Athenas principẽ urbem non imperij ſolũ late quondã dominantis, ſed & artiũ omne genus et ingeniorũ præſtantiſsimorũ alumnã habeat. Secundũ Attida et Megaris fuit clariſsima pars Græciæ. Dein Locris, Phocis, Bœotis. Nec mirũ hãc Europæ portionẽ tãtopere increbuiße, ac non urbes ſolũ ac populos, uerũetiã res ab illis geſtas tãta cura literarũ monumẽtis mãdatas fuiſſe: quando hæc eloquẽtiæ bonitas eſt, ut ne paruis quidẽ rebus ſuã lucẽ deneget, ac ne fontes quidẽ ac nemora faſtidiat, ſed et noxijs interdũ nec dignis laude ad ſui oſtentationẽ laudis aliqd impertiat: quanto

munificentiorem in tanta rerum memoria fuiſſe credimus? Nihil enim eius terræ latere potuit, in quã à tot partibus orbis, tot inſulis, per tot marium facilem aditum, tam creber gentibus omnibus acceſſus patuit. In Bœotia quà in Ortũ & Eubœam inſulam Græcia panditur, Thebæ illæ fuerunt, Epaminunda duce & uate Pindaro ueteribus memoratæ, hodie tantæ urbis loco humile caſtellum eſſe tradunt. Athenarũ ueſtigia magis inſignia extant, cum arce quondam Mineruæ ſacra, etiamnum munitiſsima. Quam patrum noſtrorũ memoria Florentinus quidam ex Aciaiolum familia, quũ ſæpe multumq; Latinorũ auxilia imploraſſet, nec impetraret, Mahometæ Turcarum Imperatori pacto interueniente contradidit. Hæ ſunt Athenæ quas ſapientiæ fama tot ſæculis celebres, primùm Paulus uera ſapientia illuſtrauit. Non Socrates, non Plato hoc dedere lucis & intelligentiæ ſuæ urbi, quod humilis & à recenti uirgarum cæde madens Apoſtolus impertijt. Tractauerant illi philoſophiam, ſed carnis, profeßi interdum nihil ſcire ſe, & dubitare potius quàm definire. Hic cœleſtia profeſſus ſtultitiam CRVCIS prædicauit, nihil hæſitans certa indubitataq; eſſe quæ doceret. Proinde in Martio illo uico qui celeberrimus Athenis erat frequenti auditorum corona ſeptus, nullo ſermonis fuco, ſed nuda apertaq; aſſeueratiõe, unũ illis Deũ quẽ uel ignorantes colãt ob oculos ponit, pariter

Athenæ.

Acto. 16.

Vide 1. Cor. 1. 2.

riter

riter & ridiculã pſuaſionẽ eorũ arguens,qui in rebus magno ſumptu cõparatis cultũ diuinũ ſtatuerent, nec intelligerent hoc ſe uelut ſuũ oſtẽtare quod alienum eßet, nempe illius beneficẽtiæ acceptũ referendũ,cui & uitam,qua nil haberent pretioſius, deberent: una cordis puritate et humilitate illum coli,ſpiritum eſſe, ſpiritalibus honorari, cuius gloria iam propius emicuerit,adnunciata per filium:filium inquam, non aliud poſcentem,quàm ut poſt perſpectam dei miſericordiam uitam in melius commutemus, quo demum ſalui eſſe & uiuere cum illo queamus, qui mundum eſt iudicaturus, &c. quam hiſtoriam Lucas prodit Act.17. Ceterũ hac Apoſtoli ſapientia paucis annis ita aucta eſt religio noſtra, ut inter præcipuas eccleſias Athenienſium fuerit. Mox paulò Quadrato Epiſcopo uiro doctißimo clara, quem ſub Adriano floruiſſe conſtat, annis poſt Chriſtum paſſum circiter nonaginta, poſt Paulum autem plus minus ſexaginta.Porrò annis aliquot poſt initum à Claudio principatum, Paulũ Athenas ueniſſe hoc ipſum conuincit, quòd inde Corinthũ profectus Aquilam Iudæum Ponticum,Luca teſte,reperit, cũ cæteris Iudæis ex Imperatoris decreto urbe Roma pulſum: quam rem nono Claudij anno accidiße Ioſephus tradit.Illud obiter notandum,Quadratum illum & Ariſtidem Athenienſem primos ad Adrianũ Cæſarem,tum Athenis agentẽ apologias, id eſt,libros

Ioan. 4.

Acto. 18.

defenſorios pro Chriſtiana religione ſcripſiſſe. (Quadrati quidem librum ut dignum Apoſtolica doctrina Hieronymus ualde commendat.) Neq; defuit pretium operæ, Adrianus æquitate rei cõmotus, Minutio Fundano Proconſuli Aſiæ ſcripſit, ne quem Chriſtianum non conuictum de crimine damnari ſineret, &c. Extat Epiſtolæ exemplum apud Eutropium in Adriano. Horum poſtea conſilium imitati clariſsimi uiri, ſubinde principes à perſecutione Chriſtianorum commendatione ueritatis id genus libris auertere ſunt conati. Sic Iuſtinus martyr ad Antoninũ Pium: ſic ad Verum Cæſarem Melito Sardenſis, & Apollinaris Hieropolitanus Epiſcopus Apologetica ſcripſerunt: ſed & Miltiades illos ſecutus eſt, & Tertullianus, cuius hodieq; Apologeticus extat.

PELOPONNESVS.

CLariſsima omnium peninſularum Peloponneſus eſt, & ut Plinius ait, haud ulli terræ nobilitate poſtferenda, inter duo maria, Aegeum & Ionium, Platani folio ſimilis, hodie Moream uulgus uocat. Vniuerſam autem in ſex regiones diuiſit Pomponius, Argolin, Laconicen, Meſseniã, Achaiã, Elin, Arcadiam. In ſingulis gentes olim eximie claræ, & oppida clariſsima fuerunt: ſed ad Iſthmum condita urbs Corinthus. *Corinthus, Romana colonia, adeo quondã celebris, ut M. Cicero pro Pompeio totius eam Græciæ lumen*

appellauerit. Arcem habet æditam, & utraq; maria contuentem, quæ ueteri nomine Acrocorinthus dicta eſt. Eam urbem quum multos ante annos Romani L. Mumio duce uaſtaſſent, Auguſtus Cæſar loci commoditate et ueteri memoria claritudinis motus, reſtaurandam exiſtimauit, colonis Libertini generis cò miſsis. Ceterū Corintho proximum in Ionij maris littore ſitum oppidum Lecheū cum nobili portu. Contra quod in Aegeum & Ortum ſpectans, & ipſum nobili portu clarū Cenchreas uocant, nauali Corinthiorū celebres. Corinthi Paulus magno negotio ſeſquianno Chriſtum docuit, Iudæorū inuidia & calumnijs, quemadmodū ante in Macedonia, uarijs modis agitatus. Enimuero poſt deuictā à Romanis Palæſtinam, quod Pompeij ætate cōtigerat, cum uaſtata Hieroſolyma, & prophanatum templum tot Iudæorum milibus occiſis iaceret, immigrare illa gens alijs terris cœpit, & pars iam Romani imperij facta, ſuo uelut iure in agros urbesq;, quatenus imperium patebat, inq; ipſam imperij ſedem Romā admiſſa eſt. Et (quod merito cogitanti admirationem pariat) in tanta idololatriæ Gentiū peruicacia, & ritibus tam ſeuere cuſtoditis, religionē etiam ſeruare, & extructis ſynagogis colere eam & frequentari Iudæis permiſsū. Etſi moleſti ſubinde gentibus illorum mores, & quod procliues ad ſeditiones uiderentur, nonnihil de dignitate detraxerat, ſed &

Acto. 18.

admißi magis quàm recepti, perpetuo odio gentium premebantur. Ea *maximè cauſſa factum eſt, ut ad primam famam apoſtolicæ doctrinæ territi, quoniam legem aboleri & eleuari ceremonias ſynagogæ intelligebant, præterea ueriti ne illius occaſione maiori grauarentur inuidia, quæ illis denuo exitio eſſe poſſet, ſummis conatibus* Euangelio Chriſti *ſeſe oppoſuerũt,* Paulũ *præcipue deteſtati, qui quod antea damnaſſet, demum tanta cũ grauitate et diligentia tueretur.* Hæc *paucißimis libare uolui, ne cui in locorum enumeratione ſcrupuloſa eſſet tam frequens* Iudæorum *in omni* Aſia Europaq́; *his maxime locis ad quæ* Paulus *acceßit memoria, & ut conſtaret illos non ſolum religionis, ſed & priuati commodi gratia tam præfracte aduerſus* Chriſti *miniſtros tumultuari uoluiſſe.* Nunc *ad inſtitutum reuertendum.* E Cenchreis Lucas *tradit ſoluiſſe* Paulum, *& in* Syriam *nauigaſſe, quoniam in* Ortum *&* Aſiam *erat nauigaturus: iam enim dictum à nobis ab* Ortu Cenchreas *mari appoſitas, in quibus clarißimum* Corinthiorum *nauale fuerit.* Sed *&* Cenchreenſis *eccleſia* Paulo *memorata,* Rom. 16. *ex qua* Phœbe *illa ſedula miniſtra, quam* Romanis *tantopere commendat* Apoſtolus, *et cui ſuam ad* Romanos *ſcriptam* Epiſtolam *perferendam dedit, quum iam ſecundario* Corinthios *acceßiſſet, tempore haud ita multo ante ſuum in urbem aduentum.* Haud *procul* Corintho

Cenchreæ.

Consulito [illegible] Rom. 9. 22. 26. Gala. 1. 1. Corin. 15.

Acto. 18.

tho urbs fuit maxime celebris Micenæ. Interius Lacedæmon, cui Lycurgus leges dedit, urbs olim uictorijs terra mariq; partis nobilis, diſciplinæ autem ſeueritate omnium præſtantiſsima. In Occaſum uerò brumalem conuerſa ciuitas Methone, quæ adhuc extat, et uulgo Modona dicitur. Veneti eam eodem bello quo Dyrrachium, de quo ſupra diximus, amiſerũt. Hodie tota Peloponneſus Turcis paret, multis quidem annis aliquot Regulorum Græciæ, quos ipſi Deſpotas uocant, ſingulari fortitudine defenſa, cæterũ auxilijs deſtituti, cum impares eſſent uiribus & hoſtem tantum diutius ferre nequirent, rebus fractis uicti ſubiugatiq; non regnant iam qui ſuperſunt, ſed ſeruiunt.

EPIRVS.

Extimus in Occaſum tractus Græciæ Aetoliæ nomen habet, Acheloi fluminis oſtijs ab Acarnania, quæ prima Epiri pars eſt diſtincta. In qua præter alia memoratũ oppidũ eſt Calidon, præterea & Naupactus amœniſsimi ſinus receſſu poſitũ, nunc Lepauthum uulgo dicitur, ditionis non ita pridẽ Venetorũ, ſed Turcica claſſe illis per uim adempta, eo ipſo tempore, quum in Macedonia Dyrrachium, in Peloponneſo Methonem amiſerunt. Trans Acheloum Epirus eſt Pyrrhi quondam regnum. Mons Pindus à Macedonicis populis ab Aquilone diſterminat,

à Meridie mari Ionio, ab Occaſu eodem, ſed in Adria flexo alluitur. Gentes in ea iam olim celebres, Triballi, & Moloßi. Nuſquam lata eſt, crebris autem diſtincta ſinibus, quorum primus qui & maximus Ambracius eſt, ab Ambracia oppido intimo in receſſu ſito nominata. In cuius ferè extimo flexu maritima urbs Nicopolis, ab Auguſto poſt Actiacam uictoriam condita, & ob deuictum Antonium, quo duraret memoria, ſic appellata. In hac Paulus hyemauit, & eam quæ ad Titum miſſa eſt Epiſtolam ſcripſit, magno argumento & in Epiro & iuxta iacentibus locis Apoſtolũ Euangeliũ Chriſti prædicaſſe. Ab Hieroſolymis enim & circũiacentibus regionibus uſq; ad Illyricum impletũ ab ſe Euangeliũ Chriſti, ipſe docet Rom. 15. In Epiro Butroton fuit uetus oppidũ. Montana autem qua altißimis iugis in Ionium exeunt, Epirum finientia, Acroceraunia dicuntur Ptolomæo, Chaonibus & Theſprotis circũaccolentibus. Memoratur & Tomarus mons centũ fontibus circa radices, Theopõpo celebratus, Plinio. Hodie regio illa tota tot urbibus celebris, tot gẽtibus habitata, ſub Turcarũ ditiõe eſt, Acroceraunijs gentibus liberis antea, paucos ante annos in totũ ſubactis.

Nicopolis

Ad Ti. 3.

DALMATIA.

A Ceraunijs montibus littora primùm ab Ionio pelago recedentia anguſtum mare admittũt. Intus habet Croià, quæ ante Troia dicta, quã

grauißimis

grauiſsimis obſidionibus preſſam, demũ Turca cepit. Iuxta anguſtiam maris Oricũ oppidũ fuit, hodie Vualonam, ni fallor, accolæ uocant, inter quod & contra poſitum Italiæ littus, non amplius centũ milliũ paſſuũ intereſt. Quod interuallũ pedeſtri continuare tranſitu pontibus iactis primùm Pyrrhus Epiri rex cogitauit, poſt eum M. Varro cum claſsibus Pompeij pyratico bello præeſſet: utrunq; aliæ impedicre curæ, ut libro 3. Plinius tradit. Regio tota hodie Albania dicitur, quã nos ex Ptolomæo & Plinio in Macedonia cenſuimus, teſtati hãc nõ Aegeo tantũ, ſed et Ionio mari allui. De Dalmatia igitur ꝓxime nobis dicendũ. Hæc Plinio et Ptolomæo à Liſsa oppido maritimo, qua Macedoniæ proxima eſt, decurſu littoris ad Scardonã uſq; pateſcit, à Septẽtrione Liburnia finita, ab Ortu autem iiſdẽ montanis clauditur quibus ſupra à Saui & Danubij confluentia prouinciam Mœſiam ab Occaſu terminabamus. Regio fertilis & populoſa, hodieq; præclaris oppidis habitata, quanquã florentiſsimã quondam et innumeris ciuitatibus cultam Auguſtus Cæſar graui bello illato fregit uaſtauitq;, multis oppidis dirutis. Dein Gothi per Pannonias ingreſsi, haud minore clade affecere. Poſtremo & à Turcarũ acerrimis incurſiõibus uexata, afflictaq; eſt. Oppida notiora ſunt Epidaurus, diuerſum ab Epidãno Macedoniæ. Iuxta cuius ruinas hodie Raguſium cernitur, clarum cum arce

munitiſsima,ſuiq; iuris,niſi quòd annuo tributo Turcam placat. Lõgius à mari nobilis ciuitas Scodra,quã Scutarim uulgo uocant, aliquando ſub ditione reipublicæ Venetæ,nunc Turcæ paret,duriuſculis pacis firmandæ conditionibus illi conceſſa. Celebris eſt & Scardona Illyricorum campeſtribus proxima. Eſt & Delminium hodie Dama: præterea Sicum marmore memoratum, & in littore ſita Salona colonia. In Dalmatia interijt Stridonis oppidum in confinio Pannoniæ ſitum, Diui Hieronymi patria,ſed profectò ob tanti uiri memoriam, etiam uaſtatum,deleri atq; interire nequit. Hodie magna Dalmatiæ pars ditionis Venetorum eſt, primaq́; terrarum omnium à Thracia & Conſtantinopoli,quæ eccleſias etiamnum & Epiſcopos habeat incolumes,& quibus hoſti proximis pace & tranquillitate Chriſtum profiteri liceat. Hæc eſt Dalmatia quæ Diocletianum Cæſarem genuit, crudeli & exitiali in Chriſtianos animo:quippe qui præter innumera ſuppliciorum genera per quæ ſuam in noſtros carnificinam exercuit,in libros etiam & ſcripturas ſæuijt. Præterea anno imperij ſui decimonono menſe Martio ſolennibus Reſurrectionis appetẽtibus, per edictum omnes toto imperio Chriſtianorum eccleſias dirui & æquari ſolo iuſsit. Hæc eadem eſt Dalmatia quæ Hieronymum ceu patronum eccleſiarum, & quem nemo Latinorum lucubrando uicit, nobis dedit.

dedit. Tam uere igitur quàm eleganter à Sulmonenſi uate dictum eſt: li. 1. de reme. amo.

Terra ſalutiferas herbas eademq; nocentes
Gignit, & urticæ proxima ſæpe roſa eſt.

ILLYRIS, LIBVRNIA, ISTRIA.

A Scardona iam Illyria, & eius pars Liburnia eſt, æquæ cum terra Dalmatica amplitudinis, & pari montium iugo à Pannonijs qua in Boream & Ortum Solſtitialem abit finita. Occidua & Meridiana parte Adriatico mari terminatur. Cæterũ à Dalmatia decurrens regio, hinc mari illinc montibus coërcita ſeſe faſtigiat, ſubinde anguſtior, & qua in Iſtriam immittit anguſtiſſima. Veteres coloni Illyrij et Liburni literarum monumentis celebrati, neq; obſcuri armorum gloria, quippe qui & Romanis negotium fecerint bellis Punicis, quum Teuta regina in illis locis rerum potiretur. Hodie gens frequentiſſima Sclauinorum habitat, de quibus alio in loco diximus cum admoneremus Croatos illis imminere, quorum Eccleſiæ non paucæ ſua lingua, quam Dalmaticam iactant, in ſacris etiam utantur, & in eam uerſas ſcripturas legant. Maxima Liburniæ atq; Iſtriæ pars hodie ditionis eſt Venetorum: quædam & ad Pannonias attinẽt. Maritimorum oppidorum, in intimo ſinus Adriatici receſſu poſitum Tergeſtum cum arce & portu, prin

cipũ Auſtriæ eſt. Et ſupra Iuſtinopolim ſita Flamona, quam Flumonam cognomine Sancti Viti dicunt. Sub Scardona maritima eſt Iadera colonia, ſupra quã clarus amnis Ticius. Item Narona, & Pola, à qua Polaticus, hodie Polenſis ſinus dictus. In Illyrio fuit Sardica illa iuxta Mœſiam & Dacias Aureliani, in qua, uelut tradit Theodoretus, Conſtantio iubente Concilium actum, quum Vrſatius Mœſorum, & Valens Myrſorum Pannoniæ epiſcopi, Arrianorum factionis rebus nouis ſtuderent, idq; Conſtantio fautore. Quod Concilium poſtea Sardicenſe dictum eſt. Parentum oppidũ hodieq; non incelebre, cuius & Plinius hoc tractu meminit. Amnes toto hoc latere Drino Dalmatiæ & Narbon, præterea & Drinus, Illyridis autem Ticius. In Iſtria Arſia fluuius quo Italiã Plinius finit. Cæterum Pomponius etiam Iſtriam Illyridis nomine amplexus, Tergeſto Illyricum terminat. Inter Tergeſtum & Flamonam Iuſtinopolis eſt ditionis Venetorum, clementer ædito colle & circumfluo mari ſita, quam uulgus, quoniam præcipua ſit Iſtriæ ciuitatũ, Caudiſtriã, id eſt caput Iſtriæ appellauit. Supra Iſtriã Illyrico hodie attributum clarum oppidũ Nauportus, cum amne eiuſdẽ nominis, Plinio. Aeneas id eſſe autumat quod hodie Labacum uocitent, ſub Carnicarũ Alpium radicibus, nec longe à Saui fontibus ſitum. In eo eſt Baſilica epiſcopalis, cuius ferè uniuerſa diocœſis Sclauinorum gentis eſt.

ITALIA.

A Tergeſto in Boream conuerſus, haud amplo terræ interuallo, rurſum immani altitudine Alpium iuga tolluntur, quæ quidem recta in Occaſum tendentia, in Veragros uſq; & Sedunos prominent, atq; hinc in Auſtrum flexa, Liguſticum pelagus fronte excipiunt, quæ Nicæam uetus oppidum, quod hodie Niſſam uocant inſinuat, & Varum amnē hac à parte prouinciæ terminum fundit. Inter Varum igitur & Tergeſtum quicquid gemino mari & Alpibus cingitur, id totum Italiæ tribuitur. Mare quod ab Occaſu & Meridie terras cohibet iuxta Alpes Liguſticum, dein Tyrrhenum, præterea & Inferum appellatur. Quod ab Ortu ingruit in receſſu Adriaticum, ubi primum ingreditur Ionium, & in totum Superū dictum eſt. Frons Italiæ itidem Ionio mari clauditur, ampliſsimis aliquot ſinibus admiſsis, quorum qui eſt maximus Tarentinus uocatur. Porrò à Pœninis Alpibus (de quibus ante dictum eſt) haud longe ab Infero mari, mons Apœninus exortus continenti iugo primū in Ortum uerſus, mox ubi Rubiconem amnem emittit, in Ortum Brumalem flexus, mediam Italiam ceu dorſo quodam exaſperat. Demum ubi Tarento approximat, uelut undas declinaturus diſpaleſcit in cornua: atque hinc quidem Calabros amplexus, ubi ſitum eſt Brunduſium, in Ionium: hinc Lucanorum

agrum ingreſſus alto promontorio in Tyrrhenum *im mittit,ſed & fronte pertinaci ad fretum uſq; Siculum porrigitur.*Fuit *tempus quum ea tantũ pars quæ trans* Apœninum *&* Rubiconem *fluuiũ in* Meridiem *panditur,*Italiæ *tribueretur,citra autẽ* Gallia *eſſet,* Togata *&* Citerior *nominata. Sed frequentibus colonijs in eo agro deductis,accidit ut cum legibus pariter atque moribus nominis dignitate propagata,*Italia *ad* Alpes *uſq; conceſſerit.*Vrbes *eius atq; amnes, & quæ in totum memoratu ſunt digna,enumerare priuati temporis eſſet: quum ſit* Italia,*non cœli ſolum clementia & locorum amœnitate, ſed & portuum ſinuumq; commoditate,præterea & gentium et urbium frequentia omnium* Europæ *regionum citra controuerſiam floretiſsima.*Maximos *amnes ædunt* Alpes, *&* Apœninus *uelut in hoc à naturæ benignitate* Italiæ *impoſitus, ultro citroq; non amnes modo riguos fundit & fontibus ſcatet,uerumetiam paſcuum agrum exhibet, & alicubi thermis maxime ſalutaris, & fodinis maxime beneficus eſt.* A Tergeſto *igitur* Carni *habent et* Veneti,*quorum urbs clariſsima* Venetiæ,*in* Adriatico *ſita,cultu,legibus,inſtitutis,ciuilitate, potentia nõ urbibus modo liberæ conditionis multis, ſed et regnis aliquot præferenda, quandoquidem regna poßidet ipſa & moderatur.* In *continente uetus illa* Aquileia *eſt ditionis* Venetorum *ad* Natiſonem *amnem ex* Car

nicis

nicis iugis delapſum poſita, quæ Patriarcham habet, cæterum hodie, ut in ruinis, urbis magis ueſtigia quàm urbem cernas. Ab ea non longe Altinum eſt etiamnũ celebre. Poſt tractum autem Foroiulienſem, quem fer mè totum Veneti poßident, Patauiũ, Brixia, Vincentium, Verona, clarißimæ & munitißimæ urbes, & quæ ſub Rheticis Alpibus eminet Bergomenſis ciuitas, cum iuxta ſitis claris oppidis ditioni Venetorum parent. Horum finibus Atheſis clarus amnis ingreſſus ab Alpibus ſuo alueo in Adriaticum euoluitur. Mantuam Mintius fluuius ex amœnißimo lacu Benaco emiſſus cingit. Nec procul Bergamo, Abdua ex Lario lacu (in cuius ripa Comum ſitum eſt uetus oppidum) in Padum illabitur. Padus ipſe Pœninis iugis, ſiue ut Pomponius ait, imis radicibus Veſuli montis exortus, per mediam Togatam deſcendens, Adriaticum ingre ditur. Et conſtare uideo, nullum amnem eſſe qui breuiori curſu maiorem aquarum uim colligat. Non enim amnes tantum, ut Plinius ait, Apœninos Alpinosq; na uigabiles capit, ſed lacus quoq; immenſos in eum ſeſe exonerantes: omni numero triginta flumina in mare Adriaticum defert. Mediolanum magnitudine & potentia celebre, longe celeberrimam facit Ambroſij me moria. Qui quidem conſulari dignitate prouinciam Liguriam adminiſtrans, poſt Auxentij epiſcopi mortem, Catechumenus, in epiſcopum lectus eſt, Anno

Vincentia.

Domini circiter CCCLXXX. Valentiniano Cæſare inuitum adhortante. Cuius uiri quantus amor innocentiæ & religionis, quantaq́; diſciplinæ ſeueritas fuerit, hoc uno facinore pleno magnanimitatis deprehenditur, quod Theodoſium Imperatorem ſuum, quia Theſſalonicæ ob unius militis per tumultum interfecti caſum impotentia quadam animi commotus, aliquot milia ciuium trucidari iußiſſet, à ſacris & communione eccleſiæ ſuæ coërcuit, donec publica pœnitentia princeps ille humiliatus, coram omni cœtu fidelium indigne ſe egiſſe confeſſus eſſet. Habuerunt & Vercellæ eodem tractu Euſebium epiſcopum eximie à Hieronymo laudatum, qui ſub Valentiniano & Valente floruit. Sed & Maximus Taurinenſis præſul Gennadio celebratur, ſub Theodoſio & Valentiniano clarus, cuius Homeliæ paßim leguntur.
Ipſa Auguſta Taurinorum cognominata quondam Colonia, ab Alpium radicibus haud longe Vercellis abeſt, hodie Taurinum, ditionis principum Sabaudiæ, qui à Iuraſſo monte, & Lemanno lacu, in toto illo Alpium in Liguſticum abeuntium tractu, & utroque à latere late patentem, & eximie fertilem, urbibusq́; & oppidis cultam regionem, cæterum qua Italiam proſpicit (Pedemontana hodie dicta) longe cultißimam, uſque in Nicæam maritimam eorum urbem poßident. Cotij quondam id regnum fuit,

fuit, à quo ut ante diximus, Cotianæ Alpes Auguſti primum tempore uocatæ. Non prætereundum, eam partem Italiæ, quæ ſub Alpibus iacet, & in qua Mediolanum eſt, Tranſpadanam Romanis: alteram autem uicinam Apœnino, Ciſpadanam dictam eſſe, in qua Senogallia à Senonibus, qui primi, ut tradit Sempronius, tranſcenſis Alpibus & Arunte duce ea loca quæ circum Padum ſunt, pulſis ueteribus colonis, poſſederunt. In Ciſpadana præcipuæ urbes Dertona, Parma, Placentia, Regium Lepidi, Mutina, Bononia, Ferraria, Rauenna. Quarum regio cum reliqua togata, Tranſapœnina dicta, Catone authore, & Italia Ciſapœnina, quæ in Thuſcũ pelagus abit. Nos utriuſq; lateris præcipua tantum in tranſcurſu loca cenſebimus: prius illud præfati, reliquam Italiam circumquaque anguſtam eſſe, & qua maxime patet non amplius ducentis milibus paſſuum patere, authore Plinio. Ergo ab Ortu Rubicon amnis, uetus Italiæ limes, in cuius ripa Cæſarem Dictatorem ciuile bellum meditantem, hæſitabundum conſtitiſſe Suetonius tradit. Supra quem in littore Ariminum iacet, uetus ciuitas. Et haud procul in Cumero promontorio ſita Ancon, citra quam fluuius Aeſis Pomponio dictus. Interius regio fertiliſſima, Marchia hodie Anconitana uocata, amnis Metaurus, deinde Picenorum agri, & in littore ſita Potentia, mox

fluuius Clitumnus, ſupra quem uetuſtam Marſorum gentem Apœninus amplectitur. Inde Pelignorum agri, ubi hodie Lauretum, uulgo frequens, & fluuius Aternus Frentanorum gentem alluens. Proximus autem ei Tifernus amnis & ipſe clarus. Deinde mons Garganus celſiſsimo iugo in mare prominens, hodie Sancti Angeli dictus, à quo iam longe lateq; Apuli colunt, quorũ pars Cannenſes iuxta Aufidum amnem, ingẽti Romanorum clade memorabiles. Florus tradit in ea pugna Aufidum aliquandiu cruentum fuiſſe, quũ Hannibal duos maximos exercitus cæcidiſſet, & annulorum modios duos inter equitum caduera collectos miſiſſet Carthaginem. Supra Aufidum littoralis ciuitas Bariũ adhuc durat ditionis Galeaciorũ. Mox ultra promontoriũ quod Apœninus facit, Iſthmo Peninſulæ Calabricæ appoſitum Brunduſiũ, ex cuius portu in Epirum contra poſitam commodiſsimus traiectus eſt. Intus regio magnæ olim Græciæ cognomine, & in ea pariter memoratiſsimæ urbes, Tarentũ, Metapontum, Croto. Tarenti Architas floruit, Crotone Pythagoras, ubi, ſi Iuſtino credimus, uiginti annis docuit, inde Metapontum migranti, quum ex humanis exceſsiſſet, domo qua habitauit ſublata, templum illi extructum eſt, & diuûm honores decreti. Eodem tractu Turium fuit, in quo Herodotus hiſtoriam ſuam ſcripſit, Plinio. Ipſam Peninſulam

Calabri

Calabri & Salentini tenent, frons extima in Or=tum ſpectans, Salentinum habet promontorium, cui ab Occaſu diuerſum Lacinium, ſinum;qui Tarenti=nus dicitur, finit. Inde ſinus alter, ſed minor, Scylla=cæus, Petiliam habuit, nunc eius loco oppidum eſt, quod Bellum caſtrum uulgo nominant. Dein frons illa aſperrima Apœnini in Siculum fretum porrecta, & in freti littore Rhegyum adhuc nomen retinens, Rhegyum. clarum Pauli memoria, qui Syracuſis relictis hoc pri=mum loco Italiam attigit. A freto iam in Occaſum ſpe Acto. 28. ctare Italia incipit, cuius lateris primi Brutij, à pro=montorio, quod & Scylleum & Brutium uocatur. Deinde Lucani longe amœniſsimos ſaltus tenent, per quos Silarus amnis effluit. Mox Picentini populi, flu=uius Sarnus, & in amœniſsimi ſinus receſſu ſita urbs, ante Parthenope dicta, nunc Neapolis, poſterius no=men Auguſtus ei indidit. In eius ſinus extimo promon torio, quod in Auſtrum ſpectat, Puteoli ſunt, ciuitas Puteoli. colonia, ante Dicearchia dicta, ob iuſtam opinor rei=publicæ adminiſtrationem. Sed nomen à Romanis ſe=cundo bello Punico mutatum, & à puteorū frequen tia Puteoli dicti, uelut lib. 5. Strabo tradit. Ad hanc ur bem Paulus captiuus cum à Rhegyo oppido ſoluiſſet, poſtridie delatus eſt, & repertis fratribus apud eos ſeptem diebus manſit rogatus, ſicut Lucas Actorum ultimo tradit: magno argumento iam tum non in urbe

ſolum, ſed in reliqua quoq; Italia fuiſſe, qui Chriſto fi-
derent, iam enim in annum ſextum & uiceſimũ hiſto
ria uitæ, mortis & reſurrectionis Chriſti Apoſtolica
prædicatione longe lateq; intonuerat. Nam & Tibe-
rio imperatori, cuius decimooctauo anno imperij IE
SVS crucifixus eſt, allatis è Syria nuntijs, & re ſta-
tim percognita, uiſum ut inter deos Romæ CHRI-
STVS cõſecraretur. Præterea ex Pauli ad Romanos
"nõ ſolũ Epiſtola liquet," è Græcia & Macedonia diſcipulos
eius, ſed et ex Palæſtina ueniße in urbem, nõ quoſuis,
ſed eximios & Apoſtolica etiã dignitate præſtantes
Roma. 16. uiros, qui Romanam illam eccleſiam fundauerint, ad
quam ut celebrẽ, iam et multis eccleſijs notã ſcribere,
& præcipuos illius operarios longe ante cognitos, ut
familiares ſalutare uoluerit. Certè ipſe nominatim An
dronicũ & Iuniam inter inſignes Apoſtolos numerat,
qui etiam ante ſe in Chriſto fuerint. Mirum autem Eu
ſebium ſecundo Claudij anno Petrum Romã ueniſſe
ſcribere auſum, quum Hieroſolymis fuiſſe eum etiam
poſt octauum annũ imperij eius ex ipſo Paulo colliga
Gala. 1. tur. Is enim Galatis ſcribens à tempore uocationis ſuæ Acto.
cõtinuo ſe Damaſco in Arabiam abijſſe, ac denuo re- 9.
uerſum fuiſſe Damaſcũ teſtatur. Non liquet aũt quan-
to tẽpore abfuerit, quod neq; nos excutimus, illo con-
tenti, quod magno eruditorũ conſenſu aſſeritur, annũ
eum poſt Chriſti aſcenſionem fuiſſe cõuerſum. Sed &
hoc

hoc certum eſt annis tribus Damaſci moratum eſſe, cum ex Arabia rediſſet. Deinde poſt annos quatuordecim rurſum aſcendit Hieroſolyma cum Barnaba, Gala. 2.
ubi Euangelion ſuum cum præcipuis Apoſtolorum, Iacobo, Petro, & Ioanne contuliſſe ſe confirmat. Quũ igitur annum illum poſt quem uocatus eſt tribus illis, qbus ex Arabia rediens Damaſci egit, adnumeramus, et quatuordecim annis quibus in Syria Ciliciaq; Chriſtum prædicauit, addimus, numerus annorũ XVIII. colligitur, quot anni ſupputantur à morte Chriſti uſq; in octauũ Claudij annũ, nempe Tiberij ſex (tot enim ille annis poſt mortẽ Domini uixit) Caligulæ quatuor, à quo tẽpore Claudius imperare cœpit, cuius octauo anno Petrus adhuc Hieroſolymis fuit. Porrò ſi uerum eſt, quod idem Euſebius aſſerit, Petrum ſeptem annis Antiochenæ eccleſiæ præfuiſſe, atq; inde Romam primùm ueniſſe, conſtabit eum primo Neronis anno, hoc eſt, duobus plurimum annis ante Paulum in urbem ueniſſe, quatuordecim enim non amplius annis Claudius imperauit. Quòd ipſum ſanè hoc mihi probabilius uidetur, quo longius illi, quos modo citauimus à ſcopo aberrarunt: ut interim ſinamus quod tempus quo in Arabia fuit ad calculum non reducimus. At quoniã in hanc materiam incidimus, non fuerit fortaſſe alienũ, cõiecturis cõfirmare quæ ſcripturis ꝓbauimus. Cõſtat Apoſtolũ è Corintho ad Romanos ꝑ Phœben miniſtrã

Ro. 16 tum ſcripſiſſe, quum iam ſecundo per Macedoniam ingreſſus eam eccleſiam inuiſiſſet, ac mox in Aſiam atq; inde Hieroſolymã eſſet iturus. Quod duobus argumẽtis colligitur. Vno, quòd in Epiſtola ad Romanos Priſcam & Aquilam, qui tum Romæ agebant ſaluos eſſe iubet, quos tamen primo aduentu ſuo urbe Roma Claudij iuſſu pulſos Corinthi reperit, quosq; Epheſum uſq; comites habuit, iuxta Lucam Acto. 17. Altero, quod quintodecimo cap. ad Rom. palàm ipſe Paulus indicat eam Epiſtolã à ſe ſcriptam & miſſam, quũ ob exulceratiſsimam Iudæorum inuidiam, Achaiam & Græciã uelut coactus relinquere, iter rurſum per Macedoniam in Aſiam & Syriam adornaſſet, ac iam ſpem faceret, qui in urbe erant fratribus, ſe primo quoq; tempore Romam uenturum. At uero hac ipſa profectione, qua in Syriam delatus Hieroſolymã peruenit, captum Apoſtolum & in uincula coniectum palàm indicat Lucas, et hiſtoriæ ſeries conuincit Act. 19. & duobus ſequentibus capitibus comprehenſa. Quæ cum ita habeant, conſtat hoc ipſo anno ad Romanos ſcriptam Epiſtolã, quo Hieroſolymis Apoſtolus à Claudio Lyſia Tribuno eſt captus: hoc autem accidit anno Claudij decimotertio, ſupputante ad eum modum etiã Hieronymo. Si igitur hoc tempore Petrus Romæ fuit, præſertim à tot annis, qui factũ eſt ut Apoſtolus Aquilæ recentem in urbem reditum cognouerit, & præci=

puos

puos in miniſterio Chriſti fratres, qui Romæ eſſent, ſalutandos duxerit, Petrum ipſum tantum uirũ (cuius uidendi gratia aliquando Damaſco relicta Hieroſolymam profectus ſit) aut ignorarit aut præterierit? Vt interim non excutiamus quod ex reſponſione Iudæorum ad Paulum, cuius Lucas ultimo capite Actorum meminit, nihil minus intelligitur, quàm eo tempore Petrum circumciſionis Apoſtolum Romæ aut cognitum aut admodum celebrem fuiſſe. Vtcunq; aũt hæc habeant, ſatis conſtat non ita multo ante Paulum tempore Petrũ Romam uenire potuiſſe, & ante utriuſq; aduentum celebrem iam & notam multis eccleſijs Romanam fuiſſe. Quod equidem non hoc animo ſentio, uelut hanc illi urbi gloriam inuideam, quæ Petrum et Paulum peculiariter ſibi uendicat (quanquam & hoc ipſum uelut ambitioſum & diſſenſionibus accommodum carpit Apoſtolus) ſed tantum ut Lectorem admonerem longe aliud & ſcripturis probari, & confirmari coniecturis, quàm hactenus multi ambitioſius quàm uerius hac de re ſcripſerunt. Nunc ad inſtitutũ reuertor. Conſtat Italiam (niſi ubi Tarentino ſinu diuiditur) nuſquam anguſtiorem eſſe, quàm ab intimo ſinus Puteolorum receſſu in contrarium Adriatici littus, à qua parte fertiliſſimus Campaniæ ager aperitur. Inq; littore ſitum uetus oppidum Cumæ, amnis Vulturnus, Intus Capua illa quæ Hannibalem fatigatũ uicto-

Gala. 2.

riјs, luxu atq; otio perdidit. Vltra quam Lyris amnis maximus, Latinorum tractũ à Campano diſterminat. Deinde in littore ſita Oſtia, ſupra quam Roma iacet interfluo Tiberi, quam Plinius ſecundus Romuli ætate adeò anguſtam fuiſſe tradit, ut tres tantũ portas, aut (ſi plurimas tradentibus credatur) quatuor habuerit: ætate autem ſua trigintaſeptẽ amplius: ſed & poſteros principes auxiſſe eam & pomerio addidiſſe conſtat.

Roma.

Certum autem nulli urbiũ unquam tale imperiũ contigiſſe. Quod ne perpetuũ eſſet, primum ciuilibus diſcordijs perculſum, occupata mox libertate, imperatoribus magna parte malis ceſſit, quorum libidine & faſtu cum uiolarentur leges, ciues trucidarentur, opes profunderentur, neque multus aut æquitati aut honeſtati locus eſſet, factum eſt ut ex publicæ diſciplinæ caſu, imperij pariter uires elanguerint, fœderatæ gentes rebellarint, limites Barbaræ nationes occuparint, prouincias uaſtarint: poſtremo & ipſam Italiam ingreſſi, urbem imperij ſedem ſemel iterumq; captam diruerint. Proinde hoc uitia potuere, ut inuictum ab alijs regnum ſeipſum ferre nequierit, ita demum fractis rebus, ut præter nomen & rerum geſtarum memoriam hodie nihil extet quo agnoſci facile queat. Ampliſſimo quidem Germaniæ imperio hunc honorẽ maiores noſtri tribuerunt, ut Romanũ dicere, & tam potentis quondam imperij memoria ceu fauſta ornare

uolue

uoluerint, ut Germanorum reges Cæſaresq́; hodie Ro manorū dicantur, et Imperatoris nomen etiamnum ut fauſtū felixq́; retineatur. Quo nomine hodie inclytus eſt Carolus ille quintus, non nobilitate ſolum & maiorum gloria, uerumetiam ſua uirtute & potentia magnus. Sed ut reliqua loca proſequamur, notandū haud longe ab urbe ultra tamen Ariciam, oppidulum eße Foroappium, ſeu ut Lucas ipſum nominat Appij forū, per quod Roma ꝓficiſcentibus in mediterranea Campaniæ iter eſt, unde Foroappij dicti Plinio lib. 3. qui accolunt: ſicut alio in loco Foroclaudios cenſet, à loco qui Forum Claudij dicitur. Tres Tabernæ aūt proximæ Appij foro erant, iuxta quas Apoſtolus à Romanæ eccleſiæ fratribus quibuſdam, qui de eius aduentu nuntiū acceperant, exceptus, & uel catenis grauis, ductusq́; à centurione in ipſam urbem deductus eſt. Et ut Lucas tradit cap. ultimo, ſtatim Paulo conceßum ut priuatim habitaret, addito milite à quo cuſtodiretur, atq; ita toto biennio in ſuo cōducto cōpeditum regnū dei prædicaße, nemine ꝓhibente. Porrò non hoc ſolū egit pro ſumma cura et ſollicitudine ſua captiuus Apoſtolus, ut coràm doceret fratres humile hoſpitiolum ſuum ingreßos, ſed eccleſias etiam Aſiæ atq; Europæ, quas aut ipſe coràm inſtituiſſet, aut ſui cooperatores & comminiſtri Chriſtum docuiſſent, mißis Epiſtolis cōſolari, et falſorū fratrū blandiloquentia laborantes,

Appij forum.

Acto. 28.

Tres Tabernæ.

ſermone Euangelij puro, nec adulterato humanis decretis cōfortare, atq; ea ratione etiam poſteritati conſulere perrexerit: non compedes ferro graues, non cuſtodia tot nominibus moleſta, nuntium illum Euangelicum, ſpiritu plenum & tertio è cœlo doctum, remorantur, quin perdius & pernox iniunctum ſibi miniſterij munus ſumma cum fiducia fuerit executus. Scripſit autem ex urbe eccleſiæ Galatarum, Philippenſiū, Epheſiorum, Hebræorum, & Coloſſenſium, ſed & ad ſingulos etiam, ut ad Timotheum, ad quem antè quoq; ex Laodicæa Phrygiæ Pacatianæ ſcripſerat, et ad Philemonem ex uinculis ſcripſit. Enimuero cum liber eſſet antea quoq; eodem munere functus eſt, ne deeſſet gregi Domini. Et ad Corinthios quidem ante ſecundum ſuum in Græciam aduentū ex Epheſo ſcripſit, præmiſsis quibuſdam in Achaiam quos ipſe mox per Macedoniam erat ſecuturus. Deinde ſcripſit iterum, quum relicta Corintho & Macedonia iam tertium peragrata Philippos rediјſſet, mox inde in Aſiā ſoluturus, nec rediturus. Quorū itinerum Lucas cap. 19. & 20. Acto. meminit. Pari modo & Theſſalonicenſes conſolatus, cum ageret Athenis, binis literis ſuā illis mentem aperuit, quum id temporis coràm agendi facultas ei negaretur. Ex Nicopoli autem, quæ in Epiro eſt, iam antea Titum ſuum in Creta relictum, quid facto opus eſſet admonuerat. Atq; hæc quidem

omnia

omnia ſeruus ille ſeruorum Chriſti liber adhuc, cæterum in æſtu, frigore, nuditate, fame, interim & uirgis cæſus, & tumultibus agitatus, emiſſusq́; & elapſus: breuiter, perpetuo uitæ periculo comitatus agebat, palàm teſtatus quod interim docebat, Eam uirtutem quæ ex fide eſt, infirmitate perfici. Notius uerò quàm indicari *multis opus ſit de* Petro *&* Paulo *columnis eccleſiarum* Romæ *ſupplicium ſumptum, atq; illum quidē cruci affixum, hunc honeſtiori mortis genere, quoniā ciuium* Romanorum *eſſet, ſecuri percuſſum.* Nec eſt *(quod equidem ſciam) ab hiſtoricis proditū, quod ulli ante illos propter Chriſtum* Romæ *interierint.* Tiberium *enim, cuius tempore nomē Chriſtianum in ſæculum introiuit, accuſatoribus Chriſtianorum periculū interminatum fuiſſe* Tertullianus *ſcribit.* Fortaſſe Caligulæ *pro animi malignitate furor non defuiſſet, ſed annis paucis imperio præfuit.* Claudius *ingenij natura placidi & tranquilli, ob exortum religionis diſsidiū urbe tantum* Iudæos *pepulit, nec atrocius ſeuijſſe legitur.* Nero *igitur ſuam urbem Chriſtiano primùm ſanguine polluit, parum enim uidebatur Senecā & alios bene meritos mori iuſsiſſe, niſi crudelitatem ſuam grauaret impietas.* Quam *deinde ſecuti pleriq;* Imperatores, *ad uſque Conſtantini magni tempora, hoc eſt, ducentis quinquaginta amplius annis Chriſti fideles per atrociſsima edicta propoſita non in urbe ſolum,*

2. Cori. 11. Vide Acto. 9. 13. 14. 21. 22. 23. 27. 16.

cuius eo tempore pientiſsimi paſtores erant, uerumetiam in prouincijs omnibus ingenti clade, præterea nullo non ſuppliciorum ac pœnarum genere afflixerunt. Leuiculum tum erat & tolerabile infamia notari, damnari in metallum, & ad beſtias, cum quibus & Paulus in harena conflixit, item rebus omnibus ſpoliari, in exilium mitti, deportari in inſulas, in uinculis teneri, oculo effoſſo, poplite ſucciſo, mutilari: atrocius ſæuiebatur, & myriades interim ſeruorum Chriſti trucidabantur, neque aut ordini ulli, aut ſexui, aut ætati parcebatur. Nam martyria propè omnia quæ toto orbe celeberrima ſunt, & ueterum annalium memoria recolũtur, impijs illis urbis Romæ monarchis accepta referimus. Porrò ne à Conſtantino quidem uſque in Hieronymi & Auguſtini tempora res noſtræ admodum tutæ aut tranquillæ fuerunt. Animi principum uarij & ancipites, multis modis turbarunt eccleſias: ſed & Arriana factio, quam Cæſarum maxime fauor exaſperabat (ipſo Conſtantino demum Arriano) præcipuarum eccleſiarum Epiſcopos, Apoſtolicæ regulæ unice amantes, non uexauit modo uinculis & exilijs, ſed prorſus etiam ceu hæreticos (quibus tamen cum hæreticis & Apoſtolicæ doctrinæ hoſtibus bellum erat) extinxit, ut profecto non alia magis cauſſa tantæ potentiæ defectio (de qua prædixit Apoſtolus) accidiſſe uideatur, quàm quòd poſt orbem

terrarum

Quemadmodum ipse testatur 1. Cori. ca. 15. quod igitur secundum hominem cum bestiis depugnaui Ephesi. etc.

.2. Thes. 2.

terrarum tot cladibus iniurijsq; afflictũ, demum etiã Gygantum more cœlo bellum indicere, & contra Chriſtum Dominum arma ſumere Roma fuerit auſa. Et de ea quidem hactenus: nunc reliqua loca ad Varũ uſque paucis indicanda. Trans Tiberim in Occaſum, oram legentibus ager Viterbienſis occurrit, in quo ueteres quondam populi Faliſci: deinde Hetruſcorum in quo Volaterrani. Et Senenſis hodie regio, oppidũ intus Peruſia uetus, & Arretium. Mox iuxta Arnum Fluentini, ubi hodie Florentia eſt, Arno amni impoſita. Ab ea in Apœninum recedens Piſtorium etiam Plinio memoratum. Inde intra Arnum & Aeſarem amnes clariſſimæ urbes Piſa & Luca, neutra maritima, ſed à littore Piſa remotior: inde ad Macram fluuium reliqua Hetruſcorum loca uarie quondam habitata Plinio, qui Vmbros, Pelaſgos, Lydos, Tyrrhenos à rege cognominatos (unde & mari nomen) mox Thuſcos tenuiſſe tradit. A Macra qui finis eſt Hetruriæ aduſq; Varum Ligures iacent, quorum clariſſima hodie urbs Genua cum portu memorabili. Varo autem appoſita Nicœa eſt, quam haud longe diſſiti Maſſilienſes olim condidêre, finis Italiæ.

AFRICA IN VNIVERSVM.

ANtequam de Africa per partes dicerem, uiſum eſt mihi è re futurum, ſi prius uniuerſam

deliniauero, quo deinde rectius partes, maxime autē quæ altrinſecus in mediterraneum uergunt accipi & mandari memoriæ poſſent. Igitur *pars illa habitatæ terræ, quam nos* Africam Græci Lybiam *uocant, à* Meridie & Auſtro *minus explorata ueteribus fuit, partim quòd uaſtißimis ſolitudinibus diſtincta, multis locis impermeabilis eſt: partim etiam q̃ à paucis quorũ quidem uetus extet memoria, magis circumnauigata creditur quàm perſpecta aut propius cognita, ut non iniuria illius partem ceu incognitam* Cl. Ptolomæus *non admodum uetus author præterierit, nulla eius mentione prodita.* Memoratur *quidem inter præcipuos ex ueteribus* Hanno Carthaginenſium *dux, quũ res* Punicæ *florentißimæ eſſent, à ſuis exploratum miſſus, & à* Gadibus *ad finem* Arabiæ *circumuectus, nauigationem eam ſcripto prodidiſſe, uelut ſcribit* Plinius. Et *poſt eum* Eudoxum *quendam,* Ptolomæum Latyrum *regem* Alexandriæ *profugientem, ſinu* Arabico *egreſſum per hoc pelagus quo omnis* Africa *ambitur* Gades *uſque peruectum eſſe, ex* Nepotis *authoritate* Pomponius *libro tertio tradit.* Ante & Polybius Annalium *ſcriptor, quum à* Scipione Aemiliano *tum in* Africa *agenti claſſem accepiſſet ſcrutandi gratia, magnam occidui littoris partem legit.* Quorum *omnium fidem redimit recens experientia uaſtißimæ nauigationis, qua principes* Luſitani *ex* In-

dia

dia quotannis omne genus aromatica et merces Vly=*ſipponem reportãt, tota ſemel quanta quanta eſt* Afri=*ca circumnauigata, & ad fauces fermè uſque* Arabi=*ci ſinus explorato littore, ut uel hac à parte auaritiæ & luxui, magnis alioqui rerum humanarum peſti=bus, gratiam aliquam debere uideamur, quòd illam or bis partẽ tot ſæculis intactam nobis recluſere, & nu tantẽ ueteris hiſtoriæ fidem toties repetito teſtimonio ab omni erroris ſuſpicione liberarunt*. Ergo *tribus à partibus*, Oriente, Meridie *&* Occaſu, *Oceano* Ae=*thiopico, & ubi in* Hiſpaniam *& fretum reclinat etiã* Atlantico *cognominato*, Africa *clauditur, parte quæ in* Septentrionẽ *ſpectat, mediterraneo mari excepta*. *Sed &* Nilo *quà in* Aequinoctialem *ortum pateſcit, ab* Aſia *&* Aethiopicis *gentibus iuxta ſinum* Arabi=*cum poſitis finitur*. Breuior *quidem hac parte quàm* Europa, *cæterum in* Meridiem *recedens ita lata, ut ne conferri quidem ei ullo modo* Europa *poßit*. Quippe *quæ ex recenti obſeruatione latitudinis tantum ultra tropicum parallelum* Capricorni *egrediatur, quantũ intimus* Adriatici *ſinus angulus à* Solſtitiali *circulo* Cancri *diſcedit*. Neque *de hoc dubitandum eße arbi=tror, quum cognitio latitudinis terræ mariſúe tam fa=cilis & obuia in omni loco exiſtat*. Quanquã *autẽ ad hunc modum patet* Libya, *& ingenti procurſu terra rum gentes plurimas ſuſtinet, tamẽ omniũ terræ par=*

tium minime eſt pro magnitudine ſua habitatione fre- quens: & non paucis in locis qui habitant, præter effi giem & linguā nil habent quod hominem exprimat, adeò agreſti & inculto uitæ genere degitur. Conſtat ſanè ſabuloſam eam undiquaq; eſſe, maioremq; eius partem intra ſolis tropicos cōtineri, qua uel ſola cauſ ſa ſqualere tot locis & deſerta eſſe creditur. Neq; alia orbis pars eſt, quæ hominum commertia minus ferat, & longius alicubi ſummoueat. A quibus incommodis maxime aliena Europa, etiamſi impar magnitudine, frequentia tamen et coitu mortaliū ipſam etiā Aſiam uincit, quæ tametſi longe eſt cultior Africa, tamen et ipſa multis locis deſertior uidetur, niſi quòd re ipſa uaſta magis quàm deſerta alicubi cultorem nō habet, cui tamen ſui potiundi copiam facere uideri poſſit. A qua tamen benignitate in tantum abeſt Libyæ tellus, ut plurimis in locis eius ſi maxime uelis & cupias nul la prorſus occaſio figendarum ſedium ſeſe offerat. Cuius rei plures cauſſæ ſunt, ſed præcipuæ aquarum inopia, ſolum puluere ceu cinere inane et flaccidum, moles arenarum periculoſæ, quæ dum uentis agitan- tur perinde atq; in pelago procellæ fluctuant. Poſtre- mò malefici generis beſtiarū (quo maxime malo Afri- ca uexatur) tantus prouentus, ut alicubi ne fertilis quidem ager præ illis coli aut habitari queat, alicubi ægrè, nec niſi ocreatis arare aut colere, atq; hoc uel

ſolo

ſolo præſidio ſerpentum morſus eludere liceat. Qua uel præcipua cauſſa ueriſimile eſt Ceruos Africam nõ gignere, quoniã hoc animal ſerpentes extreme odiat. Plinius author eſt libro decimo, maiorem partem animalium in Africa æſtate non bibere ob imbrium penuriam, & ſi quibus captis aqua præbeatur ad potum ſtatim ea mori, mirifica profecto naturæ prouidentia, hac à parte ceu munere quodam penuriam ſarciente, ut teneri interim terræ queant. Quod ad arenoſa illa inuolucra attinet, pereleganter expoſuit Iulius Solinus, teſtatus etiam in terris Syrtes eſſe, nihil minus illis quas procellæ conuerrunt in pelago funeſtas. Refert enim libro ultimo Strabo Cambyſis exercitum in Aethiopia arenis uento agitatis periclitatũ eſſe. Et Herodotus Pſyllos ueterem in Africa gentem, in Auſtrum progreſſos cumulis arenarum opertos periiſſe tradit. Neq; eſt ut ceu indignam fide hiſtoriam ſuſpicemur, cum noſtri plerunq; in hyeme ſimilia patiantur à niuibus, ubi denſas & recenti à caſu uolubiles eas Septentrio exagitat. Nunc ut quàm diſtinctiſſime ſitus Libyæ accipiatur, animaduertendum ab Occaſu eam in Ortum Atlante monte in duo primum latera diuidi, quorum alterum in Notum, ut dixi, excurrit, alterum breuiori ſpacio in mare Mediterraneum deſinit. Quicquid ultra eum Meridiem uerſus iacet, uno nomine Aethiopicis gentibus tribuitur.

Quod citra in Boream uergit, cõmodius iam & agro fertiliore habitatur, ante in regna, paulò mox à Romanis eam partem occupantibus, in prouincias diſtinctum: cuius potiſsimum nomina ſunt, ab Occaſu Mauritania, hinc Numidia, deinde quæ proprie Africa, demum Cyrenaica regio, de quibus infra ſingillatim dicemus. Atlas ipſe immanibus, & ſupra quam facile credi poſsit altis iugis extollitur, ab Occaſu exortus ubi & Atlantico Oceano nomen imponit, inde perpetuo dorſo uarie flexus, in Ortum & Nilum egreditur, quaq; Aegyptum ab Aethiopia dirimit, Erythræũ etiam mare attingit, & nunc in Boream, nunc in Auſtrum excurrens hinc inde innumeras gentes diſterminat, breuiterq; hoc ſibi regnum in Africa uendicat, quod in Aſia Taurus, in Europa Alpes poſsident. Suetonius Paulinus (quem conſulem Plinius uidit) primus Romanorum ducum eum montem ſpacio aliquot milium tranſgreſsus, inter cætera prodidit Atlantis uerticem altis etiam æſtate niuibus operiri, manifeſto altitudinis argumento. Iuxta quem qui ab Auſtrino latere propius adhibitant Aethiopes, magis manſueti cultiq;, nec tam ſunt colorati quàm interiores. Et ad Occaſum quidem Oceano proximi Heſperij dicti uarijs gentibus diſtinguũtur, ſed præcipue tamen Terotæ, Perorſi, Berini, ob frequentem Elephantorũ uenationẽ ebore abundantes, præterea Nigritæ et Getuli,

qui

qui in littore purpuram et muricem capiũt, omniũ ad tingendum efficaciſſimum Pomponio. *Contra uero in* Ortum *ſolis expoſiti, qui* Aethiopes *ſub* Aegypto *cognominantur, longe omniũ terrarum* Aethiopiæ *frequentiſſimam & cultiſſimam partẽ colunt: eam enim* Nilus *quotannis quemadmodũ &* Aegyptum *irrigat.* Mela *ſcribit plus auri apud hos eſſe quàm apud* Perſas, *atq; ea de re (ut ſemper pretioſiora exiſtimantur quæ rariora) ære ceu auro apud eos exornantur, auro uincula ſontium fabricant. Sed & oppidis plurimis & regno etiam, quod &* Aegypto *imperauit quondam illuſtres fuerunt. Nec eſſe ulla in parte* Africæ *frequentiorem elephantorum uenationem oppida aliquot teſtantur, quibus inde impoſita ſunt nomina. Supra illos feri iam & agreſtes* Troglodite *ideo ſpecus pro domibus effodiunt, quod illos æſtiuus ardor minus penetret, ac terris receptus aër minus ferueat.* Vicini *illis ſunt* Ichthyophagi, *qui piſcibus, &* Anthropophagi, *qui carne humana ueſcũtur, inter quos* Græci *&* Ophiophagos *nominant, quod ſerpẽtibus ueſci huic genti uulgare ſit.* Neq; *fabuloſa in totum uideri debẽt, quæ de his gentibus ueteres prodidere, nam ut* Græcorum *in mentiendo leuitatem ſinamus, ſatis conſtat* Aethiopiam *à* Ptolomæo Philadelpho *rerum inſignium diligentiſſimo ſcrutatore, cuiq; ad eam rem neq; opes neq; homines (*Rex *enim* Aegypti *fuit) de-*

fuerūt, excuſſam eſſe. Deinde & Romanis armis tempore Auguſti duce P. Petronio equeſtris ordinis præfecto Aegypti exploratā. Poſtremo & à Nerone ætate Plinij, quum Aethiopicum bellum cogitaret, militibus Prætorianis cum tribuno ad explorandum miſsis luſtratam. Super omnes autem Iubæ Mauritaniæ regis in hiſce locis perquirendis annotādisq; ſingularis diligētia extitit. Iam & negotiatoribus noſtris proximis annis explorata quædam magna fide referuntur. Eſſe uidelicet alicubi Aethiopes nudos & inermes, quos Gamphaſantes Pomponius uocari ait, armorum omnium ignaros, nec uitare tela peritos, nec iacere, et obuios fugere conſuetos. Contrà alios arcus gerere, & ex piſcium oſsibus telorum uenabula conficere tanta duritie, ut non minus ſaucient quàm ſi ex ære ferróue eſſent: eum uero morem Inſularibus Atlantici propemodum peculiarem eſſe, neq; alio magis armorum genere uti. Alicubi & Anthropophagos feris moribus, nec ullo cultu, ſed & promiſcua cōnubia audiri, quod de Garamantibus ueteres retulerumt, aliaq; id genus compluſcula memorant, quæ dies ipſa cura principum & diuturniore cum illis gentibus commertio hauddubie clariora certioraq; efficiet. De monſtroſis hominum formis, & quod quidam lingua, alij labris careant, multis pro eloquio nutus ſit: præterea homines reperiri quibus unus tantum in fronte ocu-

lus,

lus, rurſum quibus nullum caput, ſed in pectore oculi exiſtant, nondum audio compertum, quanquam frequens eſt illorum apud idoneos ſcriptores mentio: ut interim tutiſsimum ſit Auguſtinum ſequi in Africa natum, qui libro de Ciuitate Dei octauo monſtroſas gentes nullas eſſe exiſtimat, aut ſi ſint, homines non eſſe, aut ex Adam ortos ſi homines ſint. Deus enim (inquit) creator omnium, qui ubi & quando creari quid oporteat uel oportuerit ipſe nouit, ſciens uniuerſitatis pulchritudinem, quarum partium uel ſimilitudine uel diſsimilitudine contexat. Inter illas autem Orientis & Occidentis Aethiopes, intermedia loca aut exuſta ſunt, aut arenis obducta, aut infeſta ſerpentibus, Pomponio. Plinius tradit, inopia aquarum fieri ut ad paucos amnes animalia innumera congregētur, inter quæ quum uarie fœminis cuiuſq; generis mares aut ui aut uoluptate miſceantur, multiformes inde partus cōſtare. Vnde uulgare Græcis dictum manauerit, Semper aliquid noui Africam afferre. Profecto gratiā aliquam illi regioni uarietas animantium conciliaret, etiam monſtroſa, ſi ex illis nulla noxia æderentur, & iſto malo in totum Africa careret. At uero & baſiliſcum gignit, & Catoblepam, non grandes beſtias, quæ tamen uiſu hominem interimant. Paruum animal eſt ſcorpius, ſed quo in Libya nihil nocentius reperiatur, ut taceam quantum ab anguibus mali iter

Semper ali quid noui fert Aphrica.

agentibus, quantum à leonibus, pardis, & alijs id genus feris animalibus, quorum Plinius & Solinus meminerunt, periculi immineat. Saluſtius certe grauis author plures mortalium in Africa beſtijs quàm morbis interire ſcriptum reliquit. Atq; hæc quidem generatim de Africa.

MAVRITANIA.

NVnc eius lateris quod citra Atlantẽ eſt, partes, ut ante à nobis enumeratæ ſunt, reſumemus. Prima & maxime occidua Mauritania, à Mauris uetuſta gente nominata: ab Ortu Mulucha celeberrimo amne terminatur: qua longiſsime abit in Auſtrum Atlante monte, cuius ante meminimus, excipitur: inter quem & fretum Herculeũ latiſsimo littore pelago in Occaſum obuerſa, frequẽtibus ſinibus & promontorijs diſtinguitur. Nuſquam autem fertilior aut cultior quàm à freto & littoribus illis quæ mare Ibericum à Septẽtrione alluit, quanquam & oppoſito in littore Oceani fœcundi ſoli & uinetis maxime fertilis exiſtat. Amnes habet nauigabiles: et præter Atlantem ſeptem montibus attollitur, qui continenter & quaſi de induſtria in ordinem expoſiti ob numerum ſeptem, ob ſimilitudinem Fratres uocãtur, ſicut Pomponius proxime Mauritaniam natus tradit. Fretum Gaditanum cognominatum illo loco duas orbis

bis partes, Africam ſcilicet & Europam diſterminat duodecim milibus paſſuum longitudine: nuſquam interim latius decem milibus paſſuum: inter Mellariã autem Bethicæ & Mauritaniæ promontorium, quod Album dicitur, non amplius quinq; milium paſſuum latum, ex Graculæ iuxta geniti authoritate Plinius aſſerit. In ea duo promõtoria ſunt è regione poſita, quorum quod Africæ eſt Abyla, quod Europæ Calpe dicitur. Porrò ea montium forma eſt, ut cohæſiſſe aliquando uideri poßit, atq; inde uulgo perſuaſum Herculem montem perfodiſſe & Oceanum terris immiſiſſe, ob quarũ rerum memoriam ipſos montes indigenæ Herculis columnas dixerint. Hæc eſt Mauritania cuius Bochus ille rex fuit, qui in Iugurthino bello tam uarius et uerſutus, demum Iugurthæ proditi magna cauſſa fuit, à quo Bochiana dicta regionis pars qua in Ortum, quemadmodum pariter regio nomine Bogudiana extima, quæ in Atlanticum & Occaſum uergit, antea Sitiphenſis ab oppido Sitiphi, poſt autem Tingitana ab perueteri oppido Tingi appellata, quum prouincia eſſe cœpit, quod ſub Caio Caligula factum eſt, ſicut et Bochiana mox Cæſarienſis dicta, diu enim regum nomina obtinuiſſe Mauritaniã etiam Plinius author eſt. Oppida habere compluſcula dicitur, ſed parua, inter quæ & Coloniæ fuerunt ab Auguſto & Claudio Cæſare aliquando mutatis itidem nominibus deductæ. Plè

nius tradit libro quinto, populorum Africæ oppidorumq́; nomina uel maxime ineffabilia eſſe, præter q̃ ipſorum linguis: & aliàs caſtella fermè inhabitare ait. Sed in Oceani littore præcipua quondam Iulia Conſtantia, Auguſti colonia, in qua Honoratus ille epiſcopus fuit qui ad Arcadium quendam exulem epiſtolam de rebus aduerſis pro Chriſto ferendis hortatoriam ſcripſit, authore Gennadio. Hodie pars huius quæ freto eſt proxima, regibus Hiſpanis paret, interiora Sarraceni tenẽt, quorum ditionis eſt fermè reliqua omnis huius littoris Africa. Non tacendum autem hoc loco Mauritaniam ætate Auguſtini, & ante eum Cypriani celeberrimas eccleſias pioſq́; & eruditos uiros epiſcopos habuiſſe, id quod non uno in loco innuit Auguſtinus. Habet adhuc quoſdam tractus ille Bethicæ proximus: & eſt ueriſimile alijs itidẽ locis Africæ Chriſtianum nomen non prorſus interijſſe.

NVMIDIA.

A Mulucha ad Ampſagam uſq; fluuium Numidia extenditur, Pomponio. Plinius & Ptolomæus eum tractum prouinciæ Cæſarienſi tribuerunt, & ille ſupra Ampſagam Numidiæ loca cenſet, quæ in minori Africa Mela ſtatuit, nullo ſanè errore, cum in locorum gentiumq́; & amnium deſcri-

ptione

ptione illis conueniat, dimenſione finium (qui ſæpiſſi me uariant) tantum diuerſis: nobis Pomponium ſequi placuit, ueteres maxime limites indicantem, qui poſtmodum redactis in prouincias terris illis confuſi fuerint. Nomen regioni à Numidis datum, quos & Nomodas dictos Plinius ait, à permutandis papilionibus, mapalia ſua, hoc eſt, domus plauſtris circumferentes, quod eleganter Silius reddidit lib. 3.

Nulla domus, plauſtris habitant, migrare per arua
Mos, atq; errantes circumuectare penates.

Horum pars Maſſyli, qui & Maſſeſyli dicti, equorum nobilitate memorati. Inter oppida autem præcipue ſunt celebria Cirta opulentiſſima quondam, & duorum regum Syphacis & Iubæ, ut Mela tradit, domus: quorum prior tertio bello Punico à Scipione captus, & (ſi Polybio credimus) in triumpho ductus, alter in Cæſaris Dictatoris bello ciuili, quia ſe partibus ſocium præbuiſſet, extinctus eſt. Strabo libro ultimo tradit, Cirtã poſtea Micypſæ Maſiniſſæ filij opera maxime munitam & frequentem factã eſſe. Eſt & Arſenaria, & Cartenna illa quæ Victorem epiſcopũ habuit, qui librum contra Arrianos ſcriptum Genſerico Vuandalorum regi porrexit. Vuandali enim (ut et hoc obiter indicemus) ab ultimis Germaniæ finibus egreſſi, cum Gratiano imperante primũ in Gallias uenissent, mox paulo Pyreneo ſupato Hiſpaniã ingreſſi,

prouinciam Bethicam occuparunt, ex qua non multo poſt diui Auguſtini ætate, anguſtijs Gaditanis ſuperatis rege Genſerico celebri & rei militaris maxime perito uiro, circiter annum ſalutis CCCC XXXI. in Mauritaniã traiecerunt, atq; inde in reliquas prouincias penetrantes, optimis & frequentiſsimis locis eius tractus ſunt potiti. Quin & Carthaginem ceperunt, & cum armis pelli non poſſent, pacis eos conditionibus Imperatores mitigarunt, qua re uoti compotes facti, Africam non minus ſeptuaginta quatuor annis tenuere. Ex maritimis oppidis maxime clarum fuit Iol ante dictum, poſtea coloniæ iure à Claudio Cæſare donata, eiuſdem iuſſu deductis ueteranis Cæſarea uocata eſt, unde prouinciæ Cæſarienſi nomen. Auguſtus eam urbem Iubæ Ptolomæi patri, cuius de Libycis rebus hiſtoria extitit, donauit. Supra Cæſareã Icoſium eſt, à Veſpaſiano coloniæ iure donatum, Solinus à uiginti Herculis comitibus conditum, & ea cauſſa Icoſium dictum autumat. Amnes præter Ampſagam Numidiæ præcipui Sordabale, Ancus, Nabar, Pomponio. Plinius enumerat libro 5. cæterũ duriuſculis & è Barbaro deflexis nominibus, antea præfatus uix ea effabilia eſſe, præter quàm ipſorum linguis. Quod ipſum Hermolaus confirmans, Barbara locorum uocabula ait, non modo inepta & aſpera, ſed etiam ineloquibilia eſſe, nec ſemper eodem ſono utraq; lingua efferri conſueuiſſe.

cõſueuiſſe. Non tacendum hanc eſſe Numidiam, quã Donatus Hæreticus Conſtante & Cõſtantino imperantibus grauiſsime perculit, tanta diſſenſione excitata, ut à uerbis ad uerbera etiam atq; arma deueniretur. Docebat ille, ſe ſuosq; Eccleſiæ Catholicæ cõmunione contineri, reliquos omnes extra Eccleſiam eſſe. Præterea nugabatur, à cæteris in perſecutione ſcripturas Ethnicis traditas, ſoliq; ſibi iuſticiam uaniſsima iactatione arrogabat, reliquis omnibus eccleſijs ad eum ferè modum contemptis, quo hodie Catabaptiſtarum cõciliabula ſolent, quibus & ipſis nihil recte fit, niſi quod ipſi faciũt. Hæc ueſania cum Auguſtini temporibus maxime graſſaretur, et eſſent ex noſtris, qui tollendos de medio Donatianos putarent, nec magiſtratus inhortari, nec principes implorare deſiſterent, uir ille doctiſsimus, & inter Africæ totius Epiſcopos ſumma authoritate præditus, ne quid præfractius indigniúsue (ut fit plerunq; cõtentionis ardore) Catholici præſumerẽt, neúe illorum precibus excitati principes, ſeuerius quàm par eſſet in Donatiſtas animaduerterent, ad ſcribendum appulit animum, ratus hoc ſuo cõſilio, quod Chriſtiana & moderatione & innocentia maxime dignum eſſet, ſeſe aſſecuturum. Et prius quidem ad ſpectabilem uirum Bonifacium comitem, qui ab Honorio miſſus Numidiam adminiſtrabat, amice egit literis, ſubindicans

Epiſcopis nullum ius eſſe quenq̃ cogendi, ſed legibus id Imperatorum *tantũ licere, duntaxat in eos, qui de errore ſcripturis conuicti eſſent.* Præterea *à* Theodo*ſio in* Donati*ſtas latam legem, hac maxime cauſſa probat, quod pro* Chri*ſtiana manſuetudine ſuppliciũ illis capitis nõ intenderet, ſed pecuniarijs tantũ damnis arceret.* Q*uam ſententiã et in libro ad eundem* Boni*ſaciũ de* Dona*tiſtarũ correctione ſcripto repetit, teſtatus, in priuato & prouinciali* Concilio *ſua ſe ſententia obtinuiſſe,* Non *hoc eſſe apud* Chri*ſtianos* Imperatores *agendum, ne omnino non eſſent* Hære*tici, quũ ex* Pauli *uaticinio hæreticos eſſe oporteat, ſed ſi qui eſſent qui immitius* Catholicos *agitarent, ij lege* Theodo*ſiana decem libris auri mulctarentur.* Ita *enim, inquit, exiſtimabamus eis territis & nihil tale facere audentibus poſſe libere doceri & teneri catholicam ueritatem, ut ad eam cogeretur nemo, ſed eam qui ſine formidine uellet ſequeretur, ne falſos & ſimulatos* Catholicos *haberemus &c.* Certe *cogendi facultatem* Principibus *permittit, ſed in eos tantum qui canonicis ſcripturis de errore eſſent cõuicti, nec niſi ære mulctandos innuit.* In Epi*ſtola autẽ ad* Donatum *proconſulem* Africæ *palam ſentit, nulli* Epi*ſcoporum licere hoc animo eſſe ut quantumuis pertinaciter erranti pœna capitalis irrogetur, ſed illius officij eſſe, ut intercedat, & hoc unice curet,*

quo

I. Cori. ij. Et usque ad meſſem reſeruandos. Mat. 13. Sectarum autem hominem iubet diuus Paulus poſt unam et alteram admonitionem eſſe uitandum. Ad Titum ca. 3.

1. Ti. 1.
2. Timo. 4.
Ad Tim. 1.
2. Cor. 10. 13.
Ioannis. 12.

quo qui errat, in ordinem ſanæ doctrinæ reducatur: poteſtatem enim miniſterij, qui Epiſcoporũ proprius eſt, ædificationis eſſe non deſtructionis. Sed & cum Donatiſtis ſcripto egit, uidelicet Vincentio & Petiliano principibus factionis, moremq; habuit publice coram Eccleſijs diſputandi, Notarijs excipientibus, quæ ultro citroq; in medium eſſent allata. Id quod ex Actis eius cum Emerito, quæ hodieq; leguntur, clarum eſt. Cæterum cum Petiliano Donatiano diſputaturus, primum proponit, quod per orbem uniuerſum credentes in IESVM, corpus Eccleſiæ conſtituant. Mox ne quam contentionẽ hominum decreta & ſanctiones parerent, teſtatur, ſe nõ recepturum, quàm quod ſcripturis cõſtiterit. Tertio enim capite, Nõ audiamus, inquit, Hæc dico, Hæc dicis, ſed audiamus, Hæc dicit Dominus. Sunt certe libri Dominici quorum authoritati utriq; conſentimus, utriq; credimus, utriq; ſeruimus, ibi inquiramus Eccleſiã, ibi inquiramus cauſſam noſtrã. Et quinto capite eiuſdem libri, dicturus de Eccleſia, primum non humanis documentis, ſed canonicis ſcripturis uult negotium agi. Deinde ne omnibus quidẽ ſcripturarũ locis, ſed clariſsimis & manifeſtiſsimis, per quæ aut obſcure dicta explicari, aut ambigue tradita diſſolui queant. Arbitrarias autem Allegorias reijcit, nec admittit Iudices quantumuis acutos, ſed ipſa ſcripturarũ claritate

nititur. Nec ullo modo Epiſcopis etiã Catholicis conſentiendum exiſtimat, ſicubi decepti errore, contra Canonicas ſcripturas aliquid ſentiant. Quæ enim ad fidem attinent, inquit, non ex Concilijs contendentiũ Epiſcoporũ, ſed ex canonicis literis uindicanda ſunt. Ac eum quidẽ in modũ cum Donatianis Auguſtinus.

AFRICA.

AB Ampſaga et Metagonio proximo illius oſtijs promontorio, ad uſq; Philenorum aras, regio iacet, quæ quoniam cultiſsima eſt, & clariſsimis quondam frequens urbibus, lacubus etiam amœna & irrigua magnis fluminibus, Africæ nomen proprie ſibi uſurpauit. Punica bella eam, poſt deuictam Carthaginem attriuerãt. Cæterum ubi Romanorum colonia facta eſt, iterum creuere opes, & ueteris gloriæ atq; potentiæ ueſtigia quædam relicta ſunt. In hanc Athlas mons, uelut ardoris perteſus, altis aliquot iugis ſuis immittit: quodq; Italiæ Apœninus, hoc ipſe ea parte ſuæ Africæ præſtat, hoc uno malo incommodus, quod beſtijs ſæuit, quarũ ferè perpetuus altor exiſtit. Efficit autem hoc ſuo flexu, ut etiam ultra Athlantem Africa ad uſq; Nigrim fluuiũ excurrat, Plinio et Ptolomæo. Littora aliquot ſinibus flexa ab occaſu, in promontoria exeũt. Quorũ primum

mum Metagonium, à quo Metagonitis terra cognominata uidetur, Maſiniſſæ quondam Scipionis liberalitate contradita, quam in Numidia ſua cenſet Plinius. Nam & Ptolomæus Numidiam illic nouã facit, ſed Pomponio hæc omnia Africæ tribuũtur. Sequens promontoriũ Candidum dicitur, mox Apollinis cognominatũ, & proxime eum ſinum in quo Carthago eſt, omnium eminentiſsimum promontoriũ Mercurij, ad quod ab Oſtia Italiæ, non longior bidui nauigatio eſt molliſsimo flatu, ut annotauit Plinius. Inde duo ſinus alte ſe in terras recipiunt, ſed infeſti ambo nauibus & Syrtium breuijs infames. Amnium præcipui Rubricatus Ptolomæo dictus, in ſinum Hipponenſem influens. Deinde ex penitiſsimis Athlantis iugis exortus Bragada, qui iuxta Vticam mare ingreditur, ſerpente illo memoratus,, quem Attilius Regulus primo Punico bello multa ſuorun clade, machinis bellicis cõfecit, cuius exuuias CXX. pedum longitudinem habuiſſe Oroſius quarto lib. tradit. Eſt & Triton celebris ex Athlante in paludem Tritoniam lapſus, atq; inde in ſinum Syrtis minoris effuſus. Sed longe celeberrimus Cyniphs, ex deſertis ueniẽs, et per Maſas ueterem Africæ gentem elapſus, inter Syrtium ſinus pelagus ingreditur. Vrbiũ quas memorare operæ preciũ ſit, ab Ampſaga fluuio in Metagonitide Sicca Plinio. Cuius olim celeberrima Eccleſia, Siccenſis co-

gnominata, clara Arnobio Rhetore, *Lactantij* Fir*miani præceptore, qui ſub* Diocletiano *&* Conſtan*tino uixit.* Hunc Hieronymus *tradit conuerſum ad* Chriſtum, *diu ſuſpectum* Epiſcopis *fuiſſe, ob odium, quod antea tam accerbũ in noſtram religionẽ geſſerat, quare animaduerſa ipſe luculentiſsimos aduerſum* Gentes *libros ceu teſtes non ſimulatæ fidei ſuæ, in lucem ædiderit, qui* Hieronymi *ætate extiterunt. In littore autẽ* Hippo Regius *cognominatus, Diuum* Auguſtinũ Epiſcopum *habuit, bene de religione meritum uirum, qui cum in* Africam *tanta ui hominum* Vandali *duce* Genſerico *irrupiſſent, & poſt multa capta oppida ipſum etiam* Hipponẽ *graui obſidione cinxiſſent, ſeptimo obſidionis menſe mortuum ferunt* V. Kalend. *Septembres, anno ætatis* LXXV. *quum* XL. *annis* Epiſcopatum *geßiſſet,* Anno *uero ſalutis* CCCC. XXXIII. *authore* Proſpero, *qui eum perpetuum gratiæ* Chriſti, *contra opera noſtra & arbitrij libertatem defenſorem fuiſſe tradit.* Fuit *& alius hoc tractu* Hyppo, *ſed* Diarrhitos, *quod in udo & paluſtri ſolo eſſet cognominatus.* Inde Vaga *oppidum, à quo* Vagenſes *dicti* Plinio. *Silius,*

Tum Vaga *& antiquis dilectus regibus* Hyppo.

Epiſcopum *habuit* Auguſtini *ætate,* Maximianum *illum, adeo indigne* Donatianorum *inuidia tractatũ, ut* Theodoſium *adpellare fuerit compulſus.* Vtica

nota

nota eſt, in qua iunior Catho mortem ſibi cõſciuit ne in manus ueniret Dictatoris, magna profecto inſania, & quam indigne Romanarum rerum ſcriptores uirtutis nomine celebrauerint. Proxime Vticam Carthago ſita eſt, à Phœnicibus condita, florentiſſima quondam totius Africæ urbiũ, quippe quæ nõ Africæ ſolum maximæ parti, ſed & Hiſpanicæ oræ, quæ à freto ad Pyrenæum uſq;, maritima decurrit, imperauit, imò & urbes peperit, & colonias deduxit, Carthagine in Hiſpanico littore quæ noua cognominata eſt, condita. Illam autem clariſſimã ciuitatem ferunt à Scipione captam & incenſam, XVII. diebus continuis arſiſſe, ut inde facile ſit æſtimare eius magnitudinem. Strabo libro ultimo prodit, muro eam trecentorum ſexaginta ſtadiorũ longitudinis complexã fuiſſe, in medio autem ferè arcem extitiſſe quam Byrſam uocarunt. Mirum autem, poſteris ſæculis reflorere eam principũ Rom. beneficentia potuiſſe, quæ ſic diruta, ſic diſiecta, uaſtataq; fuit, ut omnis muralis lapis in puluerem cõminutus ſit: ſed refloruit tamen, & intra ipſa abolitæ urbis ueſtigia, noua emicuit. Auguſtus Cæſar ſitu loci captus, & memoria ueteris cladis uelut miſertus Coloniam eam deduxit, ciuibus & ueteranis eò ad habitandum miſſis, à quo tempore ita armos extulit, ut celebritate nulli eius tractus urbium ceſſerit. Tradunt & Adrianum magnam illi

opem tuliſſe, à quo Adrianopolis dicta fuerit, & Cōmodū Imperatorē fauiſſe urbi quā Alexandriam Cōmodianā appellari uoluerit, ſi Lampridio credimus. Cæterum ipſa affectatæ gloriolæ exploſis uocabulis, cum uetuſtarum uirium parte nomen Carthaginis ex integro ſibi uendicauit: nec uno deinceps ſæculo fidiſsimam ſe cultricem Romano imperio præbuit, parentē agnoſcens urbem, cuius antea tot annis æmula fuiſſet. Demum uariante rerum ſtatu, ſub Theodoſio illo, qui antea cum Honorio patruo ſuo aliquot annis imperio præfuerat, à Vandalis Germanica gente & Genſericho (cuius ante meminimus) duce capta eſt, Anno Chriſti CCCC. XLIII. Chriſtiani tum erant Vandali, ſed Arriani, & qui orthodoxis ingens in Africa negotium fecerint. Sed tolerabile erat diſsidium partiū quæ Chriſtū ut communē Dominū profitebantur, & ſpes fuiſſet arbitra ſcriptura concordiam inter eos coaliturā, quorū fides dominico uerbo ceu ſacra aliqua anchora niteretur, niſi atrociora ſubſecuta fuiſſent. Siquidem Vandalis ſub Iuſtiniano, à Beliſario uictis et Gylimario duce eorū capto, Perſæ inteſtinis Chriſtianorum bellis elati, Heraclio imperante, in Aegyptum et Africam erumpere auſi, Carthaginem ſemel iterumq; grauiſsime afflixere. Sed et illis (prò dolor) ad ſua reuerſis, Sarraceni ſæuiſsimū & Chriſtianæ religioni uehementer infenſum hominum

num genus, ſub eodē Heraclio, circiter annum Chriſti D.C.VIII. ingenti ui hominum ex ſuis illis Arabijs, Africam ingreſsi, præclarā illam urbem cum reliqua propemodum tota maritima regione, occupauerunt, & ad hunc uſq; diem poßident. Porrò ut uetuſtiora proſequamur, genuit nobis Carthago Tertullianum patre Centurione, quem non dubitat eruditißimum appellare Hieronymus, quanq̃ infenſus ei ob errata quædam, quæ illum tamen ut hominem procliue erat deſignare. Habuit & Cyprianum Epiſcopum, cuius plenæ apoſtolico ſpiritu ad Cornelium urbis Romæ Epiſcopum (quem ſubinde, more ueteribus Epiſcopis familiari, fratrem uocitat) epiſtolæ palàm indicant, quanta dignitate & authoritate inter Africæ Epiſcopos Carthaginenſes fuerint. Quanq̃ illo ſæculo ſyncera fraternaq; Epiſcoporum ſtudia hoc ſolum ſpectarint, ut qui Chriſto nomen dediſſent, ita diſciplinæ Chriſtianæ uitam omnem addicerent, ut mori etiam & teſtem ueritatis ſanguinem fundere brauij et triumphi loco glorioſum ducerēt. Summa tum infamiæ nota erat, cum negaſſe, quantumuis exquiſitis tormentis & ſupplicijs excruciatum, quem ſacro in lauacro cum ſolenni mundi & carnis & ſatanæ, renunciatione, eſſet confeſſus. Vt non alia magis de cauſſa tanta illi authori et ſæculo de lapſis recipiendis diſputatio fuerit. Sed ut uirtutum omniū, ita huius

gratiæ pro Chriſto moriendi exempla in paſtoribus erãt eximia. Enimuero turpe et impium fuiſſet tanto ardore & conatu ad certamẽ inhortari milites Chriſti, aciemq; contra fidei hoſtes tanta circumſpectione inſtruere, cuius, qui ductor eccleſiæ eſſet, primo in loco nõ auderet conſiſtere. O fœlicem illis, quantumuis in ſpeciem duris ærumnoſiſq; ſæculis, Chriſtianorum cõditionẽ, nihil tum in paſtoribus ſimulatũ, nihil inſyncerum uidebatur, & quanq̃ ſubinde pullulantibus uitijs, ceu morbis quibusdã, labor curandi Epiſcopis augeretur (ut nullo unq̃ tempre à nato Chriſto ſatanæ ſtudia interquieuerũt) tamen ut ingentẽ charitatis exercitationẽ ſileamus, hic fructus uel maximus inde illis redundabat, quod in ſudore & ſolicitudine apoſtolicæ functionis detenti, ne reſpicere quidem illis in tantis rerum turbinibus, ad auaritiam, ambitionem, dominatum, luxumq;, fœdas nimirum pietatis peſtes (quibus ocioſas & ſecuras mentes impoſtor ille fraudulentus illaqueat) ullo momento dabatur. Proinde beatiſſimus ille antiſtes, qui tanta grauitate, cura, ſollicitudine, hoc ſuam eccleſiam docuit, ut non tantum Chriſto uiuere, uerum etiam ingruente perſecutione mori aſſueuerit, exemplo cõfirmare quod docuiſſet uoluit, occiſus pro Chriſti nomine Valeriano & Gallo imperantibus, anno circiter quarto poſtquam dilectiſſimus frater ſuus Cornelius Galli et

Satan .i. aduerſarius noſter diabolus nõ dormit. nõ quieſcit. ſed tanq̃ leo rugiens obambulat. querens quẽ deuoret. 1. Pet. 5.

Voluſiani

Voluſiani iuſſu Romæ eſſet.interfectus Anno Chriſti CCL. Sed & Auguſtini ætate Aurelium habuit Carthago clarum uirum, cui libros ſuos de Trinitate ille inſcripſit. Memoratur et Eugenius orthodoxus præſul, cuius eruditæ aliquot lucubrationes ad Hunnerichum Vandalorum regem ſcriptæ extiterint, ceu de ipſo tradit Gennadius. Sed ad loca nobis reuertendum. Mediterranea Africæ Libyphœnices coluere, genus Punicũ, ut ait Liuius, Afris mixtum. Quorum eſt Bizacenus ager amnem Bragadam transmittens, adeo fertilis, ut centeſima cum fruge fœnus reddere agricolis Plinius tradat lib. 5. Alibi teſtatus, eũ agrũ cum ſiccus eſt, nullis tauris arabilem eſſe: contra uero ubi imbribus maduit, tam benigne culturæ eſſe, ut uili etiã aſello, & à parte altera iugi anu uomerem trahente proſcindatur, quod ipſum uidiſſe ſe Plinius innuit. Eſt & Tagaſta inter Africæ oppida celebre, ubi ſe genitũ lib. Confeſſ. ſecundo tradit Auguſtinus. Eſt præterea oppidũ Madaurenſe Plinio, in quo natum Apuleium Platonicum ferunt. Sed & Melditanum, ſeu Miluitanum, quod Optatũ habuit præſulem qui ad Valentem & Valentinianum Aug. cõtra Donatianos ſcripſit, cuius in Catalogo ſcript. Eccleſiaſt. meminit Hieronymus. In tractu littoris ſunt præcipue clara, Oea, Leptis, Taphra, Neapolis, & Leptis altera, quæ magna cognominatur, præterea Tapſus,

Clupea, Zaina, quorum crebra in hiſtorijs mentio. Illud obiter monendum ex Lepti tripolitana Septimium Sæuerum Imperatorẽ ortum fuiſſe, uirum per omnia magnum, ſi à Chriſtianorum ſanguine temperaſſet. Nullos enim prorſus honores patiebatur in imperio ſuo uenales eſſe, uirtuti & bonis moribus, non æri, emptiſue ſuffragijs, uoluit ad publicas functiones patere uiam. Græcarum & Latinarum literarum, ſed & Philoſophiæ gnarus erat. Atq; utinam his ornamentis tam uti pro gloria Chriſti potuiſſet, quàm eſt illis contra pietatem abuſus. Hic eſt Septimius qui Lateranum quendam ex amicis præcipuum ad tantas opes prouexit, ut mox ædes eius omnium in urbe ob ornatum & magnificentiam celeberrimæ haberentur, ac Laterani ædes dicerentur: quod nomen hodieq; durat. Aedidit poſtea & Mauritania Aemilianũ Auguſtum. Adeo nulla terrarũ pars fuit, quæ urbi Romæ nõ imperatores dedit, poſtq̃ ſenatus authoritate poſthabita, exercitus legendorũ Auguſtorum ſibi prouinciam arrogarunt. Supra Leptim

Syrtes. Syrtes ipſæ intra uadoſum et reciprocum mare, æſtu procellarum exundante, incertis ſedibus leniter ſubſidunt, nec arenarum cumuli alluuionis uehementia congeſti, præhendi ob incertas uices, neque caueri poſſunt. Profunda enim redduntur, quæ paulò ante uadoſa erant, contra uero breuia innauigabiliaq;, que

quæ ante nauigabãtur. Qua uarietate ſubinde alternante infamem eius littoris oram atrocitas periculi reddidit, plenis enim uelis adactæ naues, uadoq; illiſæ fatiſcũt & ſubuertuntur. Harum & Lucas meminit cap. 27. Actorum, quod nos in Cretæ mentione explicabimus. Duplicauit natura malum, geminosq; in ſinus condidit, quorum alter Carthagini propior, minorem, alter in Cyrenaicam inclinans maior ſpacioſiorq; maiorem Syrtim amplectitur, quod terrarum inter utrãq; prominet, clariſsimus amnis Cyniphs ex iugis Athlanticis et deſertæ Libyæ parte delapſus pelagus influit. Neq; minus periculi eſt illis in locis, præſertim ubi maior Syrtis eſt, ab arenis continentis, quàm pelagi, uento uidelicet agitatis conuolutisq; turbinibus, quibus (ut ante diximus) iter ingreſſum obrui ſuffocariq; contingit. Mirandũ autem in tanta locorum deſertorum uaſtitate, quædam eſſe inſularũ inſtar, (Strabo Abaſes uocat) quæ cætera fertilitate uincant. Eſt iuxta alteram Syrtim Tacapa ciuitas in medijs arenis ſita, ſolo ſuper omne miraculum riguo ac fertili, biferam enim uitam bis in anno uindemiat. De qua re lib. 18. Plinius grauis in primis author prodidit. Sed & hoc dignum ſcitu in Africa noctes maxime roſcidas eſſe, eodem authore, magno argumento, hoc ipſo ſollicitam fuiſſe naturæ prouidentiam, ut multis in locis unius penuriã cõmodi, alterius pro-

uentu compenſaret. Rariores enim in Africa imbres cum ſint, rorem Deus illi pro imbribus dedit, ne humore cœli frugifera Libyæ prorſus destituerentur. Nō prætereundum, etiam in Africa iuxta iam dictas Syrtes & frequentem quondam Lotophagorū gentem, Tripolim eſſe, à trium urbium numero, Taphræ, Abrotani, Leptis magnæ, quarum paulò ſupra meminimus, Africanam autem cognominatam, ad differentiam Syriacæ quam Tyrij, Sidonij, Aradijq́; obtinent, uelut annotauit Hermolaus. Ipſæ Aræ Philenorum medio fermè ſinu Syrtis maioris appoſitæ, ſunt finis Africæ, ac terminus quondam Carthaginenſium regni poſitus, quum inter hos & Cyrenenſes de finibus eſſet diſceptatum. Cuius rei historiam Salustius in bello Iugurthino retulit, nec præterijt in Africæ deſcriptione Pomponius.

CYRENAICA REGIO.

Cyrenaica regio & ipſa ad Africā pertinet, quanq̄ ab Aegypti regibus aliquando gubernata. Plinius eam, quemadmodum & Pomponius, Catabathmo finit, (eo nomine oppidum, cum ualle repente conuexa inq́; Aegyptum inclinante, ſignificans) in totū enim Aegyptus ad circumiacentes terras collata, demiſsiori & humiliore ſitu eſſe uidetur, ut non ſine cauſſa ſupinam eam iacere, & campe-

campeſtrē pateſcere,idonei ſcriptores prodiderint. Vrbs in ea celeberrima, & quæ Cecropis Athenarum regis ætate cōdita eſſe creditur (uel Euſebio teſtante) Cyrene fuit,aliquot millibus paſſuū à littore diſtans, æmula quondam Carthaginis, & clarorum uirorum memoria celebris. Habuit ſynagogam perueterem,Iudæis iam olim à Teglatphalaſſare Aſſyriorum rege cum reliqua Syrorum multitudine in hanc Libyæ partem translatis, quū uidelicet Achas rex Hieroſolymorum, contra Raſim Syrorum & Phacee Samaritarum reges, illum grandi peccunia ſollicitatum euocaſſet, iniuriamq; quam accepiſſet eſſet ultus, ceu in libro 4. Regū cap. 16. proditū eſt. Ab hac urbe Cyrenenſes dicti, qui è Cyrene eſſent, ceu Symon ille Cyrenenſis,cuius in Euāgelio fit mentio. Aliæ item in hoc tractu urbes erant,quæ quoniā cum Cyrene Pentapolim conſtituebant, Pentapolitanæ nomen ſeruarunt. Eæ ſunt Berenice, Arſinoe, Ptolomais, Apollonia,et ipſa Cyrene. Quarū tractū cum reliqua Africa uulgus mercatorū hodie Barbariam uocat. Meminit & Lucas huius Pentapoleos Actorū 2. capite. Forma littoris,à magna Syrte ferè rectà in ortum et Aegyptum protenſa, niſi quod ſemel iterūq; promontorijs aliquot uidelicet Phycunte & fronte Cherroneſi,in pelagus excurrit. Mare ſæuum,atrox,& importuoſum,quale totius propemo=

Cyrene

Matth. 27. Luce. 23.

Symon Cyrenenſis. pater Alexandri et Rufi. Mar. 15.

Pentapolis.

dum Africæ eſſe memoratur. Mariſtima ſatis culta et frugifera ſunt, ſed quæ arborem, ultra latitudinem XV. millium paſſuum à mari, non ferant. Vlterior plaga in Meridiem conuerſa repente arenis & ſolitudinibus ſqualet, inter quas tamen ceu in inſulis quibusdam ſparſis terras colunt gentes aliquot. Quarũ precipuæ, Naſamones, Hasbytæ, Macæ, & ultra eos orientẽ uerſus Hammanientes Aethiopicis iam proximi. De quorũ omnium cultu & moribus Pomponius Pliniusq; tradiderunt. Iuxta mare, poſtremus littorum tractus, quem Alexandria et Aegyptus excipiũt, Mareotis dicitur, unde quadriduo per deſertum ſabuloſum & aquarum uſu prorſus deſtitutum ad locum eum peruenitur, qui quondam Iouis Hammonis templum ſuſtinuit, ſyluarum, fontiumq; amœnitate & uniuerſa cœli clementia eximium, ad quem Alexandrum Macedonem fama loci commotum penetraſſe Curtius lib. 4. ſcripſit. Minime autem fabuloſum arbitror quod de fonte eius loci qui medio die frigidiſsimus noctu calidiſsimus exiſtat, tot recepti authores prodidere. Vt enim in exhauſtæ potentiæ eſt opifex ille naturæ rerum omniũ parens, ita profecto in opere illo mirifico, ab ſe ex nihilo in lucem ædito, guſtũ ſui mortalibus præbuit, et ueſtigia quædã impreſſit, quibus aſſequi illum pietas & colere ut authorẽ & amare ut fontẽ omnis plenitudinis poſſet.

Alium fontem quendam eſſe in Dodona plus quam prodigioſum refert Plinius li. 2. na. hi. ca. 103. quem cum ſit frigidiſſimus et faces ſi quis ardentes immergat, extinguat, ſi extinctae admoveantur, accendat.

Certe

Certe & Auguſtinus illius fontis meminit 21. lib. de Ciuitate Dei, cap. 5. Nec defuit experientiæ ſua occaſio, quum armis Romanis omnis ille tractus patuit, Corn. Balbo duce, à quo & ſuperatam iſtam Libyæ partem & triumphatam fuiſſe Plinius tradit. Ptolomæus lib. 4. Cyrenaicæ partẽ Marmaricæ Libiæ nomine cenſuit, quoniã Marmaridæ populi ſupra Cyrenaicos et Parœtonios late habitarint. Plinius quoq; quinto libro, Mareotim Libyam poſt Catabathmon Aegypto conterminam facit, Marmarides in ea connumerans. Haud quidem diuerſi, gentium locorumq́; nomenclatura, in eo tractu authores, ſed eadem propemodum diuerſa quadam ratione tradũt. Quis enim in tanta hominũ locorumq́; cum uarietate, tum mutatione, perpetuum tenorem ſeruare poßit paria tradendi? cum in hoc maxime argumenti genere nihil magis præclaros uiros ad ſcribendum non admodum diſtantibus temporibus impulerit, quàm quod interminæ ſunt rerum humanarũ uiciſſitudines. Et quemadmodum homines, ita & regiones, urbes, pagos, uicos & uillas etiam ſingulas, tot modis ad caſum interitumq́; expoſitas eſſe uidemus. Sane neq; regnis, quæ & ipſa ſuas habent periodos, quicq̃ diuturnum manere, ut uerißimũ ſit quod ſermone uulgi circumfertur, Nullum unquam ſæculũ aduentare, quin ſuam quandam morũ & rerum faciem à prioribus diuer-

ſam, ſecum inuehat: ut nõ alia in parte naturæ, fidelius nos mortalitatis & incertitudinis rerum omnium diuina prouidentia admonuerit, ſi forte cœleſtia cogitare, & ad aliam uitæ conditionem retinendam accingere nos pergeremus. Nam ne terra quidem ipſa adeo in tuto locata eſt, quin alicubi motibus horrendis aut ſubſidat & undis cedat locum, aut æſtibus repente inundantis Oceani alluatur & flacceſcat. Quanq̃ autẽ dubium nõ eſt, quin bonam partem urbium locorumq́; quæ memoramus, aut bellorum internitiones aboleuerint, aut abſumpſerint uel ſponte enata uel ſuggeſta incendia, aut motus terræ (qui Syriacas Aſiaticasq́;, præterea et Thraciæ Græciæq́; ciuitates ceu ſuo quodam iure percellere & diſijcere aſſolent) quaſſarint, aut uicinis in agris exortæ calamitates deſertas fecerint, ſeu ſi nulla iniuria reliqua nocuit, nomina tamen mutari contigerit. Multas autem ipſa uetuſtas, quæ nihil non conſumit, luxauerit. Contra uero multas enatas, quarum hodie alicubi magna celebritas exiſtat, nec notitia ad nos earum peruenerit, nedum ut ueteres meminiſſe illarum potuerint. Tamen, utcunq; habeant res, præſtat ſemel, imò uero neceſſe eſt uel uetuſtiſsimorum locorũ perinde atq; illeſa incolumaq́; exiſtant, ad tuendam hiſtoriæ cognitionem, ſumma diligentia meminiſſe. Vt enim hiſtoria res plerunq; remotiſsimis ſæculis geſtas,

Vt meminerimus noſtrã conuerſationẽ eſſe in coelis teſtãte Paulo ad Philippenſes. 3. Ideo ſuperna quęrenda. & mirãda nobis eſſe. nõ terreſtria. Coloſ. 3.

ſtas, ceu recentes offert animo, neq; unquam tam nuda eſt, quin locorum & regionum, regumq́; & populorum ſubinde mentionem inculcet: ratio ipſa flagitat, ut in illa pernoſcenda uetuſtiſsima quæq;, etiam ſi abolita extinctaúe ſint loca, tanquam nuper nata ob oculos ponamus, atque non ubi ſint, ſed quo loco tractuúe fuerint plæraq;, magna cura perquiramus. Quam operam, ſi ulli alij, certe ſacroſancti illi Bibliorum libri maxime exigunt: neq; poteſt apoſtolicarum lucubrationum, ipſaq́; in primis Lucæ hiſtoria recte ſine accurata aliquot locorum obſeruatione intelligi. Diuus Hieronymus ſuo in Hebraica loca procœmio, tradit Euſebium Pamphili Cæſarienſem Epiſcopum, poſt decem Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libros, poſt temporum canones, quos in linguam Latinam ipſe Hieronymus tranſtulit, poſt diuerſarum uocabula nationum, quomodo apud Hebræos aliquando dicta ſint, & tum dicerentur, expoſita, poſt topographiam terræ Iudææ, & diſtinctas tribuum ſortes, ipſiúsque Hieruſalem, Templique in ea cum breuiſsima expoſitione, picturam, ad extremum in hoc laboraſſe ut congregaret de ſancta ſcriptura omnium penè urbium, montium, fluminum, uiculorum & diuerſorum locorum uocabula, quæ uel eadem eo ſeculo manſiſſent uel immutata eſſent poſtea, uel aliqua parte corrupta. Quam lucubratio-

nem Latinitate donare Hieronymo haud dubie uiſum, nulla alia cauſſa adducto, quàm quod uideret (quod & Euſebius uir tantus ante ſe uiderat) parum lotis manibus ad tractationem ſcripturarum accedere, qui notitiæ locorum, quibus ſacri libri ſcatent, rudes & ignari exiſterent. Extant etiamnum Hieronymi in Acta apoſtolorũ fragmenta quædam, palàm teſtantia quantũ illi facultati quæ pernoſcendis id genus locis impenditur, uir ille doctiſsimus tribuerit. Cæterum poſt Euſebianarum lucubrationum interitum, poſt Hieronymi deſiderata id genus monumenta, ſic benigne noſtro ſæculo diuina nobiſcum miſericordia agit (utcunq; exulceratis & ad ſummum periculum deuolutis rebus) ut cum ipſis ſynceræ ſolidæq; pietatis ſtudijs, uelut poſtliminio reductis, reliquarum itidem doctrinarum ornamenta, quæ quidem ad huius maieſtatem illuſtrandam conducerent, raro quopiam ac propemodum incredibili prouentu felicium ingeniorum, ita augeſcant, & uires recipiant, ut certa mihi ſpes ſit, per bonam Domini noſtri Ieſu gratiam, breui futurum, ut nihil ſint hoc quidem in genere doctrinarũ deſideraturi, quorũ animos, candidus et ſyncerus amor profitendæ ueritatis imbuit. Nuper Iacobus Zieglerus Landauus, uir non pietate ſolũ, cui merito primas in omnibus tribuimus, uerumetiam eruditione (rara ante in illis qui iactarũt pietatem)

tatem) et honeſtiſſimarum diſciplinarum notitia excellens, Tabulis æditis, quibus Aegypti Syriæq; & Arabiarum loca (quatenus illa ad ſcripturarum explicationem attinere uidebantur) ita in lucem cum pleraq; omniũ locorũ obſcuritate protraxit (idq́; diligentiſſima indicatione adhibita) ut in hoc uno uiro haud dubie ſartũ tectum acceperimus, quod temporum iniuria, fœdaq́; illa ſtudiorum πανολεθρία in Euſebio Hieronymoq́; nobis abſtulerat. Me quidem nuperrime Lucæ hiſtoriam, rerũ ab Apoſtolis geſtarum, cũ ſelectis aliquot amicis & fratribus Eccleſiæ noſtræ, reuoluentem, non alia ad hanc regionum & locorum ex picturis demonſtrationem, cauſſa magis impulit, quàm ut paratiſſimis illis ad diſcendum animis hanc quoq; uiam aperirem quam tererent, quod ſane egiſſe me fateor. Compitalium more ſtatuarum, quæ alijs, quod ingreſſæ nunq̃ ſunt, iter indicãt: neq; perteſum, nouis recentia, alienaq́; noſtris alicubi miſcere. Maxime autem Eccleſiarum paſtorumq́; ueterum, & rerum ad religionem attinentiũ, per interualla meminiſſe, quod operæ huic uideretur reſponſurum precium, ſi guſtum offerrent ſtudioſis, quo deinceps ad reliqua uetera Chriſtianæ diſciplinæ monumenta diligentius perquirenda alacri ſtudio firmarentur. Sed uideo me imprudentem etiam, in deſcribendo, indulgere calamo, atq; iterum uelut ex in-

tegro præfari. Proinde *ad reliqua Cyrenaicæ nobis reuertendum.* Ammianus Marcellinus *qui ſub* Iuliano *militauit, libro* 22. Aridiora, *inquit,* Libyæ *in ſupremo obitu regis conſecuti ſumus arbitrio:* Cyrenas *cum reſiduis ciuitatibus* Pentapoleos, Ptolomæi *liberalitate ſuſcepimus. Quibus uerbis innuit, eam cuius paulò ante meminimus terrarum* Africæ *partem alia ſorte populo* Romano *obtigiſſe, quàm aut* Mauritania *aut* Numidia, *aut illa quæ proprie* Africa *dicitur, obtigerit.* Africam *enim* Punica *bella domuerunt,* Numidiæ *partem, & Mauritaniam bellum primum, quod cum* Iugurtha *populus* Romanus *geſſit, aperuit. Illa uero* Libya *quæ ſupra* Cyrenaicã *iacet* Appionis *regis teſtamento in ditionem* Romanorum *peruenit, quod &* Euſebius *docet: &* Pentapolis Ptolomæi *dono reliquis prouincijs acceßit.* Interiora, *hoc eſt, longius remota à littore &* Athlanticis *iugis diuidua* Imperatores Augg. *ſequentibus annis tentare & laceſſere armis ſunt auſi.* Notandum *autem, eam regionem ferè* Libyam *uocari ſcriptoribus, quæ ab occaſu* Aegypto *imminet, nec ſemper totam illa uoce* Africam *ſignificari, ſicut nec ſemper generale uocabulum* Africæ *uniuerſam* Libyam, *ſed eam tantum prouinciam quæ circum* Carthaginem *ſita eſt, ſignificat.* Plinius 6. *cap. libri* 5. Ea, *inquit, quæ ſequitur regio* Mareotis Libya *appellatur,* Aegypto *contermina.*

Libya.

mina. Lucas quoq; Actorum 2. capite, in gentium enumeratione, hunc tractum deſignans, Aegypti (inquit) et partium Libyæ quæ eſt finitima Cyrenæ. Conſtat autem in tota Cyrenaica frequentes Eccleſias, inq; his paſtores pientiſsimos fuiſſe. Et eſt uериſimile, ſtatim ab apoſtolorum prædicatione Euangelion edoctas & conuerſas ad Dominum ueniſſe. Vt enim Alexandrinæ Eccleſiæ uetuſtatem non attingamus, Lucas ipſe tradit Actorum 13. Lucium Cyrenenſem prophetam & doctorem inter apoſtolos & reliquos Chriſti miniſtros, qui tum Antiochiæ Chriſti negocium agerent, in primis celebrem fuiſſe. Præterea ab eo dein 15. capite cõmendantur Cyrenæi quidam, qui quum alij ſolis Iudæis Dominum Ieſum prædicandũ eſſe putarent, nec participes facerent gratiæ Euangelicæ qui ex Gentibus eſſent, ipſi contra ſana doctrina inſtituti, ipſis etiam Gentibus Chriſtum prædicabant, nec paruo cum fructu, magno credentium numero ad Dominum conuerſo. Tales igitur, quis credat ſuis defuiſſe fide ſaluandis, qui alienis non defuiſſent? Eccleſias aũt Cyrenaicæ Alexendrina Diœceſi fuiſſe comprehenſas, illud argumento eſt, quod aliquot concilijs Alexandriæ habitis Epiſcopi Pentapolitani interfuiſſe leguntur, neq; abſimile eſt uero, ad eam ſedem, ut facilem aditu, præterea eruditorum

Lucius Cyrenenſis.

Cyrenæi.

1. Timo. 1. 2. Timo. 4. Ad Tit. 1. Quibus de ut quoque pœnitentiam sit ad vitam: Actorum. 11. Vide Acto. 10. de Cornelio Centurione ad fidem Christianam conuerso.

hominum fama celebrem, poſtremo & Apoſtolicam, confluere ſolitos, quum aut euocati ab Epiſcopo, *aut alia quapiã religionis cauſſa flagitante adducti, conuentus celebrare libuiſſet.* Accedit ad hæc quod *tractus* Libyæ & Cyrenes, *à prouincia* Africa *arenis et ſerpentibus ſupra magnarum* Syrtium *ſinum, ſeiungitur, ut non difficilis modo, uerumetiam periculoſus ſit horum ad illos tranſitus.* Præterea Carthagine *celebratum à* D. Cypriano *concilium extat, in quo expreſſa parochiarum nomenclatura admonet, ex* Mauritania, *Numidia &* Africa, Carthaginem, *ut ad* Metropolim, *rerum ad pietatem attinentium gratia* Epiſcopos *coire ſolitos, quod & tum factũ eſt, quæſtione propoſita de baptiſmo hæreticorum, deq; rebaptiſandis quos illi tinxiſſent. &c.* Cæterum *tempus fuit, quum* Epiſcopi *dicerentur, qui uulgo nunc parochi & plebani dicuntur, uerum alij alijs (ut in ordine honeſto, quem* Pauli *etiam inſtituto ſeruare* Eccleſias *decet) dignitate & multorũ conſenſu permiſſa authoritate præibant, ita tamen ut reiectis ambitionis illecebris, unica eaq; maxima* Eccleſiarum *cura diſtinerentur: nõ enim erãt apud ullos qui* Chriſtum *eſſent profeßi, maiora clarioraq; pietatis continentiæ & eruditionis exempla, quàm apud illos paſtores quibus cæteri fratres* Epiſcopi *primatus honorem ad eum modum conceßiſſent.* Igitur Eccleſiarum

De officio Episcopi. Vide ante. 1. Timo. 3. Ad Titum. 1. ca. Nemo seipsum ingerat aut intrudat: & usurpet praedicandi officium. Nemo temere sibi doctoris officium accipiat, sed potius vocatione expectet, ut Aaron. Hebr. 5. Vide Ro. 10. Hiere. 14. 23. Hoseę. 8. Joan. 10.

rum Libycarum duæ ſedes erant omniũ celeberrimæ, Carthaginenſis ſcilicet & Alexandrina, quanq̃ Aegypto Alexandria accenſeretur. Extat Epiſtola ſinodalis ex Nicæno concilio Alexandriam miſſa, cuius inſcriptio apud Theodoretum pro noſtra ſententia, ad hunc modum habet. Τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ χάριτι τοῦ θεοῦ Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίᾳ καὶ τοῖς κατὰ τὴν Αἴγυπτον καὶ Λιβύην Πεντάπολιν ἀγαπητοῖς ἀδελφοῖς οἱ ἐν Νικαίᾳ συναχθέντες καὶ τὴν μεγάλην ἁγίαν σύνοδον συγκροτήσαντες ἐπίσκοποι, ἐν κυρίῳ χαίρειν. Hoc eſt, Sanctæ magnæq; dei gratia Alexandrinæ eccleſiæ, & dilectiſſimis fratribus per Aegyptum & Libyam & Pentapolim conſtitutis, cõgregati & magnam ſynodum Nicææ celebrantes Epiſcopi, in domino ſalutem &c. Porrò Africæ eſt cõtermina Alexandria, de qua mox dicemus.

SEQVITVR ASIA.

AEGYPTVS.

VLtra Mareotim & iuga Aethiopica ab auſtro ueniẽtia Aegyptus iacet, fertiliſſima quidem illa terrarum, ſed quæ & ipſa Nili acceſſu deſtituta, famem interdum ſentiat. Alioqui regni uetuſtate, cum auita potentia rerumq; magnarũ memoria celebris. Nominis cauſſa nõ eadem ſcripto- Aegyptus

ribus redditur, alijs ab Aegyptio rege, cum antea Aëria dicta eſſet, uocantibus: plærisq; ab Aegypto amne, qui poſtea Nilus dictus ſit, iuxta ſitæ regioni nomen datum affirmantibus. Certe, Homero uatum uetuſtiſsimo Aegyptum dictum qui nunc Nilus eſt, Plinius aſſerit lib. 5. & fit ferè ut in accolas aliquid de amnium nominibus transfundatur. Quanq̃ autem Aegyptios in arroganda ſibi incredibili uetuſtate & decem millium annorum curſu ceu ex annalibus obſeruato ridicule hallucinatos fuiſſe, indubium eſt. Tamen (ut immodica illa ſinamus) propemodũ conſtare uideo, ſecundum Aſsyriorũ regnum, uix ullum Aegyptio uetuſtius prædicari. Tempore enim quo Abraham uxore ſua comite, in illas terras peregrinus uenit, Nechiam Pharaonem, Aegypto iam celeberrimæ & frequentiſsimæ præfuiſſe, Ioſephus tradit. Hic uero fuit Pharao qui, ut Geneſ. 12. cap. ſcriptum eſt, uxorem illi abduxit, quam ſororem eſſe crediderat: nongenti autem & quadragintaduo anni à diluuio ad ætatem Abrahæ numerantur Euſebio, ut ſit conſequens, nõ ita multo poſt cataclyſmum, regnum illud tantis opibus, ut uidetur, auctum, tantaq; hominum frequentia numeroſum, cœpiſſe. Diuitiarum eius tractus multæ cauſſæ ſunt, quarũ potiſsima, terræ fertilitas, raris quidẽ imbribus, ſed ſolis propemodum Nili fluentis ita fœcunda, ut non alibi terrarum, aut

uberior

uberior aut uelocior herbarum & frugum maturitas proueniat. Caius Plinius author eſt, ſic abunde herbis ad cibum accomodis Aegypti agrum affluere, ut uel carere frugibus poßit. Quo minus mirum ſit, tam large ſemper & liberaliter exteris eam populis annonæ afflictione grauatis quondã ſubueniſſe. Publicũ enim orbis horreũ, uerißimo præconio Aegyptũ eſſe ueteres dixerunt, neq; ulla imperij prouincia fuit, cui plus debuerit Italia, quoties fame eſt laboratũ, ut interim de cõſueta annuáq; frumentatione et Canone illo, cuius ipſa fotrix fuit, nõ dicamus. Certe ueterũ Regũ curam fuiſſe legimus, ne hoc munificentiæ munus interiret, uecturæ uidelicet celeritate, & agrorũ ſimul ubertate foßis adiuta, quas ultro citroq; ex Nili alueo deductas, terris longißimo ſpacio immiſerunt, ut quoties res poſtularet conuehi undiq; nauibus frumentũ Niloq; deuehi poſſet. Eas foſſas Auguſtus poſt uictum Antoniũ et Aegyptũ tunc primũ in prouinciæ formã redactam, ut feratiorẽ habilioremq; annonæ Vrbicæ redderet, longa oblimatas uetuſtate militari ope deterſit, authore Suet. Inde factum ut ducenties centena millia frumenti annua, urbi illata ſint, qđ et Eutropius in Auguſto aſſerit. Porrò non frugũ ſolum olerumq; omnis generis, ſed et uini optimi eſt ferax, pari modo florum prouentu et odorũ diues, nã ungenta precioſißima Aegypto etiã Plinius tribuit. De papyro, lino,

alumine, deq́; gemmis quas gignit, referre ſuperuacuum ducimus. Iſtud obiter monendum, & in fœminis Aegypti eximiã eſſe fertilitatẽ. Nam cum alijs in terris per quàm rarum ſit geminos naſci, in Aegypto translatitium eſt, terni etiam & quaterni gignuntur, ſed & ſeptenos utero concipi, ex Trogi authoritate lib. 7. Plinius prodidit. Cumq́; octauus menſis fermè ſit letalis omni ædito partui, ceu libro 8. de natura animalium ſcribit Ariſtotiles, in Aegypto (quod miremur) ſalutaris eſt. Opes autem eius regni magis licet mirari, contemplantibus regalium monumentorum ueſtigia, quæ ſine inæſtimabili ui pecuniarum abſolui non potuere, in quorũ numero ſunt Obeliſci, Pyramides, Sphinx, Labyrinthus, quorũ ſuo loco fiet mentio. Haud dubie illas & uectigal auxit in Nilo reciprocũ, auxere et redditus quos immenſos ea terra habuit. Toti enim Aegypto incredibilis uecturæ cõmoditas ineſt. Ex Aethiopia enim Arabijsq́; & India iam olim frequenti nauigatione res precioſæ importatæ et exportatæ ſunt, unde urbi Alexandrinæ emporij fama toto orbe clariſſimi extitit. Strabo Amaſinus grauis author, qui ætate Auguſti, Aelio Gallo equeſtris ordinis homine duce ſtipendia in Aegypto meruit, adq́; Syenem uſque & Aethiopicum limitem ingreſſus, totam eam regionem perluſtrauit, tradit lib. 17, Ptolomæum Auleton cognominatũ poſtremæ

Cleo-

Cleopatræ parentem duodenũ millium et quingenum talentorum annuum tributum ex Aegypto habuiſſe, nec dubitat ampliores redditus ærario Romano obtigiſſe, quippe qui maiori cura diligentiaq́; prouinciã adminiſtrarint. Summã autem indicatam à Strabone, Budæus uir doctiſsimus libro de Aſſe & partibus, quarto, ſeptuagies quinquies centenis millibus aureorum, æſtimat. Et hæc quidem ex uectigalibus & tributis. Quid aurum ex Aethiopijs Arabijsq́; obuium, quid priuatas ueterum regum opes & procurationes ſummæ adijeciſſe putamus? Tradit enim libro 7. Eutropius urbem Romam poſt deuictum ab Auguſto Antonium, ipſamq́; Aegyptum receptam, in tantum opibus auctam fuiſſe propter abundantiam pecuniarum, ut poſſeſsionum, aliarumq́; rerum uenalium duplicata precia fuerint conſtituta, quanq̃ partẽ eius prouinciæ Dictator ante exhauſiſſet. Nunc de ſitu dicemus. Ab Auſtro in Boream eximie longo tractu porrigitur, Nilúmque propè mediũ transmittit, nuſquam felicior quàm ubi undis huius rigua eſt. Latus occiduum Libya claudit et Mareotis, orientale Arabia, à Mediterraneo ad Rubrũ mare expanſa. A meridie Cataractæ ſunt, hoc eſt, præcipites et aſperæ montium anguſtiæ, per quas amnis ingenti aquarum mole deuolutus, nõ fluere inter occurſantes ſcopulos (ut ait Plinius) ſed ruere uidetur. A ſeptentrione au-

tem noſtrum mare infidum & raris portubus hoſpitale claudit. Fuit autem tempus, authore Strabone, quum illud tantū ſolum Aegypti nomine cenſeretur, quod irriguus amnis fœcundo ſuo limo poſſet obducere, à Cataractis uidelicet, & Syene ad uſque Nili oſtia, quam diſtantiam Plinius quingentis octuaginta quinq; millibus paſſuum menſus eſt. Sed ætas poſterior (ut fermè uariant regnorum limites) in bonam Arabiæ partē ab ortu, ab occaſu uero, trans Mareotim & Parœtonium, Aegypti terminos extendit, addita etiam parte, quam à Meridie in arenæ ſqualore gentes poßident, qui Libyægyptij Ptolomæo uocati ſunt. Caius Plinius lib. 5. à Peluſiaco primum (quod inter Nili ad ortum uerſa oſtia extimum eſt) Aſiam incipit, ut ſtet uetus ſententia Nilum inter Aſiam & Africam terminū eſſe, quodq; Aegyptus dicitur, nec huius nec illius in totum eſſe, ſed collimitia partium duarum terræ, qua parte amni, cui omnia debent, imminent, in unius nominis appellationem cōſenſiſſe. Igitur difficilis acceſſus id regnum eſſe, recte Ioſephus & Ammianus prodidere, ab occaſu enim non montana ſolum eaq; perardua, uerū etiam arenoſa, & (ubi Mareotis iacet) paluſtria ambiant: ab ortu autem montana iuxta Erythræum ſinum aſſurgentia, præterea continens quæ inter noſtrum & Rubrum mare eſt, deſerto difficilimo tranſitu à Petrea, eam

& Pa-

& Palæſtina dirimat: dein ab Auſtro montium prærupta, & à Borea importuoſum pelagus finiat. Sed neq; his tantis naturæ præſidijs ſepta et communita, in tanta rerum & hominum copia ab exterorum ſe incurſionibus tueri potuit. Prò deum immortalem, quàm friuolæ hominũ ſpes? quàm ſtulti ſæpe conatus exiſtunt? Vtinam tandem rerum geſtarum, uel ueterum uel recentiũ fide, Chriſtiani principes diſcerent, nullum unquam à cõdito æuo imperium tam firmum & ſtabile, nullum tam potens regnum, nullam ciuitatem uel optimis inſtructã legibus tam munitam unq̃ fuiſſe, quin aut ceciderit aliquando aut mutarit dominum, ubi id demũ fatali prouidentiæ fuiſſet uiſum. Intereũt enim regna et oriuntur. Neq; id ſentio uelut damnans ciuiliũ rerum adminiſtrationẽ aut prudentiam et nõ uerendos exiſtimẽ ſummos illos Magiſtratus, quos à Deo ordinatos eſſe Paulus admonet: ſed qđ ad moderationẽ animi, adeoq; ad mediocritatem, exiſtimem Chriſtianũ principem reſpicere oportere, ceu cõſcium caducarũ rerum, ut Ne quid nimis (quod ille dixit) in uita cõcupiat, cogitetq; mediocria perenniora ingentibus, et raro eſſe diuturna, quæ ſunt immodica. Ipſa Aegyptus primum à ſuis, hoc eſt, indigenis regibus, qui Pharaones dicebantur, gubernata eſt. Pharao autem, ut Ioſepho lib. antiqui. quarto placet, ueteri Aegyptiorũ lingua regem ſignificabat. Nec priuatum hoc, ſed cõmune regibus nomen erat,

cum ſingulis alioqui ſua nomina eſſent, authore etiam Euſebio. Ita Nechonias Pharao dictus ille quem Abraham uidit, & Cenchres, cuius cor contra Moſen Dominus indurauit, Aerythræis demũ fluctibus obrutus, Euſebio. Quanquã hic Appioni, Amaſis, Ioſepho autem, niſi fallor, Techmoſis uocatus eſt: ſic & alijs alia fuere nomina. Poſt hos, mutatis rebus, ad Aethiopes regni iura deuenere, quum Iudæis rex Ezechias præeſſet. Deinde Cyrus Perſa, quum Medorum & Aſſyriorum in ſe opes & regna transtuliſſet, deuicta Aſia, etiam Aegypto, Seſoſtre ſuperbiſſimo rege deuicto, potitus eſt. Verũ ſub Dario cui Nothi cognomentum fuit, defectione facta, ſuis iterum regibus paruit uſq; ad Alexandri exitum, qui annis plus unius quadringentis ante natũ Chriſtum, Babylone Chaldææ, ex humanis exceſſit, unde Ptolomæorũ regnum, à Ptolomæo Lagi filio præcipue ex Alexandri ducibus initium habuit. Huic enim Aegyptus cum obueniſſet, factum eſt, ut Ptolomæis dictis qui ſucceſſiſſent aduſq; Cleopatram illam quæ ſibi admouit aſpides, ducentis fermè nonagintaquinq; annis Aegypti regnum durauerit. A quo tempore occaſione Ciuilium bellorum Romani rerum potiti, mox paulò regnum ampliſſimum in prouinciæ formam redegerunt: ad extremum autem ipſius etiam imperij luxatis uiribus, ſub Heraclio malis auſpicijs lecto imperatore, totam

Gene. 12. Exodi. 4. 5. 7. 8. 9. 10. 11. Exodi. 14. 2. Regu. 18. 2. Chro. 29. 2. Chro. 36. 1. Esre. 1. Hesaie. 45.

Videturque mihi (inquit Hieronymus li. 9. super Ezechielem) non nomen esse Pharao, sed apud Egyptios hoc vocabulo demostrari regiam dignitatem. Sicut apud Romanos Cesares et Augusti reges eorum appellantur, a primo Caio Cesare et secundo adoptivo eius Octaviano, qui postea Augustus est appellatus. Et apud Syros Antiochi, apud Persas Arsacidae, apud Philistim Abimelech; et post Alexandrum in Aegypto Ptolomei usque ad Cleopatram, qua victa apud Actium, Aegyptus Romana est facta provincia. Hec ille.)

totam eam Sarraceni occuparũt, annis circiter quindecim poſt Gregorij primi mortem, qui fuit annus Chriſti D. C. XIX. *Reges illi ſuos Sultanos uocant, uocabulo perinde omnibus qui præſunt cõmuni, atq; Pharaonum ac Ptolomæorum ante fuit. Neq; uero Aegyptios ſua fraudari gloria par eſt, quippe illi nõ tam externarum gentium iugum ſuſtinuerunt, quàm impoſuerũt. Vt enim alios authores ſinã, ipſe Plinius locuples teſtis eſt, & Aethiopiæ præfuiſſe Aegyptios & Syriæ, nec paucis annis illis terris imperitaſſe. Nunc ad ſitum reuertemur. Amnis Nilus, ut dictum eſt, ex Aethiopia delapſus, mediam Aegyptũ tranat, eſtq; omnium in Mediterraneum uenientium maximus, ſeptem enim oſtijs grandibus effunditur, pluſculis interim (quoniam parua ſunt) nõ numeratis. Illorum extrema Canopicũ ſcilicet & Peluſiacum centum ſeptuaginta millium paſſuum interuallo diſtant. Quod terrarum interiacet frequentiſsime habitatur, & eximie fertile eſt. Ab eo autem loco quo diuidere ſe dextraq; & leua digredi Nilus incipit, ferè triquetra forma iacet, atq; ea cauſſa ueteribus ob adſimilem Grecæ literæ Δ effigiem, Delta uocata inſula, quam & inferiorem Aegyptũ uocitarũt: quæ nõ fuiſſe aliquando, ſed ſtagnantis Nili deuecto limo ſubſidente, poſt Homeri tempora enata creditur, unde à Seneca dictum uideatur Aegyptum non tam terrarum ferti-*

litatem, quàm ipſas terras Nilo *debere.* Creſcit *hic æſtiuis menſibus,*Sole Cancrum *ingrediente,* Lunaq; *(ut* Plinius *refert) noua quæcunq; poſt* Solſtitium *eſt, ſenſim modiceq;,* Cancrũ Sole *tranſeunte, abundatiſsime autem* Leonem, *& reſidet in* Virgine, *ijsdem quibus accreuit modis,in totum autem reuocari intra ripas in* Libra, *centeſimo ex quo cœpit die.* Puteos *habet* Aegyptus *cubitorum notis diſtinctos, hominesq;* Nilometras *quibus hoc muneris demandatur, ut quot cubitis amnis cum eſt maximus, aſſurgat, diligenti obſeruatione percipiant.* Iuſtum *incrementum* Plinius *tradit eſſe cubitorũ* XVI. Minores *aquæ non omnia rigant parcius ueniendo, ampliores detinent tardius recedendo, hæ ſerendi tempora non dant ſolo madente, illæ abſumunt, ſitiente: ubi plenum incrementum depræhenditur lætum, & ceu feſtum ab incolis ocium peragitur, ubi parce uenire* Nilometræ *indicant, certatim nulli labori parcitur, quo moles illas quibus immodice exundantem coërcent, aperiant, undamq; ſimul canalibus ductis deriuent, inuitentq;.* Eleganter *enim* Plinius, In XII. *cubitis (inquit) famem ſentit* Aegyptus, *in* XIII *etiamnũ eſurit,* XIIII *cubita hilaritatem afferunt,* XV *ſecuritatem,* XVI *delitias.* Porrò *in ripas amne collecto, quod ad* Libræ *finem contingit, ſatio apparatur, quæ menſe* Nouembri *appetente perficitur.* Meſsis *autẽ tempus* Maius

exhibet,

exhibet, teſte lib. 18. Plinio. Sed Senecæ uerba libet huc ex quarto lib. Naturaliũ quæſtionum apponere, Quantum creſcit Nilus tantum ſpei in annum eſt, nec computatio fallit agricolam, adeo ad menſuram fluminis reſpondet, quam fertilitatem facit Nilus. Is arenoſo & ſitienti ſolo & aquã inducit & terram, nam cum turbulentus fluat, omnem in ſiccis & hiantibus locis fæcem relinquit, et quicquid pingue ſecum tulit arentibus locis illinit. Iuuatq́; agros duabus ex cauſsis, & quod inundat et quod oblimat, ita quicqd non adijt ſterile & ſqualidum iacet, ſi creuit ſuper debitum, nocuit. Mira itaq; natura fluminis, quod cum cæteri amnes abluant terras & euiſcerent, Nilus tanto cæteris maior adeo nihil lædit nec abradit, ut contra adijciat uires, nimiumq́; in eo ſit quod ſolũ temperet, illato enim limo arenas ſaturat & iungit. Debet illi Aegyptus non tantum terrarum fertilitatem, ſed ipſas. Illa facies pulcherrima eſt, cum iam ſe in agros ingeſsit, latent campi, oppertæq́; ſunt ualles, oppida inſularum modo extant, nullum in mediterraneis niſi per nauigia commertium, maior eſt lætitia gentibus, quum minus terrarum ſuarum uident. Hactenus Seneca. Incrementi eius uariæ cauſſæ afferuntur ab authoribus, quarum tamen mihi probatiſsima uiſa, quam Seneca reijcit (quanq̃ faſſus Anaxagoram, Aeſchilum, Sophoclem et Euripedem, tradidiſſe, inq;

ea opinione omnem uetuſtatem fuiſſe) quod ſolutæ magnis æſtibus niues ex immanibus Aethiopiæ iugis largius quàm ripis accipi queant, defluunt. Compertum autem uel Senecæ ſæculo fuit, Athlantem illum Aethiopicarum gentium arbitrũ, etiam æſtiuis menſibus circum altiſsima iuga ſua niuoſum ſpectari. Contemplantibus igitur tantum montem ab occiduo primum Oceano aſſurgentem perpetuo procurſu nunc in Auſtrum nunc in Boream abeuntem, uniuerſam Africam diſterminare, alicubi ultra parallelum Cancri ſolſtitialem Meridiem uerſus egreſſum: profecto uero ſimilimũ uidebitur, tantum niuiũ diſſolui poſſe, quum ad eum parallelum Sol approximat, & rectis hoc eſt fortiſsimis radijs laterꝗa etiam Borealia montium colliquat. Plinius tradit obſeruatum, prout niues imbresúe in Mauritania ſatiauerint, ita partiorẽ aut uberiorem uenire Nilum. Iuba enim rex ſtudioſiſsimus, & cui explorata iſthæc compertaq́; eſſe potuerunt (ut nihil hactenus inuiũ fuit regum diligentiæ) proxime Athlantem Mauritaniæ inferioris Nilum exoriri exiſtimauit. Quam opinionẽ ipſa amnis magnitudo comprobat, tam ſpacioſo itinere, quicqd eſt undarum ex Athlantis iugis læuo latere in Meridiem defluentium, excipientis. Translatitium autem & alijs locis ſolſtitio amnes increſcere, in Ponto enim fieri iſtud, Theophraſtus prodidit, hoc ipſum in Gallia Pa=

lia Padus facit, etiam fœcundans quæ humectauit, authore Plinio. Rhenus noſter qua parte Rheticarum alpium conuallibus egreſſus Acronium lacum fundit, ſingulis annis creſcit ſolſtitio, eſtq; aquarũ ex hyeme modus, pro ut illa montiũ uertices plus minusúe grauarit niuibus. Simili auctu & Euphraten & Tigrim rigare annuo reditu, præter cæteros, Strabo, Plinius, Ammianus, Solinusq; tradũt. Illud memorabile quod lib. 8. Plinius docet, Crocodilum ſæuum quadrupes Nilo gigni ex ouo, quantum anſerinum eſt, creſcere autem plerunq; ad magnitudinem XVIII cubitorũ. Hoc autem beſtiæ ingenium eſſe, ut ouis excubandis eum locum deligat, quem ſummo auctu ſuo Nilus non ſit egreſſurus. Ita optimus ille maximus & incomprehenſæ maieſtatis Deus noſter inter cætera rerum in ſua natura inſignium monimenta illi quoq;, cætera noxio animali, ut alijs multis, ſenſum quendam præſagum & diuinantem indidit, uidelicet hac quoq; parte æſtimationi cœleſtium diuitiarum acceßionem facturus. Non ommitendũ, Nilum ubi per Cataractas eluctatus Syenẽ Inſulã præterijt, adeo placido meatu fluere, ut & ſecundis & aduerſis undis nauigetur, atq; hoc certius expeditiusq; quod Auſtri Aegyptum nõ perflant. Vrbes in tota illa regione plurimæ quondam & maximæ, ſed Aethiopica et Syriaca bella attriuere, pars Romanorum armis patuit. Inſuper tu-

multibus & rebellione ipſi ſibi malum, ut Cæcias (quod dicitur) nubes, attraxerūt, prouocatis ad uindictam Romanis, nam & Coptō memorabilem emporioq; maxime celebrem urbem et Buſyrim Achillæo quondam authore rebellantes, Diocletianus ſolo æquauit, multis millibus Iudæorum occiſis, non alio nomine quàm quod cum Achillæo res nouas moliente pariter conſpiraſſent. Thebas autem Aegyptiacas omniū eius ditionis clariſſimā urbem, (quæ & Dioſpolis uocabatur) Euſebius author eſt Auguſti primū ætate penitus dirutam, cum Cambiſes eam iam antea grauiter afflixiſſet, ut pfectò ueriſſime ſit à poëta Venuſino dictū, Feriuntq; ſummos fulmina montes. Erāt ſanè Aegyptij (ut in abundante & luxuriante ſolo) natura inflati, uarijq; & imperij externi præſertim, impatientiſſimi, tamq; ad ſeditiones procliues, ut leuiculis de cauſſis maximos tumultus excitarint. Supra modum aūt ſuperſtitioſi, & (ut Hieron. uerbo utar) Dijs fœcundi, quippe qui per allium et cæpas ceu numina domeſtica iurare & animalia quædam ridicula ueneratione colere cōſueuiſſent. Neq; alia cauſſa tantum horū in Iudæos odij fuit, quàm qd' diuerſiſſimam religionē ſectarentur, et unum deum uerū, uaniſſimæ perſuaſioni Deorum Aegyptiacorū, conſtanter anteponerent, ut Pſal. 114 patet. Efferebantur præterea puritatis et iuſticiæ fiducia, cū eſſent uel una libidine ſpurciſſimi, neq; cibū cum Hebræis, neq; cum exteris

Horatius. li. 2. Carminum. ode. 10. ad Licinium. Cui adſtipulatur Ouidius li. 1. de reme. a. Perflant altiſſima Venti. Summa petunt dextra fulmina miſſa Iouis.

ſumebant, Geneſ. 43. quaſi omnibus illotis ipſi maxime loti eſſent. Alexander ille Macedo, in quo dubium, fortuna ne plus an uirtus habuerit loci, Aegyptum in ditionem ſuam redactã in Nomos plures, hoc eſt, præfecturas diuiſit, & qui præeſſent Nomarchas dixit, id eſt, Nomorũ præſides, tutius arbitratus gentẽ natura leuem ſeditioſamq; & in calumnias principũ pronam, pluriũ quàm unius authoritate adminiſtrari, ſublata hoc modo ſæpius cõcurſandi facultate. Plinius 5. libro circiter quinquaginta Nomorum nominatim meminit. Sed & Cæſar Dictator, idem arbitror, quod Alexander metuẽs extincto Pompeio, regnũ Aegypti Cleopatræ eiusq; fratri minori permiſit, ueritus, ut inquit Suetonius, prouinciã facere, nequando uiolentiorem præſidẽ nacta, nouarũ rerũ materia eſſet. Ceterũ poſtq̃ prouincia eſſe cœpit, ex equeſtris ordinis uiris, Auguſto decernente, adminiſtrata eſt, authore Cor. Tacito. Inter oppida famigerata, nullũ eſt in interiore quidẽ Aegypto ſecundũ Thebas, memoratius Syene, clariſſimũ quidẽ illa ætate, ſed cui caſus, forsq; plus famæ q̃ uirtus peperit: ꝓpe enĩ parallelus Cancri terris imminet, qui quũ Solem ſuſtinet radijs ꝑpendiculo decuſſatis, hora meridiei nullã umbrã corporibus addit, ſed (ut uulgo fertur), abſumit. Ideo nullas umbras Syenen flectere ~~dictũ~~ dicunt: quo noĩe fama ueterum in Thebaide urbiũ notiſſima facta eſt. Eſt & oppidũ

Tentyra, à quo Tentyritæ audacia contra Crocodilos ex Seneca noti. Eſt Ptolomais, & iuxta ſitum Pthmuis, à quo Pthmuitani dicti, quod Phileam habuit Epiſcopum, clarum uirum, qui cum de martyrum laudibus elegantiſsimum librum ſcripſiſſet, demum & ipſe perſequente Maximino, quod ſacrificia deorum reſpuerit, capite pro Chriſto truncatus eſt, ut libro 8. refert Euſebius. Hic eſt Maximinus qui à Galerio Maximiano Auguſto Cæſar cum Seuero lectus, Orienti præfectus eſt, cum Seuerus Italiæ præeſſet, mox paulò ex Cæſare Auguſtus factus, & Galerius Maximinus appellatus. Triēnio imperio præfuit homo nouus et rudis, per militiæ ordines promotus, patria Dacus, ſorore armentarij genitus, & qui Daza uocaretur quū priuatus ageret, funeſti in Chriſtianos animi, quiq; Thebaicam Aegypti undantiſsimo Martyrū ſanguine aſperſit, poſtremo uino, cuius auidiſsimus erat & crapula diſtentus, Tharſi obſeſſus, ne in Licinij manus uiuus ueniret ſeipſum ſtrangulauit. Eodem tempore Maxentius extitit, Aurelij Maximiani Herculij, (qui cum Diocletiano Iouio imperauit) filius, & Fauſtæ uxoris Conſtantini frater, nihilo parente mitior fuit, ut ſit profectò mirum, Conſtantinū Imp. in illa perſecutorum corona, reſpicere ad noſtra potuiſſe, quanq̄ ne ipſum quidem admodum ſyncero in Chriſtum animo fuiſſe conſtat. Cæterum

Phileæ

Phileæ Epiſcopi et Martyris in Catalogo ſcriptorum etiam Hieronymus meminit. Reliquarum urbium celebrium, Berenice præcipua, & Arſinoe contra intimum receſſum ſinus Erythræi poſita, à quo Arſinoites Nomũs dictus eſt, altiſsima pyramide conſpicuus. Eſſe & Babylonem in Aegypto oppidum munito loco ſitum, à Babylonijs quondam, ſede in illis locis à Regibus impetrata, conditũ, Strabo affirmat, magnæ fidei author, & oculatus, ut ſic dicam, teſtis, quo non alius ſcriptorum, quos equidem uiderim, Aegyptũ, ut Auguſti ætate habuit, diligentius prodidit. Vltra Nilum occaſum uerſus Memphis iacet, Regia quondam Aegypti principum, & ab ea ſtadiorum aliquot interuallo Pyramides illæ ſtupendæ altitudinis turres, interq; orbis quondam miracula habitæ, quarum ſitum Plinius lib. 36. reddidit, nõ aliud fuiſſe eas teſtatus, quàm pecuniæ regum ſtultam oſtentationem. Habet inferior Aegyptus multa oppida, quarum tamen famam obſcurarit Alexandria Canopico oſtio uicina, & in Peluſiaco Peluſium, quod noſtri uulgo Damiatam uocarunt, recentibus etiamnum (ſi ſunt recentia quæ duobus retro ſæculis obtigerunt) noſtrorum cladibus nimis notam, ſæpe capta magno damno, & ſæpe amiſſa eſt, interdum & pactis haud ſcio quàm decoris, Sultano reddita, his modis illudẽte noſtris ambitione atq; auaritia, donec in totũ Aegy-

Iuxta prouerbium qd dici solet. Plus est esse oculatum testem qm decem auritos.

pto atq; Syria pelleremur. Quod factũ eſſe lego ſub exceſſum ex humanis Rodolphi Auindſpurgij Rom. regis, Anno Chriſti M. CC. XC. Hæc eſt Aegyptus cuius toties Actorũ 7. in Stephani oratione fit mẽtio, Abrahæ, Ioſeph et patriarcharũ ſucceſſu memorabilis. Hæc eadẽ Moſen genuit magnum uirũ & in omni Aegyptiorũ ſapientia eruditũ, uocatum aũt à Deo, ut eius ductu Iſraël à dira illa ſeruitute ſua, per admirabilem in terrã promiſsionis emigrationẽ, liberaretur. Sed & Ioſephum Nazarenũ cum intemerata uirgine Maria, & Ieſu puero ſeruatore noſtro, parricidale Herodis edictũ declinantẽ hoſpitio excepit. Poſtremo & fide in Chriſtũ ab apoſtolis prædicata increbuit, & magnas eccleſias multis ſæculis aluit. Præterq; ſupra memoratũ Phileam ſanctiſsimis paſtoribus clara, ex quibus tamẽ Paphnutium uetus hiſtoria celebrat. Illum quẽ Galerius Maximianus dextro oculo mutilatũ et ſiniſtro poplite ſucciſo (uulgata tum cõfeſſorum pœna) ad metallum damnauerat, qui poſtea à Conſtantino imperatore ad Nicænam ſynodũ uocatus ac magna ueneratione habitus: unus quorundã Epiſcoporũ ſententiæ, qui Epiſcopis, preſbyteris, diaconis ſubdiaconiſq; coniugij uſum adimere & lege lata ingerere cœlibatũ conabantur, ſeſe oppoſuit, palàm cõfeſſus honorabiles eſſe nuptias, & caſtitatẽ quandam eſſe concubitũ cum ꝓpria cõiuge, ſicut etiã apoſtolus docuit Hebr. 13. Quam ſententiã cœlibis Epi-

Gene. 12. Gene. 37. 39. Eodẽ. 42. 43. 44. 46. Exodi. 2. Eodẽ. 3. 4. Matth. 2.

ſcopi, et laudauit Synodus ut piã, et ut ſalutarẽ rece= pit, indignũ arbitratus, ſi, quod ſcriptura permittit, humana coerceret præſumptio, et ſeruandæ caſtitatis lex, impudẽti fornicationis abuſu, hoc ipſo uileſceret, qđ caſtus manere nemo queat, qui rarũ iſtud donum à Deo non acceperit. Haud indignũ arbitror relatu & Monachiſmum nos Aegyptijs debere, incognitũ ante id æui Eccleſijs, et enatũ primo Cõſtantini filijs impe= rantibus, poſt Chriſtum Anno CCC. LX. uidelicet à morte Pauli & Antonij Eremitarum. Erant enim pluſculi qui eos in uita ceu patres & præceptores eſſent ſecuti. Porrò ſanctos illos uiros perſecutionum procellæ, quas cruentiſſimas Diocletianus Galeriusq; exercuerãt, in loca auia & deſerta (quæ alicubi cõ= moda Aegyptus habet) abſtruſerant, in quibus cum magna abſtinentia, precibus ſcripturisq; uacarent, interdum reuerſi ad Eccleſias Chriſtũ docebant, neq; quicq̃ diuerſum à cæteris fidelibus, præter ſolitudinẽ & normulam uitæ paulò ſeueriorem habebant: ea gratia Ἀναχωρηταὶ καὶ Ἐρημῖται καὶ Μόναχοι, hoc eſt ſolitarij, et qui ſeceſſiſſent, uocabãtur. Deinde adaucto uitæ inſtituto & diſcipulis contractis Mona= ſteria paſſim inſtituta ſunt, nimirum ſcholæ quædam ueteris diſciplinæ exercendæ, in quibus tamẽ, ut ani= mus lectione cognitioneq; ſcripturarũ, ſic & corpus per uices horarum labore exercebatur: dimicabatur nõ infeliciter cũ carnis incentiuo et diaboli uerſutia,

1. Cor. 7.
1. Theſſ. 4.
1. Timo. 3.
Ad Titum 1.
Matth. 19.
Sapien. 8.
1. Cor. 7.

& quemadmodũ in Gymnaſio Tyrones ad certamen Veterani, ſic in illis, Abbates, hoc eſt Seniores eruditione & pietate probati, ſuos ad luctamen in ſæculo ferendũ, obarmabant. Interim & Epiſcopis auſcultabant, & dominicis diebus in Eccleſiã multi prodibant, conſueta cum illa ſacrificia peragentes, quod palàm in uita Paulæ Hieronymus indicat. Nullus inter eos diues, nullus pauper erat, habentes alimenta & quibus tegerentur, his contenti erant, labore manuũ parabantur in diem quibus eſſet opus, ſi supererat quicq̃, egentibus diuidebatur. Et in hoc quidem uitæ genere uoluntate nõ neceßitate perſiſtebãt, mutare licebat propoſitum quoties ratio exegiſſet, neq; hoc humanis cõſilijs dabatur loci, utcunq; in ſpeciem honeſtis, ut & inuiolata conſiſtere & præiudicare diuinis poſſent. Proinde in Epiſcopos & præſbyteteros legebantur ſæpe numero, qui in hocce ſtudiorum & diſciplinæ tyrocinio eſſent uerſati, nulla enim illis uitæ regula alia quàm ſcripturarũ, nempe ut perpetua peccati deteſtatione Chriſto domino per baptiſmum commortui, certa ſalutis fiducia in uitæ nouitate cum illo reſurgerent. Quod unum uotum Catholica Eccleſia in omnibus membris ſuis, capite Ieſu Chriſto ita cuſtodit & ſeruat, ut ſi ad incredulorum multitudinem paucitas illa credentium conferatur, haud aliud inuenias quàm Monaſterium quoddam

Handwritten margin notes: 1 Timo. 6. / Hebræo. 13. / Vide Acto. 20. / Ephe. 4. 1 Thes/salo. 2. 4. et / 2 Thessalo. 3. / Ephe. 5.

dam diſciplinæ Euangelicæ, & Ciuitatē Dei, plenam conciuibus et cohæredibus Chriſti, quorum mutuam dilectionem & pacem, non decreta & conſtitutiones hominum quantumuis ſibi placentium, ſed diuina oracula moderantur, neq; cuiusq̄ tam arcte quicq̄ priuatum eſt, quin ipſum communefaciat DILECTIO ſi uſus poſtulet. Quanq̄ autem non ſim neſcius Monaſticæ uitæ nec exempla in ſcripturis nec præcepta eſſe, & Hieronymus alioqui fautor monachorum, non admodum illorū ſententiam probet, qui Eliſeum & Ioannem authores id genus uitæ fecerunt: tamen ferenda uidebatur illo ſæculo uel nouitas, quæ modo ad diſciplinam & eruditionem conſeruandam eſſet admiſſa, quia nec uota illa quæ uocant, ſolennia hodie dicuntur, tunc quenq̄ illaqueabant, & ieiunia etiam continua diſſimulabantur, neq; admodum referebat quo ueſtitu, modo honeſto, incederes: nihil uenale illis aliud q̄ quod in officinis ueniret. Poſtremo mendicitate non erant Eccleſijs moleſti, longe minus tyrannide aut faſtu inflati. Hodie ſpecie uotorum orbis abundat, quæ minus arbitror, odioſa bonis forent, ſi tam ſeuere redderentur, quàm ſupine iactantur. Illud mirum, proximis quingentis annis, triginta amplius monaſticas ſectas enatas, hodie non numero ſolum, ſed opibus quoq; celebres ſpectari, quum ante id tempus alia regula (quod ſciā) nō tereretur quàm

Benedicti. Nam quod de Baſilio & Auguſtino quidã ſomniant, fide caret. Felicia uero, & precioſa uota illa toties renata, ſed neſcio quàm pia, quæ mercedẽ ſuam hoc ſæculo tanta rerum ſæculi cura recipiunt.

Matth. 6.

ALEXANDRIA.

DVodecim millium paſſuum inter Canopicum oſtium & Alexandriam intereſt, clariſsimam quondam Aegypti urbiũ, de quo ſeorſim dicere libuit, quoniã cum nomine etiamnum partem ueteris dignitatis & frequentiæ retineret, Alexander Macedo, poſt inuaſam Aegyptum, loci, ubi hodie ſita eſt, opportunitate captus eam condidit, muro per octoginta ſtadiorum ambitum ducto, ut refert lib. 4. Curtius. Plinius 15. millium paſſuum laxitatem habuiſſe tradit. Notandum autem eo loci, ubi nunc Alexandria eſt, frequentes mortales habitaſſe, quod & Hieronymus ſuper 3. caput Nahum confirmat. Non ueterẽ urbem eo loco conſtituens quæ ſemper Aegypti metropolis fuerit. Præterea & Strabo habitari quædam iamdudum illis locis cœpta fuiſſe innuit, quibus deinceps tantæ molis urbs extructa eſt. Portum eius arcus ſpecie ſinuatum, inſula Pharos à Septentrione cingit & ceu aggere quodã munit atq; ambit. Mare quod utroq; à latere, ab ortu ſcilicet & occaſu, inter inſulam & continentẽ interuenit, fallacibus

cibus uadis inſidioſum, difficulter aditur. Sed fauces tamen, quæ ex Aegypto Syriaq; adnauigantes excipiunt, impeditiores ſunt ſcopulis. Proinde ea ipſa in parte inſulæ, quo appellentiũ ſaluti conſuleretur, Ptolomæus Philadelphus rex optimus, Soſtrati Gnidij architecti arte atq; ingenio fretus, turrim è candido lapide eximie altitudinis extruxit, quam octingentis talentis cõſtitiſſe alicubi Plinius, niſi fallor, ſcriptum reliquit. In illa igitur nocturnis ignibus prælucentibus nautæ admoniti, cauere periculum, & qua parte adnauigandum eſſet, intelligere poterant. Eam turrim poſteri ab inſula Pharon uocauerũt, moxq; alibi in eiuſmodi uſum extructa, quod ſupra monuimus, Pharos appellarunt: qualem in promontorio extitiſſe cui nomen Ceras fuit, iuxta Bizantium nauibus ponticis alte prælucentem, Ammianus Marcellinus lib. 27 prodidit. Inſulam autem idem Ammianus ingenti aggere in pelagus immiſſo Cleopatram urbi connexuiſſe ſcribit, & Heptaſtadion dorſo nomen datum, quoniam ei ab Alexandria ad oram Inſulæ perducto ſeptem ſtadiorũ longitudo eſſet, ad eum modum peninſula facta Pharo, quæ ante inſula fuiſſet. Mirum aũt quod tradit Plinius noctis dieiq; nauigatione olim eam ab Aegypto diſtetiſſe, tantum terrarũ adaggerarunt littori Nili fluenta. Iam à meridiano latere Alexandria Mareotim lacũ habet eximie ſpacioſum,

in quo portus eſt ꝓpter mediterraneã negotiationem aliquanto frequentior quàm maritimus, Straboni. Magna uero uecturæ commoditas, ꝓpter Euripos qui ex Nili proximo alueo deriuati, naues inde in lacum tuto deuehunt, urbiq; ſummittũt. Vrbs ipſa elegantibus quondã ſtructuris et Aegypti regũ in primis domibus clara, ſed et uijs pulcherrimis diuiſa, nec fermè unquam non ſereno cœlo. Templum habuit Serapidis illius (cuius libro 18. de Ciuitate dei Auguſtinus meminit) ſumptuoſiſsime extructum, & in eo ingens ridiculi numinis ſimulachrum, quod ætate primum S. Ambroſij, cõuulſum à Chriſtianis diſiectumq; eſt, Theodoſio illo qui cum Gratiano imperium tenuit annuente: de qua re Sophronij inſignis liber extitit, meminit autem hiſtoriæ Ruffinus. Marcellinus tradit adeo columnis & ſpirantibus ſignorum figmentis & reliqua operum multitudine ornatum extitiſſe (quæ Gentium ueſania fuit) ut poſt urbis Romæ Capitolium, nihil orbis terrarũ ambitioſius uiderit. Cæterũ magnificentiam ciuitatis, bella partim & ſeditiones attriuerunt, magno illi damno Dictator & Octauius bellis ſuis ciuilibus fuere, ſed eo maximo, quod Dictatore obſidente cognita orbi bibliotheca incendio conſumpta eſt. Sed & Caracalla Imperator, homo iracundus & ſanguinarius, quẽ dicacitate Alexandrini perſtrinxerãt, uno die ingentem multitudinem dolo

dolo ſuo & militum circumuentam, teſte Herodiano *trucidauit. Sæuijt &* Diocletianus, *multis Chriſtianorum millibus interfectis.* Inter *uetera autem urbis ornamenta* Muſæum *fuit, magnifice extructus locus, & honeſtarum artium profeſſoribus principũ liberalitate dicatus.* Et Bibliotheca LXX *millium uoluminum toto orbe regum impenſis comparatorum, inſtructa, cui* Demetriũ Phalaræum Athenienſem, *clariſſimũ uirum aliquando præfuiſſe,* Diogenes *tradit.* Cuiusq; *locupletandæ ſtudio adductus* Ptolomæus Philadelphus, *ſeptuaginta præclaros uiros* Hæbraicæ *pariter &* Græcæ *linguæ peritos ab* Eleaſzaro *Hieroſolymitano pontifice impetrauit, qui partita opera, totum uetus (quod uocamus) inſtrumentũ, haud ſanè multis diebus in* Græcum *ſermonem tranſtulerunt.* Operæpretium *fuit precipuum, libertas* Iudæorum, *quos uarij caſus in* Aegyptum *tranſtulerant, uelut libri duodecimi ſecundo capite* Ioſephus *ſcripſit.* Contigit *aũt hoc ipſum annos ante* Chriſtum *natum circiter* CCCL. *Super omnia autem,* Chriſtianæ Eccleſiæ *ſplendor decus immortale illi urbi attulit.* Marcus *illam* Petri *diſcipulus conſtituerat, quem primum* Alexandriæ *Chriſtũ annunciaſſe, &* Euangelion *ſuum, quod ex ore* Petri *ſcripſerat, docuiſſe,* Hieronymus *tradit: tantæ aũt doctrinæ et uitæ continentia fuiſſe, ut omnes ſectatores* Chriſti *ad exemplum ſui cogeret.*

Marcus Euangeliſta.

Bibliothera

Ptolomy phi
ladelphy

Cui deinceps ſancti uiri ſucceſſerunt, quos & ipſos Chronographi in literas nominatim, ceu in Catalogū ob apoſtolicæ ſedis Alexandrinæ *dignitatem, retulerunt. Quod honoris &* Hieroſolymitanæ *&* Antiochenæ, *Eccleſijs pariter apoſtolicis tributum fuiſſe,* Euſebius *indicat. Sed &* Conſtantinopolitani *Epiſcopi eo modo cenſi relatiq; ſunt, quo modo ſeriem* Romanorū *pontificū ad uſq; noſtra tempora quidam deduxerunt.* Non *prætereundū, pro ueteri* Muſæo *mox à* Marci *temporibus ſcholam more optimo inſtitutā fuiſſe, cui Chriſtiani doctores eximiæ prudentiæ & eruditionis uiri præerant, &* κατηχήσεων *id eſt, inſtitutionum magiſtri dicebantur, quod ab illis hi quoq; qui nuper Chriſto dediſſent nomen, necdum ſummam fidei ac religionis noſtræ tenerent, edocebantur.* Præcipuū *autem horum* Pantænum *nomine* Hieronymus *memorat, cuius diſcipulus* Clemens *preſbyter uir doctiſsimus, q̄ præceptori ſucceſsit, ut* Clementi *itidem præceptori* Origenes Leonidæ *martyris filius, à iuuentute omnibus honeſtis artibus imbutus, ſed & linguarum peritiſsimus factus, uoluptates in tantum fugit ut zelo* Dei, *ſed tamen (ut* Hieronymus *ſcribit) non ſecundum ſcientiam, ferro truncaret genitalia, calcauit auaritiā, ſcripturas memoriter tenuit, et in ſtudio explanationis earum diebus deſudauit & noctibus, cibum nunq̄ ſine lectione ſumpſit,*

mulie

mille & eo amplius tractatus, quos in eccleſia locutus eſt, ædidit. Innumerabiles *præterea* Commentarios, *quos ipſe* τόμους *appellat, immortali ingenio ſuo* Eccleſijs *donauit, ſexageſimum nonum annum ætatis attigit, quo tempore tantum ſcripſit quantum uix legere ulli uacarit.* Q*uis autem miretur, ut hominem cũ in tanta lucubrandi celeritate, multis locis lapſum? in qua tamen hoc laudis ſit aſſecutus, ut* D. Hieronymus *ingenue fateatur, magna eum ſcripturarum ſacramenta interpretando apperuiſſe, & licet detrahat ei ut dogmatiſtæ, tamẽ ut interpreti & qui ideomata ſcripturarum exacte calluerit, primas dare non dubitat.* Q*uare factum arbitror, ut quoniã tanti uiri monimẽta probe & pie traditis ſermonibus, dogmata quantumuis impia (quæ nullam tamen animi malignitatẽ ſaperent) magno numero ſuperarent, à* Nicæna *Synodo damnatus non fuerit, quanq̃ eſſent qui bene alioqui de* Eccleſia *meritũ, ceu fontem* Arrianæ *perfidiæ traducerent.* Vtinam *hoc iudicium, quod illis patribus fuit, noſtra ætas ſequendum duceret.* Hodie *clari pijq; uiri hæreſeos inſimulantur ob dogmata quædam quæ ſcripturis nituntur, et ab his inſimulantur, quorũ opiniones (quas habent pro oraculis) ſi ad uiuũ ſeces, nihil aliud quàm hæreſim eſſe deprebendas, modo hæreſis nomine dignum eſt, dogma pertinaciter defenſum, quod cum apoſtolica doctrina pu-*

gnat. Eraſmus Roterodamus uir doctiſsimus & noſtri ſæculi alter quidam (ſi errores demas) Origenes, hoc alicubi laudis illi authori tribuit, ut in ſcripturis exponendis ſic dicat primũ eſſe, ut nemo cum illo cõferri poßit, atq; hanc eum (ut illius uerbis utar) Venerem ſic exorſum, ut nemo poſt illum auſit manus apponere. Demũ Tyri mortuus eſt Origenes magna paupertate, quoniam ante eum Ambroſius Diaconus Alexandrinus homo nobilis, obijſſet, qui liberalitate & ſumptibus in uita illum adiuuerat. Hieronymus tradit Ambroſium in hoc à plerisq; repræhenſum ꝙ uir locuples amici ſui Origenis ſenis et pauperis moriens recordatus non ſit. Habuit alios quoq; Alexandria ſummos uiros, uidelicet Dionyſium Origenis auditorẽ, qui & ipſe ſcholam Κατηχήσεων tenuit, et Pierium, qui ob eruditionis famam iunior Origenes dictus eſt. Didimum item Hieronymi præceptorem, ab ineunte ætate cæcum, ut mirum ſit Geometriam diſcere potuiſſe. Eius de Spiritu ſancto à Hieronymo translatus liber extat. Et ante hunc Athanaſium magnum uirum, qui cum ſcripturæ deditus & ueritati, Arrianorũ ſe blaſphemis de trinitate diſputationibus, quantus erat oppoſuiſſet, in maximam inuidiam non Epiſcoporum modo complurium, uerum etiam principum Auguſtorum (quos ſcripturarum inſcientiſsimos pertinax Aulæ factio dementabat) incidit,

incidit: ac deinde agitatus inſidijs, cum ne tantillum quidem à ſcripturarũ præſcripto diſcedendi adulandiúe prurietibus auribus animus eſſet, ſæpe Alexandria pulſus, & aliquoties in ſuam ſedẽ reſtitutus eſt. Conſtantius illi infenſus ad latebras haud raro conditiſsimas uirum inſontiſsimum adegit. Cæterum ut erat ſagacis animi, plerunq; ſibi mortem Arrianorũ conſpirationibus intentatam, celeri fuga præuertit. Qua de re, quoniam metus muliebris & uitæ cupiditatis amplioris quàm Epiſcopum deceret, ſuſpitione premebatur, Apologia ſe purgare coactus eſt. Marcellinus lib. 15. author eſt, & magicarũ artium uanitatis quibus inſtructus futura prænoſceret, & in totũ arrogantiæ qua altius ſeſe efferret, quàm Chriſtiani paſtoris ratio exigeret, ab Alexandrinis inſimilatum fuiſſe. Erant hi natura leues & ſeditioſi, quiq; Epiſcopis & Eccleſiæ ſanam Chriſti doctrinam æmulanti magno ſæpe damno fuiſſent. At uero Liberius Romanæ urbis Epiſcopus, miſertus Athanaſij, quod nec uiſus nec auditus, tantis inſidijs agitaretur, & indicta cauſſa condemnari hominem maxime Chriſtianum nephas duceret, imperatoris Conſtantij arbitrio palàm ſeſe oppoſuit. Qua de cauſſa in Synodo quadam Mediolanenſi, Arrianorũ ſtudijs et fauente imperatore conflata, confeſtim iuſſu Conſtantij in exilium truſus, triennio Berrhoeæ Thraciæ exulauit. Dubium

autem an exilij moleſtia an uero priſtinæ ſedis ac dignitatis amore ſeu principis callidiſsimi (quod & ipſum uero ſimile) pollicitationibus Epiſcoporũ quorundam hæreticorũ precibus impetratis, fractus corruptusq; hominis animus, demum Arrianis & imperatori (ceu Platina ſcribit) manus tradidit, cœpitq; deſerta Athanaſij cauſſa amplecti quos antea oppugnauerat. Hæc ipſa cũ eſſent bona fide ad Conſtantium perlata, repente Felix orthodoxus Epiſcopus, quem maximis uotis in Liberij locum plebs Romana ſelegerat, ſedem linquere & Liberio Apoſtatæ cedere locum magno omniũ bonorũ mœrore iuſſus eſt. Conſtat ſanè & Vulphilam Gottorum epiſcopum orthodoxum ante, et doctrinæ fama apud omnes celebrem, à Conſtantio imperatore pecunijs corruptũ fuiſſe, quo Arrianorum dogma reciperet. Profecto haud minus illi offenſionis pepererũt fidelibus, quàm apoſtolis peperit Iudas, cum mercede accepta Dominum proderet. Chriſtus enim fures & latrones uocat Ioann. 10. qui uerbo eius prodito & aliena doctrina recepta, oues ſuas hypocriſi, lenocinio pietatis circumlita, ineſcãt. Sed ut ad Athanaſium reuertamur, mortuo Cõſtantio uix credibili caſuum uarietate ſub Iuliano Imper. fatigatus, ſed ad extremum Alexandriam regreſſus in concuſſa animi conſtantia ex humanis exceſſit, cum annis XLVI. epiſcopatu functus eſſet.

Matth. 26. Marci. 14. Luc. 22.

eſſet. Hic eſt Athanaſius cuius Symbolum paßim legitur in Eccleſijs, & de Pſalmorũ uſu libellus circumfertur, aliaq́; maiori cura ædita monimenta, quæ lubens prætereo. Nolebam referre, ſed cogor ob fidem hiſtoriæ, Arrium ipſum qui uanißima hæreſi tantum incendium ingeßit orbi, preſbyterum Alexandrinum fuiſſe, philoſophiæ ſtudijs inflatum hominem & refractarium, cuiq́; Alexander Epiſcopus ſuus uir doctißimus perſuadere nõ potuit, quin fœdo errore tripudiaret. Concilium Nicænum conuictum ſcripturis anathemate percuſſerat, ſi forte reſipiſcendi ullus locus eſſet. Sed duræ ceruici nihil erat remedij quod adhiberetur. Atq; utinã cũ hominis uita error quoq; ipſe deſijſſet, maiora incendia à morte flagrarunt & Hydræ in morem pro uno capite centum repullularunt. Mortuus eſt Bizantij ſub Conſtantino, ſub quo et emicuit, profluuio uentris repente oborto. Fertur & Baſilidem ueterem hæreticũ Alexandrinũ fuiſſe. Sed nullus ager tam benigne reddit frugẽ, quin ſimul quæ ſunt noxia, & quibus abuti queas, generet. Non præterierim poſtremum Alexandriæ Patriarcham, Ioannem Eleemoſynariũ cognominatũ, eo ferè tempore duraſſe, quo poſt Heracliũ Imper. urbs illa tam nobilis adeoq́; fide in Chriſtum memorabilis, à Sarracenis, fœdo hominum genere, recepta eſt.

INDICAE, ARABICAE, ET AETHIOPICAE MERCES.

INdicarum & Arabicarū merciū, per Aegyptum uetuſtiſsimam negotiationem fuiſſe, ipſe in primis propheta Eſaias conuincit, qui capite 45. eius diſerte meminit, & uero ſit ſimile, quod Hieronymus, & ante eum Strabo (ceu dixi) prodidere, naualia eo loco & habitacula frequentia fuiſſe, quo loco poſtea ſuam urbem Alexander extruxit. Sed aucta cōmercia Auguſti imperio conſtat, paucis antea nauibus per Erythræū egredi auſis, quum poſtea contra prædones ſagittarijs armatæ plurimæ prodiuerint. C. Plinius ſui maxime ſæculi, Claudiorū ſcilicet & Veſpaſianorum explorator diligentiſsimus 23. cap. 6. libri eam nauigationem ab Aegypto ad Indiam uſq; & econtrario ſcripto prodidit, certa notitia pateſcente, dignumq́; memoratu adijcit nullo anno minus ſeſtercijs quingentis millibus conſtitiſſe merces quas illæ regiones remitterent, & remiſſas tamē centuplicato ueniſſe, cuius ſummæ tanta magnitudo eſt, ut concipi animo & ſupputari uix poſsit. Tantū abeſt ut (quod ante quoq; in Hiſpaniæ mentione admonuimus) noſtra primum ætate ſumma copia Vlyſipponem nobis illas merces aduectaſſe, aut illac primū intraſſe maria, credere opus habeamus. Nam ne Alexandria quidem in totum à ueteri illa negotiatione hodie deſtituta,

tuta iacet, quanq̃ negari non poßit magnam partem illi Luſitanica nauigatione detractum, neq; Aegypto ſolum ſed & Siciliæ & Venetis afflixiſſe uectigal, tanta mole mercium tot nauium numero quotannis in Hiſpaniam importata, ut iam eſſe cœperit Vlyſippo, quod Alexandria tot ante ſæculis fuit: & cum illa urbi Venetæ odores & aromata cũ reliquis exoticis quæ tranſmarina uocamus ſubmiſiſſet, quæ magnæ Europæ parti ſufficerent, rebus noſtra primum ætate mutatis, Lyſibona oceanum Auſtralem ingreſſa, Antuerpiæ ſubmittat, quo nõ aliud hodie Germania celebrius emporium habet. Quàm moleſte autem hanc uicem Aegyptiorum Sultanus tulerit, ipſe prodidit, legatione ad Iulium pontificem Rom. ſuperioribus annis miſſa, quæ & dolere illum ob ereptũ uectigal et ſimul hoc cõſilij animo uoluere palàm innuit, Niſi abſtineant Luſitani, hoc ſe curaturũ, ut peregrini noſtri itinere ad Hieroſolyma & reliquam Palæſtinam, prohibeantur. Eiuſmodi minis aſſecuturũ ſe, qđ maxime cupiebat apud Iuliũ, ceu candidũ & religionis amantem Epiſcopum, quiq; arcere Luſitanos poſſet, ſibi perſuaſerat, ſed infectis rebus ſpe fruſtratus eſt.

AETIOPIA SVB AEGYPTO.

TAmetſi huius in Africæ deſcriptione meminimus, tamẽ quoniam rerũ ad ſcripturæ captum

attinentiũ memoria celebratur, repetenda eſt. Hanc maximis quondã & plurimis oppidis habitatã bella perculerũt. Proinde lib 6. Plinius, Aethiopia, inquit, uiciſsim imperitando ſeruiendoq; clara, & potens etiam uſq; ad Troiana bella Memnone regnante, & Syriæ imperitaſſe eam, noſtroq; littore, ætate regis Cephei, patet Andromedæ fabulis. Hactenus Plinius. Inter cætera aũt inſignia, Inſulã habet mediamnẽ, fertilitate & incredibili hominum frequentia nobilem. quã Nilus primo ambitu ſuo cõplectitur, Meroë dicta eſt, quinq; millibus ſtadiorũ à Syene diſtans, à qua & Meroëni coloni dicti. Alueus Nili læuum latus ſtringens, Aſtaboras, unde & Aſtobori dicti uidentur Hierony. Quæſtion. in Geneſim. Qua uoce ramum aquæ è tenebris uenientem ſignificari tradit Plinius. Dexter uero Aſtuſapes, qd' et ipſum latentis ſignificationem adijcit. Vrbs in Meroë uetuſtiſsima, Saba, quã poſtea Meroën denominauit Cambiſes rex in ſororis memoriã, Ioſephus lib. Antiq. 2. teſtatur, Strabonem, ut arbitror, imitatus. Sed & Plinius, oppidi Meroës in ea meminit, ab introitu Inſulæ LXX. millibus paſſuum diſtantis, quæ regia Aethiopiæ habitã ſit. Hæc eſt Saba illa reginæ Auſtri ſedes (nam & Aethiopiæ et Aegypto præfuiſſe eam, Ioſephus tradit) quam Salomonis fama excitatam cum maximo comitatu & donis plusquàm regijs in Palæſtinam ueniſſe,

Regina Auſtri.

niſſe, tertij Regũ decimo capite legimus. Cõmendatur & à Chriſto Matth. 12. & Lucæ 11. quod amore ſapientiæ uel remotiſsimis à partibus Salomonem adierit, cum Phariſæi tamen coram admonentem & diuina uirtute conteſtantem ſe filium Dei eſſe, non audirent. Aduertendum autem Meroënos fœminis parêre ſolitos, ſequuta ætate Reginas ſuas Candaces appellaſſe, uoce perinde communi illis, atq; Pharaonum ac Ptolomæorũ in Aegypto regibus fuiſſe ante diximus. Qua de re & Eunuchum illum à Luca memoratum Act. 8. quem ex Eſaiæ lectione edoctum Philippus baptizauit, ex aula Candaces reginæ fuiſſe intelligimus. Præterea Lucæ traditione admonemur, illi genti ſcripturarum lectionem iam inde à Candaces ætate familiarem atq; uſitatam fuiſſe, neq; alia cauſſa Hieroſolymam ceu famigeratum religione locum quotannis, quamuis diſtante itinere, uiſitare conſueuiſſe. C. Plinius ſcribit Pub. Petronium equeſtris ordinis Aegypti præfectum, Auguſti tempore Aethiopiam cum exercitu ingreſſum, Candacẽ reginam uiciſſe, monoculam quidem fœminam Straboni, ſed prudentia & animi æquitate magnis uiris comparabilem. Neſcio autem an illa fuerit, Eunuchi domina, Candace, cuius meminit Lucas, an alia. Ipſa ſeries annorum & rerum geſtarum propemodum

Eunuchus Candaces

Candace.

2 · Chro. 9.

aliam fuiſſe admonet, nec dubium quin longe poſt eo nomine Reginæ Aethiopiæ dictæ fuerint. Idem enim Plinius de Aethiopiæ regno (ut Neronis exploratores de eo renunciauiſſent) libri 6. capite 29. ſic infit: Regnare (ſcilicet retulerunt) fœminam Candacem, qd' multis iam annis nomen ad reginas tranſijt. Hæc Plinius. Nec mirum uideri debet, quod rerũ illic fœminæ potiantur, cum nõ inſueta harum gubernacula fortiſſimis nationibus fuerint. Nota enĩ eſt Aßyriorum Semiramis, notæ & Scytharũ reginæ, & Theutam quæ Lyburnis præfuit, hiſtoria Romana ut quæ urbi ſuæ negocium facere auſa ſit, celebrat: nec in totum fabuloſum eſſe putandum eſt, quod de Didone illa Africana uetuſtas cecinit. Quod ad religionem attinet, habeo authores minime indignos fide, qui hodieq; illam gentem Chriſtum confiteri, nec alio quàm ceremonijs (re uidelicet tantilla) à noſtris abeſſe ritibus aſſerunt. Fertur autem & Indica illa nauigatione, quam Luſitani principes peragunt, fidem in Chriſtum occiduis auſtrinisq; Africæ partibus accreſcere. Et quoniam in Aethiopiam Mathiam apoſtolum ueniſſe prædicatũ Euangelion, Sophronius prodidit, fieri potuit, ut terræ illæ aliarum gentiũ incurſionibus rarius petitæ auitam pietatem retinere, & quod ex apoſtolo didiciſſent, in hunc uſq; diem ſeruare, tueriq; illeſum potuerint. Dignũ & hoc obiter

notatu

notatu mihi uiſum, Indorum interdum nomine cenſeri Aethiopes, ſicut è contrario Indi Arabesq; non raro Aethiopiæ tributi, quod gentium ultro citroq; nauigantium commercio, præterea & formæ ſimilitudine accidiſſe uidetur. Solibus enim æſtiuis Indi haud multo minus quàm Aethiopes aduruntur, Vnde nimirũ à Marone dictum lib. Georg. 3. ubi de Nilo loquitur,

Et uiridem Aegyptum nigra fœcundat arena,
Vſq; coloratis amnis deuexus ab Indis.

Pomponius 3. lib. famoſiſsimã illam Solis menſam illi Aethiopiæ tribuit. Cuius uiſendæ cupiditate adductũ Appollonium Tyanæum philoſophum, poſt multifariam peragratas regiones, demum & Aethiopiam ingreſſum fuiſſe, ex Philoſtrato, ad ſuum Paulinum Hieronymus ſcripſit. Tradit & Ioſephus (ut et illud adnotemus) Moſen rerum in Aethiopia geſtarũ gloria magnum fuiſſe anteq̃ à Deo noſtro dux Iſraëlis transferendi fuiſſet lectus. A qua opinione minime aliena ſunt quæ Hebræorũ 11. cap. de Moſe referuntur: nec admodum diſſentit ætatis ratio. Quadraginta enim annorum fuiſſe Stephanus Act. 8. confirmat, quum Aegyptio occiſo in terrã Madian perfugiſſet, Exodi. 2. imibi autem uxore Sephora ducta, reliquos quadra- Actorum. 7. ginta exegit, eodem authore, ut iam conſtet octoge- Exodi. 7. narium Moſen è rubo ad educendum populum Iſraelis uocatum fuiſſe. Demumq; poſt quadraginta illos

Moſes fuit vir magnus valde in terra Aegypti coram servis Pharaonis & omni populo. Exodi. 11. Cum dominus facie ad faciem loquebatur sicut solet loqui homo ad amicum suum. Exode. 33. Et mansuetus super omnes homines qui morabantur in terra. in omni domo Dei fidelis fuit. Num. 12. Hebre. 3. Cum nec oculi eius caligarunt nec dentes illius moti sunt. deutero. 34.

annos quibus in Arabia & deſerto egit ex humanis exceſſerit. Et eximie quadrat quod Deuteronomij 34. capite ſcriptum eſt, Moſen centum & uiginti annorum fuiſſe quando mortuus eſt. Haud igitur uero ſimile eſt, primos quadraginta annos illi uacuos effluxiſſe, cum & dictis & factis ea ipſa ætate magnum fuiſſe Stephanus innuat. Teſtatur autem & ſcriptura uxorem eum Aethiopiſſam habuiſſe, quanq̃ ſciam hoc ipſum parum ad hiſtoriæ quam Ioſephus prodit, euidentiam facere, cum ad Arabiæ gentes præſertim Auſtrinas, Aethiopum nomen pertigerit, id quod ſupra dixi, & ante me Iacobus Zieglerus noſter admonuit.

Numeri. 12.

ARABIAE TRES, PETREA, DESERTA, BEATA.

A Peluſio, quod ex oſtijs Nili ortum uerſus extimũ eſſe diximus, Arabia incipit, & Arabes iam dicuntur, Ptolomæo Aegyptij cognominati, partem occiduam Erythrei longo ſinus tractu habitantes, quos ſequens ætas uelut ante ex Strabone docuimus, in totum Aegypti nomine complexa eſt. Extra hanc tres Arabias proximas Aegypto, authores faciunt, quarum prima Petrea cognominata à ueteri urbe Petra, regia quondam gentis,

Petra deſerti.

& quæ

Petra urbs, a qua Petraea,

& quæ proxime aduentum ſeruatoris noſtri potentiſsimum regem Aretam habuit, cuius ſæpiuſcule Ioſephus meminit. Sacra ſcriptura Petram deſerti illam uocat, amœno quidem loco, et perfluente amne irriguo, ſed undiq; montibus & deſertis clauſo, ut fortaſſe ea cauſſa Petra deſerti ſit cognominata. Termini eius, ab occaſu Aegyptus, medio fermè eius Iſthmi, qui inter Poſsidium & Rhinocoruram oppida, ſeu, quod idem eſt, inter intimum Erythreum ſinum & Syrbonin noſtri maris lacum, interiacet. Quam latitudinem terrarum Caius Plinius innuit nõ amplius centum uiginti quinq; millium paſſuum patere: tantulo terrarum ſpacio diuerſiſsimis à partibus uenientia maria dirimuntur, & quo tertia orbis pars cum tota Aegypto continenti adnectitur. Supra Iſthmum autem bona pars orientalis littoris Erythrei ad Petream Arabiam pertinens ſupra ſinum Elaniticum & uillam (unde portui nomen eſt) Elanam extenditur: ab Ortu & Meridie montana ambiunt, hinc à Felice, illinc à Deſerta eam diſterminantia: nam & hic tractus, Arabiarum celſiſsimis alicubi iugis montium ſurgit, & niſi Erythreum interciperet haud minima pars Athlantis uideri poterant: minus autem aſpera à Septentrione Syria excipitur, aduſque lacum Aſphaltiten & Philadelphiam & Bathanæam immittens, neque uſquam

Hesaie 16

Petra Arabia

eſt fœcundior quàm ubi Syriæ coniungitur. Altera Arabia Deſerta Ptolomæo dicta, ſpacioſa eſt, nec paruis ſolitudinibus uaſta, qua de re nomẽ ei eſſe putandum eſt, cum alioqui non paucis oppidis & numeroſa bellicoſaq; gente habitetur. Habet ab Occaſu Petream, ab Ortu ſinus Perſici partem & Chaldæorum tractũ, à Meridie ante dicto montiũ iugo à Beata illa ſecernitur, qua Septentrio eſt Euphrates amnis à Comagene ueniens alluit, æſtiui autem occaſus latus ea Syria quam κοίλην hoc eſt, depreſſam cauamq; cognominant, finit. Ab illis duabus uelut à baſi quadam tertia illa Felix dicta Arabia, peninſulæ forma inter duos maximos ſinus meridiẽ petit, extima fronte ad ortum Brumalem flexa, pluribus in locis maxime fertilis & alicubi etiam bifera, ſi Plinio credimus, ſolaq; terarum omnium, quæ diuinis honoribus dicatũ Thus gignens, à Græcis Εὐδαίμων Latinis Felix & Beata Arabia uocata eſt. Hæc, præter quàm ubi reliquis Arabijs adhæret, circum circa Rubro mari clauditur. Perſicum enim ſinum à Rubro fundi ſicut & Erythræum, atq; ea cauſſa Rubri maris noīe cenſeri, de frequenti authorũ conſenſu notius eſt quàm ut explicatione egeat. Nunc terminis datis, ad Petream reuertemur. Parum quidem laudata hæc ueteribus, ob ſqualorem & ſterilitatem, nobis rerum uere diuinarum memoria ita frequens & celebris exiſtit, ut multis

multis nominibus odoriferæ illi ac diuiti & Beatæ quã gentes extollunt, præferri & anteponi debeat. Nam ut ſummas tantum rerum attingamus, Iſraëlem ſicco pede Rubrum mare tranſgreſſum prima omniũ hoſpitali benignitate excepit, nec minus quadraginta annis tenuit. Quo tempore præter ingentia miracula, uarijs modis exhibita, nihil uſpiam aut dictũ aut factum eſt, quod typis myſterijsq; noſtræ religionis nõ abundet. Eſt enim in ea (ut loca memoremus) terra Madian, quæ Moſen aduenam, cũ coniuge & charis liberis quadraginta annis aluit. Eſt mons Sina, prius Moſi uocatione per angelum in flammeo rubi incendio, mox & legis diuinæ eodem in monte datæ ſtupenda reuelatione, nobilitatus. Qua quidẽ in re, non gratiæ ſolum eximiæ, ſed & miſericordiæ cuiuſdam fuit tabularum legis promulgatio, in qua diſerta Dei noſtri uoluntas, & quid ipſe à nobis requireret, qui ſalutem noſtram meditabatur, apparuit. Verũ quia corruptior erat ſtatus noſtri conditio, quàm ut ferre eam, aut ulla ex parte præſtare poſſet, non illius naturæ, ſed noſtræ culpæ fuit, quod irã illa eſt operata. Sic bonæ leges improbos damnant, nõ faciunt: dehortantur à crimine, non alliciunt: & quod in ipſis eſt ſalutem quærunt, non pœnam. Quod ipſum cœleſtis illa & incompræhenſa maieſtas, datis illis Tabulis quæſiuit, & infirmitatis nos noſtræ admonuit, ſi forte

Madian.

Sina mons.

deiecta fiducia & ſupinitate intelligeremus nullam ſpem nobis ſalutis reliquam eſſe, quàm quæ miſericordia interueniente donaretur. Ea re puto ab Euangeliſta Ioanne dictū cap. 1. Gratiam nos pro gratia accepiſſe, hoc eſt, ~~pro lege Chriſtum~~, quoniam & in lege gratia emicuerit, ſed quæ deſponſis & peßime conſcijs animis terrori eſſet, ut nemo malus bonam legem unquam diligit. Per Chriſtum autem non ſolum lex impleta, ſed & gratia impetrata eſt, & uires additæ, quæ legi præſtandæ ſufficerēt. Vt exinde Sinai memoria etiam legis nomine credentibus nobis ſacra eſſe debeat, quoniam inde patres noſtri & pietatis & charitatis conſciam doctrinam acceperūt. Mons autem Choreb iuxta Sinam eſt. Hieronymus eundem cum Sina facit. Iuxta autem petra illa qua percuſſa SITIENTI POPVLO undas Moſes elicuit. Petra illa erat CHRISTVS, de cuius ſanguine, ceu docet Paulus, patres nobiſcum fide, & nos cum patribus hodieq; bibimus, certi per ſanguinem ipſius redemptionē nobis & peccatorū remißionem obtigiſſe. Vere autē, ô uere fertilem Arabiam iſtam credentibus, Arabiam inquam Petream, quæ petram id eſt, Chriſtum ita nobis adumbrauit: quæ regni ſpiritualis, cui externa omnia contemptui ſunt, formulam quandam nobis explicuit, ut quod in hoc ſæculo imbecillum & caducū eſt, etiam ſi pingue, ſi fertile, ſi beatum

tum exiſtat, ſterile tamē ſqualidumq; iudicari debeat. Sic Aegyptus credentibus ſterilis eſt, neq; ad eius ollas alij reſpiciūt, quàm qui carni obſequūtur. Contra autem Arabia iſta fertilis, quam nemo tamen petit, niſi qui Deum uocantē ſequitur, nec terrena ſed cœleſtia æſtimat. Hanc Arabiam cum Deſerta, uno nomine C. Plinius Sceniten appellaſſe uidetur, ἀπὸ τῆς σκηνῆς id eſt, à tabernaculo, quod ſubinde tranſpoſitis ſedibus, ubi libuit cilicijs metantur. Mos enī illi genti mutare ſedes, & tabernaculis uictitare prout pecus et paſcua inuitarint. Iam ante enim populus Iſraeliticus id genus manſionibus totis quadraginta annis per deſertum uariauerat. Gentium ueterum in Petrea primi & celeberrimi ſunt Nabatæi, quibus finitimi Agreni inter Elanitas numerati, ab Agra regia eorū, quos & Agarenos dictos eſſe ſunt qui exiſtiment, ut & Agra uelut Agara ab Agar Abrahæ concubina nomen habere uideri queat. Certe Agarenos eos eſſe etiā eruditis uideo placere, qui poſtea Saraceni dicti ſunt, Iſmaelis proles. Nam in hoc & Beatæ Arabiæ tractu illos ceu ueterem gentem Ptolomæus et Plinius connumerant, de quibus mox paulò. Sunt in ea & alia minime obſcura præter Petram oppida, quorum præcipuum Oſtracine, iuxta Caſium montem, ubi Pompeius, ethnicus quidem homo, ſed minime temnendum uariantis fortunæ exemplum, tumulum habuit.

Prætereà Boſtra haud procul Trachonis montibus poſita, à qua Boſtreni dicti: prætereà Geraſa et Philadelphia. Boſtrenorum Epiſcopus aliquando Berillus fuit Origenis cōtemporaneus, & familiaris, cuius in Catalogo Hierony. meminit. Extitit & Philippopolis à M. Iulio Philippo Imperatore, in patrio ſolo (Boſtrenus enim fuit) condita, Thracenſi illi, quam Macedonū reges condiderant, & Scythæ ſub Decijs diripuere, cognominis. Primus autem Traianus Petream in prouinciæ formam redegit, & rectorem impoſuit. Habet et Deſerta plurima oppida, ſed, ut dixi, infrequentiora ob ſolitudines interueniētes. Celebre tñ aliquando fuit Tapſacum iuxta Scenitas Euphratis impoſitum ripæ, poſtea & Amphipolis dicta, haud longe à Palmyrenis ſolitudinibus, Plinio. Reliqua pars Chaldææ adiacens Nomadas habet, infeſtos Babylonijs & ad latrocinia natam gentem. Ad occaſum brumalem Nubeorum Arabum loca non infrequentia, agroq; Damaſceno & Libano monti proxima, ut ueroſimile ſit Paulum à tempore uocationis ſuæ Arabiam ingreſſum, non aliam petijſſe, quàm cuius nunc facimus mentionem. Iam de Felice dicemus. Hæc innumeras gentes habet, uicis atq; pagis magis quàm urbibus habitatur, et horū quidem maxime celebres, qui ſunt maritimi. Omnium tamen celeberrimum, & unde reliquis terris nomen & gloria, pagum Sabeorum

Actorū. 9. Gala. 1.

rum

rum,cuius regio Thurifera Saba cognominata, ob ſyluam centū paſſuum longitudinis, latitudinis autem quinquaginta. Arbores eius ad Canis ortum, hoc eſt, circa medium menſis Iulij, inciſæ humorem ſpumeum ædunt,qui cõcretus aut decidit in ſolum, unde queat colligi,aut cortici adhæreſcēs depectitur,uelut lib.12. nat. hiſt. Plinius prodidit. Neq; alia eius peninſulæ parte hoc arboris genus prouenit. Plurimarū autem rerum in Arabia prouentus,& ipſa ſoli natiua ferti=litas efficit,ut ſuas opes Sabeis uicinæ gentes nõ inui=deant. Habet montes,quibus prognata flumina longe lateq; irrigāt fertiles campos: Fertur et aurū gignere uulgo inter optima iactatum.Et ſua Arabicis gemmis dignitas eſt. Ipſe margo littorum creberrimis pro=montorijs diſtinctus nobiles portus & oppida non pauca Nundinaria portubus impoſita continet: nec Arabicæ ſolum uerum etiam Indicæ & Aethiopicæ merces conuentus negociatorū & Emporia auxere, incredibili copia rerum per ſe quidem eximiarum, ſed quas præter meritum luxus noſtris æſtimatione præferat. Nihil enim hodieq; Orientis mercibus pre=cioſius,nihil charius eſt,neq; alijs è rebus maiora cõ=pendia quæruntur mercatoribus, quod profecto non accidiſſet, ſi more maiorum uiueremus. Porrò non terræ ſolum Arabicæ ſed & undis ſua ineſt fertilitas. Nam & margaritas Arabia, quanq̃ non ſola, tamen Saba.

præcipuæ dignitatis, in Perſici ſinus littore collectas mittit, quarum æſtimationem ad inſaniam uſq; luxus prouexerat, ut Cleopatræ margarita centies ſeſtertium, hoc eſt, ducentis quinquaginta millibus aureorum æſtimata ſit, & altera illa Vnio, quam Dictator Cæſar Seruiliæ emit ſexagies ſeſtertiū, hoc eſt, centum quinquaginta millibus aureorum Gallicorum, Guilielmo Budæo ſupputante, fuerit coempta. Vix fidem capit ſummæ magnitudo, ſed uero tamen ſimilis fit conſideranti in luxu etiam gloriam quæri, neq; ullam licitationē ſatis grandem illi eſſe, qui hoc magis ad emendum accenditur, quo maioris æſtimatur quod eſt empturus. Nihil igitur mirū, quod C. Plinius lib. 12. de margaritis ſcribens, & ſimul in ſui ſæculi mores inuehens, Minima (inquit) quaq; cōputatione millies centena millia ſeſtertium annis omnibus India, et Seres, Peninſulaq; illa imperio noſtro adimūt, &c. Hodie in totum Saraceni dicuntur Arabiarū gentes, habentq; Mecham ualde celebrem urbem, cum alijs cauſsis, tum quod Mahumetæ prophetæ illorum tumulus in ea uiſitur. Mortuus ille erat XXI anno Imperij Heraclij, qui eiuſdem anno XV innotuit, primo mercator, dein propheta, poſtremo prædatoriæ militiæ dux faxq; & caput, ut mirandum ſit in Diuos ab illis relatum, cui ne homines quidem boni honeſtum in terris locum cōceſsiſſent. Marcellinus lib. 33. Arabas omnes,

omnes, poſteritatem Saracenos appellaſſe tradit. Sed & 13. libro, ab Euphratis læuo latere aduſq; Nili ſupercilia protendi eos affirmat. Inuenio autē primum eos Pompeio Magno res in Aſia gerente Romanorū militiā noſcere cœpiſſe, neq; exiguam operam Pop. Romano nauaſſe. Mox (ut nulla fides militiæ eſt) uexare limites imperij, perrumperéq; & urgere præſidia Orientis cœperunt, qua re Conſtantino magno aliquot eruptionibus factis noti iam & magno odio habiti. Demum iterum conuerſis ſtudijs Iuliano Imp. contra Perſas proficiſcenti adfuerunt, quanq̃ lubrica & propemodum uenali fide, ut nō iniuria Ammianus lib. 14. inter alia de Saracenis locutus, in hæc uerba eruperit: Saraceni nec amici nobis unquam, nec habendi ultro citroq; diſcurſantes, quicqd inueniri poterat, momento temporis parui uaſtabant, Miluorum rapaci uitæ ſimiles, qui ſi prædā deſpexerint celſius, uolatu rapiūt celeri, & ſi impetrarint, nō immorantur &c. Hactenus Marcellinus. Sed memorandū interim, breui tempore adeo illorū potentiam ſucceßibus auctam fuiſſe, ut circiter annum Chriſti D. C. XVII. Perſarū regnū ad Saracenos tranſierit, deliráq; Mahumetæ ſuperſtitione in immenſum propagata, poſt Syriā et Aegyptū et Africā perculſam, magnis copijs in Aſiam profecti ipſam etiā ſedem imperij Cōſtantinopolim obſidione premere fuerint auſi: quo tempore

Carolus Pipini *pater* Francorum *in* Gallijs *regnũ te= nuit. Sed & Imperatoris ignauia , exiguus ignis erroris tanti cum reſtingui per initia ſine labore po= tuiſſet, tandem plurimorũ aſſenſu, qui armorũ gloria & uictoriarum ſucceſſu religionẽ æſtimabant, adeo exardere malũ cœpit, ut nullus amplius remedio eſſet locus. Aſiæ iam &* Africæ *plæraq; omnia Saraceno= rum erant , neque hoc illis ſatis, in* Italiam *&* Sici= *liam uiolenta manu ingreßi , eas terras plus ducentis annis uexarunt.* Poſtremo *ſub* Conſtantino *illo qui* Leonis *Imper. pater fuit,* Anno *Chriſti* D. CC. XLII. *Gaditano freto traiecto, in* Hiſpaniã *profuſi,* Bethicæ *&* Luſitaniæ *&* Tarraconenſis *fertilißima loca oc= cupauerunt.* Eo *tempore* Beda *preſbyter magna & pietatis & eruditionis fama florebat, qui literis ultro citroq; ad principes mißis magna id ſedulitate mo= liebatur, ut militia conſcripta Saraceni* Hiſpania *pel= lerentur. Sed ſurdis (uelut in prouerbio eſt) narra= uit fabulam.* Nec *minus ſeptingentis annis (unde tem porum deſidiam atq; adeo ueternũ ipſum intelligere queas) ſecuri illi* Hiſpaniam *tenuerunt , donec prin= ceps maximus* Ferdinandus CAROLI *noſtri* V. *maternus auus uniuerſa illos breui tempore* Hiſpania *pepulit. Cuius unica , ſed ſpectatißima quidem illa uirtute, ſatis periculi factum noſtris, quantum in illa= rum gentium perfidiam Chriſtianorum principum*

induſtriæ

Cum quis loquitur ei, qui verbis illius non magis movetur, quam si non audiat, dicimus surdo canere aut narrare fabulam.

induſtriæ & magnanimitati licuiſſet, modo inteſtinis bellis freno iniecto, arma ſua non ſolum gloriæ ſed tuendæ quoq; pietati, & publicæ quieti deſtinaſſent. Enimuero Saraceni mixtum hæreſi & Iudaiſmo, à Mahumete conflatum delirium ſequūtur, quod ipſum & Turcæ, qui prima ſub Saracenis in Aſia ſtipendia meruerant, ceu per manus traditum receperunt, hodieq; cuſtodiunt. Eadem enim eſt utriusq; gentis religio, idem error, par ueſania, quæ tamen, ſi Dijs placet, libro quem ipſi Alcoranum uocant, conditur. Solenne eſt illis more Iudæorum circumcidi, abſtinent & à ſuilla carne, puto, quoniam Arabia, etiam Plinio teſte, ſues non habet. Vinum non bibunt, & menſe quodam toto ieiunant, cætera libidinoſi et quibus una uxor non placeat, inter multas uolutantur, quas tamen ita ad coniugij iura ſeruanda adigunt, ut adulteris capitalis pœna ſtatuta ſit. Veneris diem pro ſabbato habent. Nullam fœminā niſi operta facie in publicum prodire ſinunt. Chriſtum ex ueteri Hebionis hæreſi, purum quidem hominem, ſed prophetam tamen eximium fuiſſe aiunt: ei Moſen & ſuum Mahumeten conſociant, & legi Moſaicæ non nihil tribuunt. Votis & piaculis quibuſdam plurimum deferentes: quo fuco tantam orbis partem dementarunt. Sed anteq̄ Arabia digrediamur, non indignum notatu mihi uiſum, Aretarum nomē, cum Arabiarum

tum Aethiopiæ regibus tritum & peculiare fuiſſe. Nam & in Syria paululum ante Pompeij aduentum Aretas rex à Damaſcenis receptus, cuius lib. 13. meminit Ioſephus. Præterea Aretas Saracenorum princeps ſub Iuſtiniano, et eodem ſæculo Aethiopiæ Aretas, rex potens: poſtremo Pauli apoſtoli ætate Damaſcenorum iterum rex Aretas, ille cuius præfectus Paulo Iudæorum ſuggeſtione, inſidias ſtruxit, & ut è muro demiſſus elaberetur, adegit, ſicut ipſe alterius ad Corinth. 12. cap. meminit. Sophronius autumat Eunuchum Candaces Felici Arabiæ Euangelion prædicaſſe. Ego Paulum iam conuerſum & reuelatione edoctum, & Arabia Chriſtum docuiſſe arbitror. Continue enim Chriſtum prædicauit Synagogis, ut ait Lucas, quod is eſſet filius Dei.

Aretas rex.

Acto. 9.

SYRIA.

NOn ſum neſcius quã late, Pomponio Plinioq; Syriæ nomẽ pateat, ſed quo dilucidiora fiant ſingula, præſertim in compendio, nos eam quæ citra Euphratem eſt, & ut Strabonis maxime finitione circumſcribitur, primum deſignabimus, mox reliquas illas partes, quibus & ipſis ſua nomina ſunt, ordine reddituri. Igitur ab Aegypto & ſupra memorata Arabia, qua in Syrbonin lacum uergit, Syriæ initium eſt, à Meridiæ in totũ Petrea, Ortu uero bru-

Syria.

mali

mali Deſerta Arabia Palmyreniſq; ſolitudinibus terminata. Latus eius Septentrionale Euphrates excipit, & citra eum Ammani montis Ciliciam diſterminantis iuga, in Iſsicum uſq; ſinum, quo Syria finitur, immiſſa. Occiduum latus uniuerſum mare alluit, quod à Phœnice præcipuo eius littoris tractu, Phœnicium ueteres dixerunt: terra præſtans eximia ubertate, ſed hac re precipue felix quondã, quod in eam fama primum doctrinæ & miraculorum Chriſti dimanauit. Vrbes eius plurimæ, quarum præcipuas ſuis locis reddemus. Partes Syriæ ſunt, Palæſtina, Phœnice, Damaſcena, Cœle, Decapolitana, Antiochena, & proximæ iam Euphrati, Comagena, Apamenáq;, & ubi Scenitis ſe miſcet, fluminis decurſu, Paropotamia cognominata. E quibus, quoniam ab occaſu Syriam ingredimur, poſt deſcriptas Arabias, Palæſtinam expediemus, regionẽ adeo inſignem cum locorũ, tum uero rerum geſtarũ, quas ſcripturæ memorant, celebritate, ut priuati operis ſit illã ad plenũ deſcribere, nec poſſit paucis dici quicq̃d de illa uel breuiſsime dicitur.

PALAESTINA.

PTolomæus quinto libro Iudææ nomẽ Palæſtinæ tribuit: & finiri eam monte Antilibano confirmant, lib. 16. Strabo, & lib. 20 Auguſtalis hiſtoriæ Tacitus: nec diuerſis à Ptolomæo Hieronymus

Iudæa. *totum tractum quam* Iudæorum *tribus incoluere*, Iudæam *uocat*. *Qui ſubtilius ueriusq; diuiſere, partem* Palæſtinæ Iudæam *faciunt, cui ab* Occaſu *&* Meridie Idumæa, *à Septentrione &* Ortu Samaria Galilæaq; *itidem* Palæſtinæ *partes coniungantur.* Plinius *quinto libro, quanq̃* Idumæam *cũ* Palæſtina *confundit (quoniam &* Philiſtim *&* Edom *ſparſim ea loca tenuiſſe conſtat) tamen hanc à* Iudæa, *præterea &* Samaria *&* Galilæa *ſeparat. Libenter igitur horum ſenten-*

Palæſtina. *tiam ſequimur, qui* Palæſtinæ *nomine ceu generali* Idumæam, Iudæam, Samariam *&* Galilæam *complectuntur. Illi enim opinioni et ſcripturæ ſuffragantur, & uſitata uulgo,* Chriſti *& apoſtolorum temporibus iſthæc partitio fuit.* Matthæus *enim* II. *capite de* Ioſeph, *Cum audiſſet (inquit)* Archelaum *regnare in* Iudæa, *loco* Herodis *patris ſui, timuit illuc abire, ſed oraculo admonitus in ſomnis, ſeceßit in partes* Galilææ, *ac profectus habitauit in ciuitate quæ uocatur* Nazareth *&c. Parum apte fuiſset locutus* Matthæus, *ſi alia à* Iudæa Galilæa *nõ eſſet. Porrò ab* Archelao *deflexit, qui* Iudæam *poſt patris mortem ab* Auguſto *acceperat, in* Galilæam *autem ſeceßit, cui* Philippus *frater illius, minus ſæuus (patrizabat enim* Archelaus*)* Tetrarcha *præerat. Proprie igitur hoc loco* Iudæa *pro parte* Palæſtinæ *accepta eſt. In eodẽ capite* Bethleem Iudææ *cognominatur, ad differentiã*

eius

eius quæ in Galilæa eſſet, Hieronymo: *quanquam ipſe* (*Iudæ*) *non* (*Iudææ*) *legit. Sed alia quoq; exempla ſunt, ut Lucæ* ~~undecimo~~: Aſcendit autem Ioſeph à Galilæa de ciuitate Nazaret in Iudæam, in ciuitatem Dauid quæ uocatur Bethleem, &c. Et Act. 9. capite. Igitur Eccleſiæ quidem per totam Iudæam, & Galilæam et Samariam habebant pacem. Et Ioan. 4. cap. Reliquit Iudæam & abijt iterum in Galilæam, oportebat autem eum ire per Samariam, &c. Hic Ioannes ita diſcernit à Iudæa Galilæã, ut intermediam Samariam faciat, quod ita habere re ipſa Ptolomæus indicat. Sed & Idumæam à Iudæa Marcus ſeparat 3. cap. his uerbis: Et ingens multitudo à Galilæa ſecuta eſt eum, & ab Iudæa, & ab Hieroſolymis & ab Idumæa & Transiordane. Porrò qd' Hieroſolyma hic Marcus nominat Iudææ urbem, ea cauſſa puto factum, ut indicaret, uel ex illa urbe multos eum ſectatores habuiſſe, in qua eius perdendi cottidiana cõſilia captarentur. Tranſiordanis autem regio ab Hermolao ea dicta, quam Plinius lib. quinto Peræam nominauit, de qua ſuo loco dicetur. Nunc ut eò pergam unde cœperam, admonitũ uolumus Lectorẽ, eam Palæſtinam quæ has partes omneis ambit, ab Ortu æſtiuo Libano terminari, à Septentrione Phœniciæ parte, ab Auſtro Arabia, ab Occaſu mari Phœnicio. Eadem regio Chanaan quondam, ſed proprie qua Iudæa eſt di-

Luce. 2.

Idumæa.

Tranſiordanis regio.

ctam, terrã ſcilicet promißionis, quam ante Abrahæ in ea loca aduentum & Chananæi & Phereſæi tenuerunt, palàm ex 13. cap. Geneſeos deprehenditur.

"quod"

IDVMAEA.

Idumæi.

IVdææ extrema occidentem uerſus, & proxima Caſio monti, Idumæi tenent, origine Nabatæi, quos orta ſeditione inde egreſſos, & Iudæis coniunctos eiſdem legibus cõmunicaſſe, Strabo lib 16. prodidit. Certe, ſcriptura 3. Regum 9. capite, in Arabia fuiſſe, & ad Rubrum mare attigiſſe Idumæos, teſtis eſt. Conſtat eos à Hieroſolymis Meridiem uerſus nõ plus ſeptuaginta circiter millium paſſuum diſtantia remotos, authore Hieronymo, qui ab Hebræis fermè haud aliter quàm Edom dici eos, ab Græcis autẽ uoce non nihil deflexa, Idumæos appellatos tradit, quod ante ipſum & Ioſephus ſcripſit. Auguſtinus lib. 16. de Ciuitate Dei, Idumæa patrem Eſau habuiſſe, qui idem quoniam Edom dictus ſit, nomen illis exinde datum fuiſſe exiſtimat. Regio ipſa, qua parte maritima eſt & ubi Iudææ approximat, eximie fertilis eſt, in Arabiæ tantum confinibus ſterileſcit, & montibus, quos ſacræ literæ Seyr uocant, aſpera eſt. Abundat et palmis, unde illud Lucani lib. 3. Gazaq; & arbuſtis palmarũ diues Idume. Maroni quoq; alicubi palmæ Idumææ celebrantur. Quanq̃ autem Iudæis hoc modo uicini,

Gene. 25. 26. 27. 4 36.

Gene. 12. 32. 33. 34. Deutero. 1. 2. Iudic. 5.

uicini, & legis eorum utcunq; ſectatores extitere, tamen ut aduenæ & exſortes (quemadmodum & Samaritani) ſemper illis contemptui fuerunt. Vrbes Idumææ pluſculæ numerantur ab authoribus, ſed inter eas tamen, quas iam antea Phœnices, & ante has Palæſtinenſes tenuerint, ex mediterraneis potiſsima eſt Mareſa: dein Plinio Rhinocorura maritima, & Raphia paulò remotior à littore: rurſum ad mare uergens Gaza et uicina ei Anthedon, poſt, Agrippias ab Herode uocitata. Præterea & Aſcalon & Azotus Philippi prædicatione clara ciuitas, Act. 8. aliæq; iuxta poſitæ, Idumæis tribuuntur, quarum aliquas Iudææ alij, non nullas & Phœniciæ tribuunt, ut in confeſſo ſit, his locis & ſedibus gentium, ut fit, nomenclaturam uariaſſe, quod propemodũ neceſſe eſt fieri, toties ſuccedentibus, qui priores pepulere, præterea ſumma limitũ inconſtantia, ſubinde arbitra uictoria, aut ampliante illos, aut coërcente. Aſcalone Antipater ille Herodis parens, quem conſtat Idumæum fuiſſe, natus creditur. De quo ſane & ijs qui ei ſucceſſerunt, quoniam illius ætate Iudæis regnum ademptum, & ſeruator noſter Ieſus Chriſtus in mundum natus eſt, non alienum ab inſtituto uiſum mihi, ſi totam ſeriem quàm poſſem breuiſsime complecterer, haud parum enim inde lucis, niſi fallor, & locorum notitiæ & hiſtoriæ Euangeliorum accedet. Igitur

Ioan. 4.

Azotus.

Iuxta uaticinium Iacob. patriarchę. Genera. 49.

Antipater magni uir animi, & apud ſuos fermè propitia fortuna uſus, uxorem Arabicæ *gentis* Cyprin *nomine duxit primariæ nobilitatis fœminam, ex qua quatuor filios ſuſcepit,* Phaſelum, Herodem, Ioſippũ, *&* Pheroram, *filiam autem æquè dilectam patri,* Salomen. Duo *ex filijs potiſſimum emerſerunt,* Herodes *uidelicet & maior natu* Phaſelus, *quos adultos repente ad amplos honores euexit.* Enimuero *prudens calliduſq́; quũ ingenti ſtudio* Romanos *utpote* Iudæorum *dominos, & qui* Palæſtinam *paulò ante prouinciam feciſſent, coleret, uideretq́; fortunæ & ſuæ & liberorum ſummam in illorũ fauore conſiſtere: bello primũ ciuili* Pompeiano, C. Cæſarem Dictatorem *in* Aegyptum *tendentem incredibili animi promptitudine eſt proſecutus.* Mox *& bello ei tanta cura, ſedulitate, magnanimitate, affuit, uir nimirum & gentium & locorum* Aegypti *&* Arabiæ *peritiſſimus, ut* Dictator *gratiam referens, et ciuitate illum donaret, &* Iudææ *tutorē faceret.* Tradunt *quidem ante quoq; hoc honoris à* Pompeio *quũ* Syriam Imperator *cum exercitu ingreſſus eſſet,* Antipatrũ *accepiſſe,* Cæſarem *autem confirmaſſe ei dignitatem, idq́; uelut auctarium gratiæ adieciſſe bene merito, ut* Herodes *filius eius, nondum quintumdecimũ annum egreſſus, tutor* Galilææ *eſſet,* Phaſelus *autem* Hieroſolymorum *dux conſtitueretur.* Quod *quidem annos ante natum*

Chriſtum

Chriſtum circiter quinquaginta accidiſſe cōſtat. Porrò Iulio Cæſare Romæ in Pompeij curia cæſo, & Triumuiratu per Octauium Auguſtum, M. Antonium & M. Craſſum, inuaſo, quum deuictis Caßio & Bruto tyrannicidis, Antonius in ſuum Orientem nauigaret, Antipatrum inſidijs Malachi Iudæi res nouas molientis, ueneno ſublatum de medio intelligit. Interim Iudæi quibus non ſuſpecta modo, ſed & moleſta fuerat Antipatri ut hominis alienigenæ potentia, ne filij parenti ſuccederent, néue ullo in loco honorifico terræ ſuæ eſſent, ſummis uiribus adnitebantur, ornatißima legatione ad Antonium tum in Aſia agentem, miſſa: quam cum Hircanus iam Herodis per Mariamnem filiam ſocer, cui Pompeius pontificatum contulerat, in accuſandis deprimendisq; Herodis liberis nihil diligentiæ intermiſſuram ex anteactis rebus cognoſceret, uir ſua ætate nō opibus ſolum, uerumetiam dignitate & authoritate magnus, uideretq; quo in loco generi futuræ res eſſent, ſi uotis aduerſariorum ſuccederet: feſtinato itinere ad Antoniū contēdit, rem omnem ut habebat exponit, idq; pro ſingulari Antonij erga ſe beneuolentia, legationis accuſatione reiecta, impetrat, ut Herodem & Phaſelum tetrarchas lectos ille Iudææ Galilææq; præfecerit. Cuius rei caſum tametſi indignißime ferrent Iudæi, tamen Antoniū ueriti tum Syriæ imminentem, inuidiam dißimulabant. Rebus igi

tur ad hunc modum in Palæſtina compoſitis, Antigonus Ariſtobuli illius, quem uinctum Romam Pompeius duxerat, filius, Hircani autem ex fratre nepos, apud Ptolemæum Minæi Chalcidis tyrannum magno in honore habitus, poſt acceptam Antipatri mortem, ſpe regno potiundi à ſuis animatus, quoniam ſtirpis Iudaicæ, neq; hoc ſolum, ſed & regum Iudæorũ ſanguinis eſſet ab auo Alexandro altiusq; nobilitate generis deducta, præterea perſpectum haberet, Antipatri prolē Iudæis inuiſam, eaq; de cauſſa plurimos ex primatibus Hieroſolymis eſſe, qui in ſe unum oculos conijcerent, & regem cuperent, nimirum Iudæis Iudæum, ne ſua tot ſæculis retēta defenſaq; dignitas alienorum tyrannide, prorſus ſuccumberet, Pacorũ Parthorum regem ingenti pollicitatione inuitatum rogat quo exul ſibi opem ferat: nec alienum à uero, perſuaſum à Iudæis clanculũ, Antigonum fuiſſe, quo id conſilij caperet. Pacorus ipſe homo ad bella natus, cum Antigoni promiſsis, tum uero & Ptolemæi amicitia, maxime autem quod Antipatri filios à Romanis confeſsis hoſtibus ſuis manuteneri cerneret, commotus, ingenti exercitu terra mariq; inſtructo, duce autem primario Barzapharmane ſatrapa, in Iudæam rectà contendit, multisque oppidis receptis demum ipſa Hieroſolyma obſidet. Quo tempore Herodes ex aliquot prælijs cum hoſte commiſsis uictor, quidem et in

totum

totum rerum à ſe geſtarum gloria inſignis ferebatur, tamen quia impar ipſe numero paratis undiq; Iudæorum inſidijs uallatum ſe, & ab his etiam quibus fidebat proditum intelligebat, uxore clanculũ præmiſſa, & magna familiæ parte iumentis impoſita, hoſtibus inſcijs in Idumæam profugit: Antigonus interim urbe potitus Hircanum patruum capit, & uincula Phaſelo inijcit, Parthis urbis diripiendæ copiam facit, in plurimos qui aut Antipatri aut filiorum amicitia ſuſpecti erant, animaduerſum eſt, miles præda onuſtus, nec pudoris nec honeſti habebat rationẽ. Antigonus autem uictoria tumidus, deq; poteſtate malis artibus firmanda ſolicitus, Hircano auriculas abſcindi iuſsit, quo ſpe illũ aſſequendi in poſterũ pontificatus deijceret. Eum enim lex haud permittebat ulli, qui aliquo mẽbro mutilatus eſſet. Inſuper & Parthis (quæ ambitionis impudentia eſt) abducendũ tradidit. Phaſelus, quia uinctus erat, & moriendum ſibi cernebat, capite ultro in ſaxum magno impetu illiſo ſibijpſi mortem acciuit. Dum hæc Hieroſolymis aguntur, Herodes nihilo ſegnior aduerſo iſto caſu factus, quum Rhinocoruræ de fratris interitu accepiſſet, repente Peluſium profectus, inde Alexandriam ad Cleopatrã Aegypti reginam, Antonij delicias contendit, dubium huiúsne conſilio, an quia in mora (quod dicitur) periculũ uideret, naui aſcenſa media hyeme & tempeſtuoſo ma-

Leui. 21.

Rta iuris. Mora sua cui liber est non ...

Infinitiuus pro preterito imperfecto nonnunquam ponitur. ut hic indignari id est indignabantur. et ferre i. ferebat. Sic Teren. in Eunucho. Ante ... frena. i. In... [illegible] Mordere ... Illi ... fera.

ri, Brunduſium Calabriæ urbem appulit, atque inde Romam profectus, Antonio quid accidiſſet ordine ex ponit. Hic, Antonius Antigono indignari, Parthorũ audaciam inique ferre, imperij maieſtatem contem=ptui eſſe, lædiq; atq; imminui etiam Senatus perſpicie bat: Ea re factum, ut Herodes ab Antonio Octauioq; Senatui multis nominibus commendatus, rex Iudæo=rum crearetur, Pub. Ventidius in Syriam ad Parthos coërcendos mitteretur, cui & de Herode reſtituendo negotium datum eſt: in eam rem, quoniã bellum Par=thicum extrahebatur, & corrũpendis militiæ Roma=næ ducibus magnam uim pecuniæ Antigonus profude rat, totum ferè triennium conſumptum eſt. Acceſsit ad hæc quod Herodes Hieroſolymam à ſe & C. Soſio Ventidij legato obſeſſam, incolumẽ recipere, & quo plus ei fauoris et gratiæ apud Iudæos maneret, urbem illæſam ſui iuris facere cupiebat. Cõtra Soſius (ut eſt militarium hominum animus) prædam ſpectare, nec æſtimare Iudæorum toties rebellium dignitatem. At=qui capta demum urbe, Herodes de ſuo militem dona=uit, quo ciuibus parceretur, Soſiũ grandi pecunia ob=ſequentem ſibi fecit, & facile impetrat, ne religionem templi miles peregrinus prophanaret, certus haud a=liam rem maioris beneficij loco Iudæos habiturum. Antigonus mutatis rebus, captus & Soſio traditus, Antiochiam Syriæ perductus eſt, Pacorũ regem pu=

gna

gna ſuperatum Ventidius occidit, Herodes Antigoni ſalutis, quoniam regiæ ſtirpis Iudæorum eſſet, impatiens, denuo Soſio grandi pecunia delinito, ut Antigonum occideret impetrauit. Regnum igitur Herodi traditum, haud longe poſtea Auguſtus poſt deuictum apud Actium, Antoniũ non confirmauit modo, ſed et ampliauit incredibili quidem ſucceſſu, & quem palàm erat certa dei diſpenſatione promoueri. Non obfuit Herodi quod Hircanum ſocerum à Parthis dimiſſum & reuerſum, ob regij ſanguinis opinionem ſibi ſuſpectum, interemiſſet: non obfuit quod Ciuili bello uixdum ſopito, partes ille Antonij quem ſumme dilexit, eſſet ſequutus: non obfuere tot genera ſuppliciorum, quæ poſt Antigonum à Soſio extinctum ille Hieroſolymis in eos qui aduerſarij fuiſſent, neglectis deditæ urbis conditionibus, ſumma tyrannide exercuiſſet. Facile omnia Cæſar ignouit, quod obtenderet Antoniana ſe militia abſtinuiſſe, & polliceretur, eo ſe deinceps in Auguſtum animo futurum, quo in illum fuiſſet. Erat hic ineluctabilis prouidentiæ tenor, ut uerax aſſereretur ſpiritus dei, ut ſcripturarum oracula complerentur, ut ad hunc modum ſceptrum Iudæorum ſub aduentum domini de femoribus auulſum, alieni & qui horum ſtirpis non eſſent acciperent. Herodes igitur iam ſublimis regno, uarie ſe geßit, nec facile erat æſtimare, bonis ne an malis regibus annume-

Herodes rex.

randus eſſet, qui ſæuitiã tot generibus clementiæ cælatam diſsimulabat. Auaritiam tam uaria liberalitatis ſpecie fucabat, in exteros quidem ferè ſemper humanus & beneficus, maxime autẽ in Romanos, quos non donis ſolum ingentibus, ſed conditis etiã urbibus honorauit. Vxores ei fuerunt minimum nouem, ex quibus multam prolem ſuſcepit. Cæterum è filijs potiores fuere, Alexãder, Ariſtobulus, Herodes, Philippus, Archelaus, & ex Doſide genitus Antipater, quorum Alexandrum & Ariſtobulum ex Mariamne Hircani filia genitos, Romam erudiendos miſit. Et quum non modo Hieroſolymam, ſed & ipſam Iudæam uix æſtimandis ſumptibus uario ædificiorum genere exornaſſet, demum regni eius anno XVIII. ad templũ extruendum conuerſus, incredibili ipſum magnificentia, ſpatio octo annorum erexit, additis porticibus uario opere uiſendis, ſed & portis templi magnitudine & artificio adeo præſtantibus, ut unam ex illis uulgo Specioſam appellarent, & Porticum quandã propter operis elegantiam primi conditoris nomine dignarentur, nec enim aliter à Iudæis quàm Salomonis porticus eſt appellata. Igitur Herodis opus fuit, quod apoſtoli admirati Chriſto uiſendum commonſtrarunt, atque ille diceret, futurum ut lapis ſuper lapide manſurus non eſſet, Matthæi uigeſimoquarto. Certum autem non tam religionis gratia templum à ſe conditum

Templum.

Porta ſpecioſa.

Actorum. 3.

Porticus Salomonis

Marci. 13.

Lucę. 21.

fuiſſe,

fuiſſe, quàm ut hoc modo Iudæorũ animos ſibi reconciliaret. Volebat quidem & legis obſeruator uideri, ſed diuerſum ſtudia & mores prodebant, præterea immodica regnandi cupiditate, ſtudioq; illo perpetuo, quod Romanis colendis obſeruandisq; impendebat, corruptus legis ſanctimoniam Paganiſmi imitatione fœdauit. Iam enim antea quum Galilææ præeſſet, templum Dictatori etiamnum in humanis agenti, candido è marmore, iuxta urbem Paneada, ubi Iordanis oritur, condidit. Sed & Auguſto quinquennales ludos, theatrumq; & Amphitheatrum cõtra gentis morem exædificauit, præterea & trophæum & ſtatuas poſuit, Iudæis omnia indigniſsime ferentibus, apud quos illius exiſtimationi non parum obfuit, quod palàm interdum faſſus eſſet, dolere ſe & indigne ferre, quòd Cæſaris ſigna & imaginem templo à ſe condito inferre & collocare, lege prohiberetur. Sed & alia id genus animi eius indicia de Iudaiſmi contemptu, & amore in deos Romanorum, & Gentium ritum magnum argumentũ erant. Aetate autẽ ingraueſcente, quũ deficere ſe uiribus ſentiret, ſuſpicione quadã ſenili, odij publici, & quod eſſe plures putabat, qui eum ob cœptam inſolentiã extinctũ cuperent, tanta animi feritate exarſit, ut ne à domeſticis quidẽ & intimis eius aulæ amplius amaretur aut ferri poſſet: longe autẽ crudeliſsime in eos eſt debacchatus, qui quantãcunq; ſu-

ſpicionem affectati regni de ſe præbuiſſent, quæ rabies illi primũ à Mariamne præ cæteris adamatæ coniugi animum alienauit, quod immodico in filios iam tum exoſos patri, fauore eſſe uideretur. Mox & in filios ipſos haud improbe de patre meritos, immania meditatus, Alexandrũ & Ariſtobulum Mariamnes natos, coram Saturnino Syriæ præſide accuſauit, & inuito propemodũ Saturnino, ad mortem adegit, utq; in carcere ſtrangularentur curauit. Neq; hac uindicta crudelis animus ſatiatus eſt, Mariamnem in quã immodico amore ante deperierat, occidi iuſſit. Inſuper & Ioſippũ clarum uirũ ſororis ſuæ Salomes maritum, ex qua Berenicem præſtãtiſſima forma puellã genuerat, interfecit. Sed & Antipatrũ, quem inter filios eius poſtremum numerauimus, coniectũ in uincula pauculis diebus antequam nocentem animã exhalaret in carcere necari iuſſit. Super omnia aũt uæſaniæ & crudelitatis eius facinora atrociſſimũ illud memoratur, ꝙ cũ ex Magis natũ in Iudæa intellexiſſet infantẽ, qui rex Iudæorũ eſſet futurus, & quo loco natus eſſet Scribæ eum & Pontifices de prophetarũ teſtimonijs admonuiſſent, pueros omnes Bethleemiticos, qui bimatum attigiſſent aut infra cum eſſent, occidi mãdauerit, tanta quidem animi impotẽtia, ut accelerata laniena (ne quis alius ei quàm quẽ ipſe deſignaſſet, in regno ſuccederet) in grege illo mactatæ innocentiæ, etiam filium

Pueri innocentes.

Matth. 2.
Magi erant p̄ſe ſacerdotes.
Michee 5.

filium amiſerit. Qua de re Macrobius libro Saturnalium ſecundo de facete ab Auguſto dictis ſcribens, in hæc uerba tradit: Auguſtus, quum audiſſet inter pueros quos in Syria Herodes rex Iudæorum intra bimatum iuſsit interfici, filiũ quoq; eius occiſum, ait, Melius eſt Herodis porcum eſſe quàm filium. Et recte quidẽ Auguſtus, nam porco ille utpote Iudaizans pepercisſet, qui per furorem ſtabiliendæ tyrannidis filijs non pepercit. Ad extremum autem dum hiſce furiarum ſtimulis exagitatus per immania ſeſe facinora uolutat, graui morbo correptus aliquandiu decubuit, cumq; nec pharmaca toties repetita, nec thermæ quas ſaluberrimas Iudæa habet, quicquam proficerent, & ſpe omni medici deſtituerentur, poſt obſignatum de more teſtamentum, morbo inualeſcente, & iam pudibunda uermibus erodentibus, putoreq; artuum omnium intolerabili exorto, ne tunc quidem animi ferocia depoſita, annum circiter quartum poſt natum Chriſtum, moritur, anno ferè ſeptuageſimo ætatis, quũ iam quatuor & triginta annis regno præfuiſſet. Memorandum autem & magnum funeſti animi eius argumentum, quod cum ad certum diem optimates Iudæorum magno numero Hierichuntem euocari iuſſiſſet, cauſſam ſciſsitantibus amicis, mãdarit, ut ſi, per eos dies ceu putarat, mori eum contingeret, illis ſimul ſpecie funeris in Amphitheatrum conuocatis, milite

Auguſtus Octauianus mallebat Herodis porcus quam filius esse.

immiſſa ex improuiſo ſine diſcrimine uniuerſos trucidarent. Geminum eius rei fructũ futurum dictitans, & quòd quietius regnũ teneri à ſuis poſſet, & quòd Iudæi qui uiuũ odiſſent, ſe mortuo, uel inuiti plorarẽt. Monſtro igitur illo libidinoſo, funeſto & parricidali de medio ſublato, Archelaum filium quem ſucceſſorẽ pater teſtamento reliquerat, cõfeſtim eo audito, miles magna cum acclamatione regẽ ſalutat: cũq; diadema ille offerret, recipere noluit, odioſum hoc futurũ, ſed & dubium honorẽ arbitratus, quem Cæſar nondum confirmaſſet. Proinde Romã feſtinato itinere ad Auguſtum contendit, à quo honorifice ſuſceptus negotio in aliquot dies protracto, demum ita ad gubernandum admiſſus eſt, ut dimidiam partẽ regionis Iudææ, quæ antea patri Herodi tributa pependiſſet, ipſe Toparcha adminiſtraret, Idumæam ſcilicet, Iudæam & Samariam, Philippo fratri Bathanæam Tetrachiam, cum Trachonitide & Auranitide aßignauit, Herodi filio, Galilæam & Tranſiordanem contribuit. Salome ſorori non ſolum Iamniam, Azotum, Phaſelin, reliquáq; quæ teſtamento ei frater legaſſet, conceßit, ſed inſuper & Aſcalonem adiecit, & Berenicen Salomes ex Ioſippo filiam honore proſecutus, liberalia ei dona contulit. Dum hæc Romæ agerentur, magni in Iudæa motus uarijs & caußis & partibus excitati, non Iudæis modo inter ſeſe conflictantibus, ſed & templo

Archelaus Toparcha. Matth. 2.

Philippus et Herodes tetrarchæ.

templo cuius pars igne conflagrauerat, exitio fuere. Simon quidam nomen regium Cæſare non expectato inuaſerat, quem mox Quintilius Varus qui tum Syriæ præerat, punitum coërcuit, Iudæamq; Herodis liberis ex principis decreto tribuit. Cæterum Archelaus patre nec mitior nec melior, cum nouem annis toparchiam ſuam inſolentiſsime adminiſtraſſet, optimatum querelis apud Auguſtum poſtremo eius uitæ anno delatus, miſsis qui caperent, Romam adductus & in urbem Allobrogum Viennam relegatus eſt. Eiusq; regio mox tributaria facta, & Syriacæ diſpenſationi coniuncta, per præſides & procuratores adminiſtrata eſt. Ioſephus libro Antiquitatum XVIII. Cyrenium Conſularem, primum horum **Cyrenius.** *fuiſſe tradit qui Auguſti fauore, prouinciam Archelao ereptam rexerit: quo tempore primus cenſus in Iudæa iam prouincia ſit actus: inſigni profecto & obſeruatu digno errore, cum Lucas fide hiſtoriæ multis Ioſephis anteferendus, ſecundo capite prioris libri hanc deſcriptionem à Cyrenio, Syriæ præſide, factam tradat antequam ſaluator noſter natus eſt. Quod ipſum uiuente etiamnum Herode patre contigiſſe, non Matthæus modo ſacratiſsimus author, ſed & Gentiũ hiſtoria conuincit. Aut igitur Ioſephus de cenſu alio loquitur, poſt Archelai repulſam*

actio, qui primus eius terræ non fuerit, quanquã ipſe (niſi interpres lapſus eſt) primum fuiſſe putarit. Aut intelligendum eſt, Cyrenium iam antea Syriæ præſidem ſub Herode facile conſentiente (regnum ille ceu precarium tenebat, & totus hærebat à Romanis) primum illum cenſum egiſſe, pulſo uero Archelao, Iudæam petere iuſſum quo regiæ pecuniæ habita ratione ipſam quoq; regionem in prouinciæ formam priorem redigeret. Enimuero ſub Pompeio Iudæi et uectigales & tributarij Pop. Roma. facti ſunt, ut immerito Iudas ille cuius in Actis Lucas, & ipſe etiam Ioſephus meminere, ob Auguſti cenſum ceu oneris noui tumultuari perrexerit. Id annotandum duximus, ne quem Ioſephi lectio perturbaret. Cyrenio igitur in Iudæa gubernanda Copinius ſucceſsit, cui deinde Marcus, dein Annius Rufus Tiberio imperatore, & Val. Gratus, poſt quem circiter decimumtertium Tiberij annum, Pontius ille Pilatus qui Iudæis gratificaturus de Chriſto Domino noſtro ſupplicium ſumpſit. Quo tempore Philippus & Herodes fratres, tetrarchæ, in magna dignatione erant: & Herodi præcipue fauebat Tiberius à quo & cottidianis beneficijs ornabatur, quanquam libidine crudelitate & animi faſtu haud diſsimili patri, quem mox paulò præmaturus Philippi obitus & arrogantiorem & potentiorem fecerat. Hic eſt Herodes maioris Herodis filius, qui ſcelerata libidine adductus

Iudas Galilæus.
Actorum. 5.
Pontius Pilatus.
Ioan. 19. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.
Herodes iunior.

adductus in Galilæa ſua Ioannem Baptiſtã gladio per cuſsit. Qui Chriſtum à Pilato, quo de cauſſa eius co=gnoſceret, miſſum, quanquam Galilæus putaretur, re=miſit tamen etiam ignominia affectum, hoc uidelicet honoris Pilato tribuens, ut quoniam captus Hieroſo=lymis eſſet Chriſtus, eum animum præſidi teſtaretur qui inuiolatam eius iurisditionem cuperet. Ea re de=mulſum Pilatum putamus, ut quoniam præter ſolitũ honorari ſe ab Herode ut præſidem uideret, depoſita ſimultate amicus fuerit factus. Porrò Tiberio mor=tuo, Pilatus quum decennio iam Iudææ præfuiſſet, ob animi inſolentiam & quod Iudæis frequenter nego=tium faceret, à Vitellio contra Parthos proficiſcente, Romam ire iuſſus, Marcellum quendam ſucceſſorem accepit, illum, qui Caipha pontificatu deiecto, Iona=tham ei Annæ pontificis filium ſubſtituit. Pro arbi=trio enim præſidum ambitione & inuidia Iudæorum agitato, honor pontificatus ſubinde uariabat, neque quicquam erat urbi ad exitium properanti, aut quie=tum, aut integrum, Præfectorũ interim auaritia eiuſ=modi diſſenſionum & altercationum prouentu exi=mie ſaginata. Cui camino (quod dicitur) oleum adde=bat, peſsimorum principum Tiberij & Caligulæ libi=do & luxus. Siquidem Caligula ſexto anno poſt mor=tem Chriſti ad imperium prouecto Iudæus Agrippa dives homo & callidus, quemq; fama etiam nobilita=

Agrippa rex.

Matth. 14. Marci 6. Luce 3. 9. Luce 23. Luce 13.

Herodes Tetrarcha Galileae rapuit Herodiadem coniugem fratris sui Philippi tetrarchae Itureae et Trachonitidis regionis (Luc. 3.) et duxerat eam uxorem. quem Joannes Baptista corripuit dicens. Non licet tibi habere uxorem fratris tui. propter quod vinctum coniectum in carcere a capite truncavit ut scribitur Marci 6. Matth. 14.

tis commendabat, *emerſit*. Erat *hic* Herodis *maioris ex filio* Alexandro (*qui patre accuſante cum* Ariſtobulo *fratre in carcere perierat*) *nepos*, Cypridis *autem* Herodis *itidem ex* Phaſelo *fratre proneptis maritus*, & *illius* Herodiadis *quam* Philippus *uxorem habuerat frater*: *quem* Romam *profectum* Cæſaris *demerendi gratia*, Tiberius *in uincula coniecerat*, *quòd palàm dixiſſet, cupere ſe eum diem uidere, quo* C. Caligula *amicus ſuus imperio potiretur*. Nec *mora*, Tiberio *mortuo*, Caius *illum exemptum uinculis ut optime de ſe meritum, regem* Iudææ, *impoſito etiam diademate, conſtituit*. Duas *præterea* Tetrarchias, Lyſaniæ, & Philippi, *qui ſub* Tiberio *ex humanis exceſſerant, contribuit*. Ea *res magnarum poſtea ſimultatum cauſſa fuit*, Agrippæ *regium decus*. Herodem *quamuis patruum* & *ſororium, inuidia tamen accenderat*. Contrà, Agrippa *alienatum à ſe nulla iuſta cauſſa* Herodis *animum quum uideret, pro hoſte habere cœpit, quem antea ut amicum* & *neceſſarium coluiſſet*. Mox, *gliſcentibus inſidijs* & *odio flagrante, apud* Caium *accuſatus* Herodes, *quòd ingenti armorum ui comparata cum* Artabano Parthorum *rege, aduerſus* Caium *conſpiraſſet, damnatus à* Caio, & Lugdunum *ut remotum ab* Oriente *locum in exilium truſus eſt, inq;* Agrippam *non regio ſolum*,

lum, quam ille tenuiſſet, ſed & opes translatæ ſunt. Eo tempore Petronius Iudææ præfectus, Caij ſtatuam in templum iuſſu principis locaturus maximi tumultus cauſſa fuit. Iudæi enim ſummis uiribus reluctati, palàm ſignificabant bellum potius quàm impium Petronij conſilium admiſſuros. Proinde rex Agrippa cum cerneret periculum & perſpectam haberet Iudæorum obſtinatiam, Petronio prius perſuaſo, deinde & Caio principe mitigato, pacem Iudæis impetrauit. Recte tum quidem illi, & ut antea ſæpe ex lege ſentiebant, cæterum inutilis hic & odio magis gentium quàm candido pietatis ſtudio receptus cultus illorum erat, qui interim nihilo meliores Meſchiah ſuum, id eſt Chriſtum Dominum, non modo ad mortem adegerant, ueluti criminoſum, ſed etiam rediuiuum in ſuis & inaudita uirtute operantem, incredibili odio perſequebantur, ut recte de illis ad Romanos Paulus dixerit, zelum eos habere dei, ſed non ſecundum ſcientiam: nec iniuria Stephanus duros ceruice, cordeq; & auribus incircunciſos dixerit, qui ſpiritui ſancto ſemper reſiſterent. Rebus igitur ad hunc modum habentibus Herodes tertio imperij Caligulæ anno, ægre exilio ſolutus, Chalcidi quæ Syriæ eſt ciuitas, Toparcha præficitur, deinde & in regni partem cum Agrippa admiſſus, nec moribus melior factus nec animo, ad priorem uæſaniam rediijt,

multaq́; ſuperbe, inſolenter & tyrannice ab eo commiſſa, in ſummam hominem indignationem præcipitarunt. Impie ille & atrociter Iacobum Ioannis fratrem capite plexit. Petrũ Apoſtolum in uincula conie cit, ultorio animo aduerſum noſtros uſq; ad uitæ exitum ſæuijt. Porrò Claudius imperator factus, regnũ Agrippæ confirmatum auxit, addita ea parte regni, quæ auo Herodi in Iudæa Samariaq́; paruerat. Ad hæc Hieroſolymorum muniendorum ius impetrauit, quod alijs plerunq; magno conſtitit: nõ licebat enim prouincialibus, aut diruta illorum armis loca reſtaurare aut afflicta munire, niſi id demum principi placuiſſet. Neq; dubium erat, quin eam urbem muro à fundamentis circunducto inexpugnabilem reddidiſſet, niſi cœpti operis magnitudine, in ſuſpicionem rebellionis adductus imperator, deſiſtere Agrippam cœpto iuſsiſſet: idipſum diuina haud dubie prouidentia ordinante, quæ certo propoſito urbem illam ſubuerti non muniri uoluit. Quum igitur ad quartum uſque Claudij annum Agrippa regnaſſet, graui morbo correptus haud multo poſt, Cæſareæ mortem obijt, anno ætatis quinquageſimoquarto, regni ſeptimo, unico filio Agrippa relicto, qui tum Romæ apud Claudium liberaliter educabatur, & ætatis annum decimumſeptimum non exceſſerat: quem ſtatim à funere parenti ſurrogare Claudio molienti, amici obſtiterunt, teneriorem

Agrippa iunior.

Actorũ. 12. Luc. 19.

riorem illum per ætatem arbitrati, quàm ut regno tot obnoxio rebellionibus, ſufficere uideretur. Miſſus igitur Cuſpius Fadus ad gubernandum donec ille adoleſceret. Nec multo poſt (quoniam ita Claudio placuiſſet) per Felicem Pallãtis fratrem in regnum inſtituitur amplum quidem illud, ſed paterno arctius: Iudæam enim regno ſubtractam Claudius, & poſt eum Nero nulla euidenti cauſſa, equitibus Romanis & Libertis eius permiſerunt. Felix autẽ homo ſordidus auarusq́; & qui pecuniam à captiuo etiã Paulo ſperabat, Druſillam Iudæam Cleopatræ & Antonij neptem matrimonio ſibi iunxerat: unde fidentior factus, maxime autem q̃ cõiugem ſuam Claudio Cæſari ſanguine propinquam ſciret, per omnem ſæuitiam & libidinem ius regiũ in prouincia ſeruili ingenio exercuit. Sed cum Claudij obitu pariter ille ſuo honore defunctus, & ſub Nerone minus tum perdito maloq́; q̃ poſtea fuit, deiectus magiſtratu ſucceſſorem habuit Feſtum Portium procuratorem, qui uſq; ad Veſpaſianorum ductum & Iudaici belli initia durauit. Felicis & Feſti etiam Lucas in Actis meminit, coram quibus utcunq; integris Paulus uel ex catenis cauſſam dicere non eſt ueritus. Cæterum quum uideret quanto Iudæorũ odio premeretur nulla iuſta cauſſa, ſed obtentu tantum religionis abrogatæ, quæ tamen ob uetuſtatem & legis authoritatem, & (quæ præſentiſſima peſtis eſt ue

Acto. 23. 24.

Felix.

Acto. 24.

Feſtus.

Acto. 23. 24. 25. 26.

ritatis) multis ſæculis deducta conſuetudine fucũ im prudentibus, & ignaris VERITATIS *faceret, ſatius duxit, ſpiritu id ſancto ſuggerente, Cæſarem quantumuis malum & impium, ſed* Iudæis *tamen iniqua molientibus non fauentem appellare, quàm contaminatis & uenalibus iudicijs (quãdo ſemel de ſcripto & lege controuerti cœptum eſſet) arbitrium* Iudaiſmi *permittere.* Atqui *inquis, &* Romæ *damnatus eſt* Paulus*, quid illi igitur prouocatio contulit? incidit in Scyllam cupiens uitare Charybdim.* Damnatus *eſt fateor, ſed placuiſſe prouidentiæ uideo, ut &* Paulo *doctore non* Romæ *ſolum, ſed & in* Gentibus *quas ante* Chriſtum *docuerat, doctrina* Euangelij *confirmaretur, quod ſanè magna acceßione pietatis factũ, ante diximus.* Ad *hæc non legimus* Paulum *ut apoſtatam (qualem inſimulabãt* Iudæi*) neq; ea cauſſa uelut* Iudaiſmi *uiolati reum, ſed ut* Chriſti *præconẽ & gentilium deorũ ſpretorem corona martyrij inſignitum eſſe.* Cæterum *quoniam in* Præſidum *& prouocationis mentionem incidimus, commodũ duximus & hoc adnotare de grauioribus caußis præfectos prouinciarum cognoſcere ſolitos fuiſſe, ita tamen ut* Appellationi *interdum locus cederetur.* Herodis *autem accuſatio (ne quid aliud teſtimonij afferamus) quam contra filios coram* Saturnino *habuit, palàm indicat multis locis, ne reges quidẽ ordinariæ ditioni præſidum*

exemptos

Vt enim Paulus teſtificatus eſt Hieroſolymis de Chriſto, ſic eum et Rome oportuit teſtificari. Actorum. 23. Dixit namque ei: feſtina et exi uelociter Hieroſolymis, quoniam teſtimonium eius de Chriſto non eſſent recepturi. ad quem ſcilicet Paulum dixit: Vade, quoniam ego ad gentes procul mittam te. Actorum ca. 22.

exemptos adeo fuiſſe, quin ad illos cauſſarum maxime criminalium cognitio pertineret. Interdum autem rei ad urbem cum Elogio mittebantur, id eſt, cum teſtificatione criminis ſcripto comprehenſa: ſæpe & in prouincia pœnas dabant, Elogio, ſeu, ut ſic dicã, indice criminis cõmißi, cuius ergô damnati eßẽt, promulgato. Quem morẽ multis in locis ex ueteri cõſuetudine ductũ, hodieq; durare uidemus. Eam rem ferè ueteres Elogij uoce ſignificabant, ad quem modũ & Tertullianus libro de Reſurrectione carnis, Concupiſcentia, inquit, totum hominem Elogio tranſgreßionis inſcripſit. Et Ammianus libro decimoquarto de Gallo Cæſare locutus. Deniq;, inquit, Antiochiæ ordinis uerendi duces ſub uno Elogio iußit occidi. Et de Caligula Suetonius. Tres, inquit, gladios in necem ſuam paratos Marti ultori conſecrauit, addito Elogio, hoc eſt inſcriptione, de qualitate facti teſtificante. Tale & Pilati præſidis Elogium fuiſſe uidetur quod ſuper caput crucifixi domini poſuit: nam & Matthæus 27. capite, Et impoſuerũt, inquit, ſuper caput eius cauſſam ipſius ſcriptam, id eſt, crimen uidelicet commiſſum, cuius cauſſa in crucẽ eſſet actus. Porrò triplici illud lingua ſcriptum erat, nimirum uulgandi illius conſilio, quoniam præter frequẽtiam populi qui ad feſtũ undique pro more confluxerat, in prouincia & Græci & Latini, & qui indigenæ erant, Hebræi uerſaren-

Titulus cruci Chriſti affixus.

tur. Hoc ipſum & Iudæorum uerba conuincunt, ad Pilatum Ioannis 19. Noli ſcribere, Rex Iudæorum, ſed quod ille dixerit, Rex ſum Iudæorũ: uelut innuentes conſtare Pilato, quod hac maxime cauſſa eſſet crucifixus. Notius autẽ eſt, quàm ut egeat explicatione, Elogium in bonam partem acceptum, & rerum præclare geſtarum fuiſſe. Quanquam haud indignus annotatu eſt locus ille Capitolini in uita Gordiani iunioris, ubi tradit Gordiano in Syria tumulum extructũ, Elogio Græcis, Latinis, Perſicis, Iudaicis, & Aegyptijs literis inſculpto ornatum fuiſſe, nimirum ut laus tanti principis ad multorum notitiã perueniret. Porrò neq; maius neq; certius ullum innocentiæ Chriſti dari teſtimonium potuit, quàm quod aduerſarij criminis loco intendiſſent: quod tamen reipſa non crimen, ſed de prophetia depromptum ueritatis præconium erat. Longe ante Zacharias iſtud per ſpiritum uiderat, Ecce rex tuus uenit tibi manſuetus ſedens ſuper aſinam. Sic & Caiphas Chriſtum uafro conſilio perditurus, incarnationis eius myſterium enuntiat, melius eſſe aſſerens unum hominem mori, quàm perire totam gentem. O uerendam illam cœleſtiũ rerum certitudinẽ: adeóne incõcuſſa PROVIDENTIAE decreta ſunt, ut illis impij etiam & inuiti, nolentes tamen ſuffragentur? Sed reuertendum nobis ad inſtitutum eſt, & de Præſidum quidem poteſtate iam dictũ, nunc

Zachia. 9. Matth. 21. Ioan. 12. Hesaie. 62. Ioan. 11.

nunc reliqua reddemus. Herodes iunior haud ita multo ante Felicem Iudæã adminiſtrãtem, eo morbo quo pater perierat captus, & ipſe uentre uermibus eroſo perijt, authore Luca Act. duodecimo. Neq; exiſtimandum eſt, id genus morbos de naturæ lege profectos, ſed diuina magis ultione immiſſos fuiſſe, cum alios quoq; hac plaga legamus de medio ſublatos tyrãnos, qui innocentem Chriſtianorum ſanguinem fudiſſent. Galerium enim Maximianum, qui cum Chloro Conſtantini patre imperium tenuit, uermibus præcordia rodentibus, & ſub uitæ exitum etiam eructatis miſere interijſſe, Eutropius uicinus Conſtantini temporibus author prodidit. Et Lætus Pomponius in Chloro Imperatore idem referens, Incidit, inquit, in morbum: ulcus inguinibus innatum uirilia exedit, marceſcente tota illa corporis parte uermes pullularunt, remedia deerant: medici deſperauere, &c. Et pauló infra. Ex eo, inquit, morbo perijt, homo gloria rei militaris illuſtris, uerũ ſæuitia in Chriſtianos crudelis, unde fœdũ exitũ habuiſſe creditus eſt. Hactenus Lætus, alibi teſtatus, ipſum met Galerium ſuſpicatum fuiſſe, hoc ſe morbi genere correptum, quod licentius Chriſtianos eſſet perſecutus. Qua de re, uelut pœnitens, decreta in horum necem publicata reuocarit, & accerſiri Chriſtianos iuſſerit, qui pro ſalute principis orarent. Agrippa autem deductus à Felice, quum Paneadem,

Herodis iunioris mors

Vide li. 2. Machabeorum ca. 9. de Antiocho. Ut patet de Nigellio Saturnino qui Christianos Carthagini persequutus fuerit. [illegible] Item de Claudio [illegible] lege Tertullianum ad Scapulam.

Agrippa iunior.

Adeo nemo uenit ad Christum nisi quem pater traxerit. Ioan. 6. Contemptim ad eos per ironiam loquitur Agrippa hoc contra spiritualissimum huius sermone Pauli quum ait. Modica ex parte persuadeo mihi ut fiam Christianus. Actorum. ca. 26.

Bathanæam, Trachonitida & Abilenen *Lyſaniæ*, *nobiles* Tetrarchias *accepiſſet*, *uxore* Berenice *ducta*, *regno uſq; ad tempus ſubuerſionis* Hieroſolymorum *præfuit*. Hic *eſt* Agrippa *iunior dictus*, *qui apud* Lucam Pauli *ſe ſermone tactum ſimulat*, *ut* Chriſtianus *fieret*. Eiuſq; *oratio illa eſt*, *quam* Ioſephus *libro de* Bello Iudaico *ſecundo retulit*, *qua Iudæis ſuadere eſt conatus*, *ne inuictæ ſe* Romanorum *potentiæ opponerent*, *cuius* & Egeſippus Ioſephi *abbreuiator libro ſecundo meminit*. Memorandum *autem ac ſtupendum etiam*, *Antipatri proſapiam tot dignitatis* & *potentiæ gradibus in ſublime euectam*, *uniuerſam intra ſpatium annorum quinquaginta poſt mortem* Chriſti *ſublatam fuiſſe*. Verum *eſt illud* Claudiani, *Tolluntur in altum*, *ut lapſu grauiore ruant*. Nec *diuturna ſolent eſſe imperia ſcelere quæſita*. Porrò *regno exutis illis*, *quum exciſa iacerent* Hieroſolyma, *omniſq; dignitas* Iudaica *interiſſet*, *quod reliquum ditionis erat*, *totum id* Romanis *ceßit*. Hæc *de* Antipatro & *poſteris qua potuimus breuitate*, *ex* Strabone, Cornelio Tacito, Ioſepho, Egeſippo, Euſebio & Hieronymo *decerpſimus*, *ad quos uberiorem harum rerum hiſtoriam deſiderantes remittimus*.

IVDAEA.

IVdæa ſequitur longe celeberrima quondam Palæſtinæ pars, neq; hodie à ueteri illa terrarum fertilitate, quanquam aliæ gentes colunt, degener. Meridie & Occaſu Idumææ miſcetur, propemodum incerto limite, propter ſedem ueterum populorum ſubinde uariatam. Nec eſt uerius Iudæa, quàm in ipſo meditullio inter mare Mediterraneum & Aſphaltiten lacum, ubi & potiſsimis locis culta eſt: contra Septentrionem trans Ioppen maritimam & mediterraneam Hierichuntem, præterea & trãs Iordanẽ uſq; ad montana, quæ Petream Arabiã excipiunt, protenſa eſt. Nomen ei potiſsima tribus Iuda indidit, & ab Occaſu quidem Ortũ uerſus dimenſione ſumpta pauló eſt longior quàm ſit lata. Ioppe oppido à Bethleem non amplius XLVI. millium paſſuum interuallo diſtante, quemadmodum diuus Hieronymus uetus eius terræ incola prodidit. Conſtat autem Arabicas ſolitudines proxime agrum Bethleemiticũ incipere. At qua parte Iordanem tranſit, etiam Plinio, ſi Hermolaum audimus, Peræa dicta eſt, id eſt, trans amnem poſita. Qua uoce & terra quæ trans Euphratem eſt Straboni dicitur. Quemadmodum Trãſtigritani Marcellino qui trans Tigrim ſunt, & Tranſdanuuiani ueteribus, ut nobis hodieq; qui trans Rhenum ſunt Tranſrhenani dicuntur. Citatur & Matthæi locus 4. capite, Secutæ

Iudæa trãs Iordanem.

ſunt eum turbæ de Galilæa, Decapoli, Hieroſolymis, Iudæa & Tranſiordane, πέραν τοῦ Ιορδάνου, quod Eraſmus, à regionibus trans Iordanem ſitis, tranſtulit. Porrò & Ioſephū & Egeſippum eo uocabulo uſos eſſe, ipſi interpretes teſtantur. Et Plinius lib. 5. in Parallelorū digeſtione citeriorem Iudæā nominat, ut & ulteriorē uelut amne diuiſam intelligere opus habeamus. Loca Iudææ oppidaq; plurima quondam ut reliquæ quoq; Palæſtinæ: nec enim ullorū in ſcripturis aut crebrior eſt aut ſacratior memoria: terrā promiſſionis præſertim resq; in ea geſtas contemplantibus. Sed omniū longe clariſſimū Hieroſolyma fuit in medio Iudææ ſitū, & umbilici inſtar habitū, tantoq; alijs cunctis ſublimius, quanto Iudæa cæteris Palæſtinæ partibus celebrior extitit. Ipſe Hieronymus occaſione ſitus, ut arbitror, non Iudææ ſolum, ſed & terrarū circunquaq; iacentiū mediam eam eſſe tradidit, locum Ezechiel. 5. cap. In medio gentiū poſui eam, &c. & Pſal. 73. Operatus eſt ſalutē in medio terræ, &c. ad eū modum interpretans, ut orientalem illi Aſiam, occidentalem Europā, à Meridie & Auſtro Libyam & Africā, à Septentrione Scythas, Armenos, Perſas, & reliquas Ponti nationes fecerit. Quæ ratio medij tametſi ad excuſſam dimenſionis normam non admodum quadrat, tamen, quoniam Ezechiel gentium meminit quæ Palæſtinæ circūfunduntur, nec facile locū alium

Hieroſolyma.

dederis

dederis ex quo in omnes terræ partes aut expeditior
aut cõmodior eſſe tranſitus poſſet, profecto non mo=
do non abſurda Hieronymi ſententia, ſed ad natiuum
ſenſum explicandum idonea, & prophetico maxime
ſermoni congrua eſt. Quod ad nominis rationem atti=
net, tradit idem author libro de locis Hebraicis Hiero
ſolyma initio Adonibezeth tenuiſſe, inde Iebuſæos à
quibus Iebus dicta, q̄bus pulſis Dauid multo poſt tem=
pore totius eam Iudææ prouinciæ metropolim fabri= 2. Samuel. 5. 24.
catus ſit, & locum templo emerit & impenſas ſtru= 1. Chron. 21.
cturæ Salomoni filio reliquerit. Ioſephus lib. VII. bel 2. Chron. 22. 28. 29.
li Iudaici à Melchiſedech eam conditam, dein à Daui=
de primum omnium Hieroſolyma nuncupatam fuiſſe
affirmat. Vtcunq; uerò illa habeant, dubitari non po=
teſt uarie eam per initia (ut aſſolet in fundandis urbi
bus) exædificatam, neq; tanti temporis decurſu, toties
captam, direptam, dirutamq́;, eandem faciem ſeruare
potuiſſe. Quantum autem ueterum ſcriptorũ lectio=
ne collegimus, exiſtimamus eam urbem nullo unquã
tempore ornatiorem munitioremúe fuiſſe quàm quo
lux illa cœleſtis Ieſus Chriſtus Dominus noſter in or=
bem natus eſt. Quod ipſum partim ex Plinio, qui poſt
euerſam Hieroſolymam ſub authoribus excidij Veſ=
paſianis ſcripſit, deprehendimus clariſsimam eam ur
bium Orientis fuiſſe, teſtante, partim & ex Tacito
qui famoſam eam fuiſſe tradit, ſed præcipue ex Ioſe=

pho, ſitum Hieroſolymorum ſingulari diligentia complexo, edocti. Tacitus lib. XXI. ubi de bello Iudaico. Vrbem, inquit, arduam ſitu opera moleſq; firmauerant, quîs uel plana ſatis munirentur. Nam duos colles in immenſum æditos claudebant muri per artem obliqui, aut introrſus ſinuati, ut latera oppugnantium ad ictus pateſcerent. Extrema rupis abrupta, & turres, ubi mons iuuiſſet, in ſexaginta pedes, inter deuexa in centenos quaq; attollebantur, mira ſpecie & procul intuentibus pares. Alia intus mœnia regiæ circūiecta, conſpicuoq; faſtigio turris Antonia in honorem Antonij ab Herode appellata. Templum in modū arcis proprijq; muri labore & opera ante alios: ipſæ porticus quîs templum ambiebatur egregium propugnaculum: fons perennis aquæ, cauati ſub terra montes, & piſcinæ, ciſternæq; ſeruandis imbribus. Hucuſq; Tacitus. Ex cuius deſcriptione facile intelligitur quod perquàm obuium eſt in ſacris literis, aſcendere Hieroſolymam, referentibus qui alijs è locis eò eſſent profecti. Contrà uerò, deſcendere qui Hieroſolymis eſſent digreſſi, nimirum propter arduum urbis ſitum. Ambitus eius triginta ſtadiorum fuit, & pro ædificiorum augmento populiq; frequentia ad triplicem murū creuerat, quorum extremus nonaginta turribus prominebat: unde ueriſſimum eſſe arbitror quod Tacitus refert initio obſidionis omnis ætatis ſexuſq; ducenta millia

Templum.

Vt Marci. 10. Luce. 18. Ecce adſcendimus Hieroſolymam. Luce. 2. Quum factus eſſet puer annorum duodecim adſcendentibus illis Hieroſolymam. Actorum. 25. Feſtus ergo ſuſcepta prouincia post triduum adſcendit Hieroſolymam ab urbe Cæſarea.

Luc. 2. 10. Acto. 24.

lia hominũ Hieroſolymis fuiße. Ioſephus hiſtoriæ Iudaicæ locupletißimus teſtis, Antoniam, ait, non turrim modo ut Tacitus, ſed arcis inſtar propugnaculũ fuiſſe, haud longe à templo ſitum, quod poſtea Romanus miles præſidio impoſito munierit, feſtis maxime diebus excubante, ne quid Iudæorum cœtus rerum nouarum, pro gentis obſtinatia, moliretur. Porrò nõ hic ſolum quanquã munitißimo ædificio, ſed & aliјs itidem ingentibus ſtructuris urbẽ Herodes exornauerat, quarum præcipuũ atriũ illud fuit, tanta elegantia & magnificentia conditum, ut ſcribenti ſibi caſum urbis lachrymas obortas fuiſſe, Ioſephus faſſus ſit, quũ ruinæ eius recordaretur. Puto aũt illud fuiſſe in quod Chriſtus ad Herodem Tetrarcham ductus eſt. Lõgum eßet amplißimas Pontificum domos, & Præſidum prouinciæ ædes quæ Prætoria dicebantur, enumerare: prætetrea fora, tribunaliaq; & Lithoſtratũ illud ſublime, in quo Pilatus iudicis officio functurus, conſedit, quando de Chriſto ſalutari noſtro ad crucem figendo pronuntiauit, Ioan. XIX. Tradit Ioſephus & Helenæ illi Adiabenorũ reginæ proſelytæ magnificas ædes Hieroſolymæ fuiſſe ad radicem montis appoſitas, & extra urbem ei uita defunctæ, Mauſoleum poſitũ fuiſſe, quod eam urbẽ aliquando famæ laborantẽ eximia ſua liberalitate iuuiſſet. Sed & fontẽ cuius Tacitus meminit, Ioſephus Silohã uocat: unde piſcinæ quoq; cuius

Domus Herodis.

Luc. 23.

Lithoſtratum.

Silohæ fons.

Ioann.IX. capite meminit nomen fuiſſe ueroſimile eſt. Plures autem in urbe piſcinas fuiſſe, præter Tacitum etiam Neemias retulit, ob aquarum ſcilicet copiam, quæ uberrima Hieroſolymæ fuit, Strabone teſte, quum totus tamen ciuitati adiacens ager undis careret. Ioan. quinto cap. Bethſedam nominat celebrem piſcinam, quæ & Probatica dicta eſt, ἀπὸ τοῦ προβάτου, quoniã morem haberent ſacerdotes in ea oues litandas abluendi. Mons Oliuarum proximus urbi imminebat, prope medius profunda ualle fiſſus, qua torrens ille Cedron memoratus Euangeliſtis pfluit. Adeò autem mœnibus uicinus erat, ut in fatali illa obſidione Titus, Veſpaſiani filius, Iudæos fame cõfecturus cũ murum ingenti opere circum urbem duceret, partem etiam montis Olíueti complexus fuerit, teſte Ioſepho. Nec illud quidem tacendum, ornatiſsimas quaſq; Hieroſolymorum ſtructuras ferè candidi marmoris fuiſſe, nec ea ætate Iudæis opes defuiſſe, quæ id genus ſumptibus ſufficerent. Huius urbis tam ornatæ, tam amplæ, tam florentis, Chriſtus uicem doluit, Chriſtus inquam qui ad ſeruandum ſanandumq; aduenerat: & fleuit ſuper ea, quòd propediem in manus Gentium eſſet uentura, quæ ſolo ipſam æquarent, nec relicturæ eſſent lapidem ſuper lapide, eò quòd diem uiſitationis ſuæ non intellexiſſet, Lucæ IX. Secundo enim anno imperij Veſpaſiani, circiter annum à mortuo Chriſto quadra

Bethſeda. Probatica. Piſcina. Mons Oliueti. Cedron.

quadrageſimum, gemina æſtate, Hieroſolyma, obſeſſa, capta, & in cineres redacta eſt, hominum omnis ætatis & generis eo bello intra & extra urbem ſexcentenis milibus uario caſu extinctis & mortuis. Belli cauſſam Suetonius & Tacitus rebellionem Iudæorũ fuiſſe tradunt, ſed inde natam quòd antiquis ſacerdotum literis contineri palàm ferebatur, eo ipſo tempore fore ut ualeſceret Oriens, profectiq; Iudæa rerum potirentur, quòd ipſum in ſe transferentes Iudæi, imperij iugum excuſſerant. Cornelius Tacitus pari leuitate inuolucrum huius prophetiæ ad Veſpaſianum & Titum retulit. Cum citra controuerſiam prophetiæ de regno illo ſpiritali fidei & redemptionis per Chriſtum, quod ex Iudæa in uniuerſum orbem uenturum eſſet, canerent, à pauperibus illis ſeruis Domini nuper à piſcatura ad munus Euangelij uocatis, non armis, non fœderum nexu, non opum & honoris fiducia, ſed humilitate, uirtute, panoplia militiæ ſpiritualis, doctrinaq; & exemplo, inaudito omnibus ſæculis uictoriæ genere ultra limites etiam Romani imperij tum omnium toto orbe maximi, propagarunt. Video autem conſtare apud receptos authores Hieroſolyma eo ipſo die inuaſa & capta, quo antè Babylonij cœpiſſent, annis ab Antiochi captiuitate (de quã mox dicemus) CCXXXIX. à ſecunda autẽ ædificatione templi quæ ſecundo anno Darij facta eſt,

Matth. 4.
Marc. 1.
Luc. 5.

annis D.XCI. à prima Salomonis extructiōe M.C.II. annis. Titus tanto rerum ſucceſſu urbem cœpit, ut palàm ipſe fateretur numinis ſe fauore adiuuari. Adeo nihil eſt tam firmum & potens, nihil tam forte & munitum quod caſurum non ſit, ubi ille, in cuius manu omnia exiſtunt, decreuerit. Fata uiam inueniunt. Nec illud quidem paruum inflictæ ultionis argumentum, quod cum Aelius Adrianus imperator, annis fermè quiquaginta poſt ſubuerſionem à Veſpaſianis factam, Iudæos intra rudera habitare, & iacentem in fauillis urbem, utcunq; ſtructis ædificijs excitare permiſiſſet, adeò ut præteritum urbis caſum rebus proſperrime cedentibus, liberalitas & munificentia principis, qui de ſuo nomine Aeliam uocaſſet, reſarctura uideretur. Repente tamen natum apud principem conſiliū, omnia grauiſſimo caſu proſtrauit. Nam dum diuerſa ille religione decreta, Ioui templum iuxta ponit, dum ſuorum deorū imagines erigit, dum peregrinis ſacris honorat, poſtremo & genitalia præcidere Iudæos uetat, tumultibus primū excitatis, mox rebellione facta bellum exortū eſt, in quo (ſi Dioni credimus) non Aelia ſolū ſed uniuerſa etiā Iudæa ad internecionē uſq; uaſtata eſt, quinquaginta milibus uirorū qui aut prælijs aut excurſionibus interierant, deſyderatis. Eutropius author eſt poſtea Chriſtianis relictā eam, qui incolerēt. Certum aūt quantumuis afflictam, Conſtantino imperante

rante rurſum nõ modica hominũ frequentia habitari cœptam. Vnde Hieronymus ad Paulinũ ſcribens ætate ſua celebrẽ & uniuerſi generis hominũ toto orbe concurrentiũ plenam, & Aeliam dictam fuiſſe, prodidit. Frequentem fecerant tranquilla tempora, & quies à perſecutionibus, maiorq; ſecuritas eccleſiarũ, quam ſanctorũ locorum fama in Syriam & Iudæã illexerat, neq; deerat cõmunibus uotis principũ fauor. Quanquã ne ſic quidẽ honos loco manſit, nec tuta ab exteris fuere quæ multis iam annis cõualuerant. Perſæ enim Coſrhoæ regis auſpicijs Iudæam ingreßi, urbem illã, ingenti hominũ ſtrage facta, & Epiſcopo Zacharia capto, diripuere, Heraclio imperante, annis poſt natũ Chriſtum ſexcentis & nouem, poſt Hieronymi mortem centum octuagintaſeptem. Satis conſtat ea incurſione Iudæorum manum, quæ ſe cum Perſis coniunxerat, non parũ damni noſtris intuliſſe. Ad extremum Vrbanus II. urbis Romæ Pontifex, quem Petri cuiuſdam Heremitæ querelæ commouerant, Concilio in Gallijs habito, repetendæ illius author fuit. Quo tempore Galliarum & Germaniæ principes flebili Vrbani oratione perſuaſi, ualidißimo exercitu comparato, non Hieroſolyma ſolum, ſed iuſtam etiam Syriæ partem Saracenis ereptam, regno Hieroſolymorum recens inſtituto ſubdiderunt, Anno à Chriſto nato M. XC. IX. Durauit regnum aduſq; Ruodolfi

Auindſpurgij Rom. regis mortem, annis paulò minus ducentis: dubium maiore ne clade amiſsum an retentum. Certe nec pactis, nec fœderibus unquam ſtetere partes, & mos quidam inoleuerat Crucis (ut aiebãt) prædicandæ, qua ſignati milites, plerunq; noſtros maiori damno quàm hoſtes afficiebant, grauiſsimis alicubi eo prætextu motibus excitatis. Sed & conatus principum haud dubie pius candidusq́;, parum proſperis ſucceſsibus excipiebatur, neq; ulla uictoria illis incruenta ſtetit, quanquam tolerabile iſtud quidẽ fuiſſet ſi perpetuum: & ſi non oleum (quod dicitur) & operam perdidiſsemus, poſt tantorum principum clades, toties noſtris fuſis fugatisq́; tota demum Syria amiſſa. Quam retineri in fide potuiſſe, ſunt qui tradũt, modo concordem per initia conatum noſtrorum, auaritia & ambitio quorundam non turbaſſet.

TEMPLVM.

Templum.

COmmodum mihi uiſum, & de templo ſeorſim dicere, quod ipſum quanquam ſæpe antea ſpoliatum, immenſæ tamen opulentiæ fuiſſe antequam exſcinderetur Cornelius Tacitus prodidit. Condiderat illud initio Salomon quadringentis octuaginta annis poſt Iudæorum ex Aegypto migrationem, ut tertio libro Regum legitur. Neq; aliud ullum magnificentiæ operis & impenſarum regalium

certius

Nota di Templo Solomonis

certius indicium, quàm quod ſacræ literæ teſtantur, plus centum quinquaginta millium hominum opere, ſeptimo demum anno ad finem perductum eſſe, ut mirum non ſit famam illius toto terrarum orbe increbuiſſe. Poſitum tradunt in ædito & conſpicuo colle, non ſuapte modo natura, ſed & arte munito. Veriſimile autem tum maxime ut muniretur curaſſe Iudæos cum iam Babylonij uaſtaſſent, & rurſus poſt ſolutum exilium reſtauraretur. Quum oppugnaret Pompeius ingenti foſſa & firmis mœnibus cingebatur, quæ res in cauſſa fuit, ut tertio primum menſe, nec niſi obſeruato ieiunij die caperet. Tradit autem Ezdras, ſeniores quoſdam ex Iudæis cum inſtauratum ab exilio intuiti eſſent, plorare cœpiſſe, prioris templi memoria, cui ſecundaria illa ſtructura non reſponderet: citra controuerſiam enim & ſplendidiſſimum & pulcherrimum fuit quod Salomon, ut erat à parente iuſſus, extruxit. Cæterum ut regibus Iudæorum poſt Dauidem & Salomonem res aduerſæ frequenter acciderunt, ob neglectum uiui dei cultum, ita neq; Templo unquã ſua religio & dignitas illæſa permanſit, poſtquam aras illi peregrinas excelſaq; & lucos frequentare, præterea templum (quod miremur) contemptis legis ceremonijs claudere, & Gentilium ſe ſacrorum uanitate conſpurcare cœpiſſent. Nec in pœnam ſolum & uindictam diuinæ iuſtitiæ irrogata illi genti affli-

2. Re. 25.
2. Chro. 26.
Esra. 3. 5. 6.
Ioan. 2.
Esra. 3.
Ploratio Sudeorum
2. Chron. 22. 28. 29.

ctio eſt, ſed & in admonitionem, ut neq; regno neque templo, figuris nimirum & umbris rerum tribuerẽt, ſed ad altiora intenderẽt animas, finemq; inquirerẽt, cuius gratia illa fuiſſent introducta. Id quidem adeo *diſerte per prophetas egit, ut palàm innueret ne legem quidem tanta comminatione promulgatam, bonam ſe dediſſe, nec placere hircorum & taurorũ ſanguinem, &c.* Hinc *illa eſt rerum caſuumq; in regum & ſacerdotum hiſtoria uarietas.* Regnum *toties inuaſum, demum & translatum.* Templum *tot modis ſpoliatum, incenſum, reſtauratũ, rurſus ſpoliatum.* In *qua tamen uiciſsitudine afflictionum nihil horum ſic in totum ſublatum aut ſubuerſum eſt, quin ad præſcriptum per prophetas finẽ ſuum peruenerit, Legi durandum erat ad* Ioannem, Templo *ad mortem Chriſti, & ſolutum illud in cruce templum triduoq; reædificatũ.* Sed *& regnum tum primum* Iudæis *in totum ereptũ eſt, quũ ille ueniret qui erat mittendus.* Nos *hoc loco paucis & qui templũ inuaſerint, & qui inſtaurarint cenſebimus.* Primum, *poſt diuiſum Iudæis à morte Salomonis regnum,* Seſach, *quem* Suſſachum Ioſephus *nominat,* Aegypti *rex & amicus* Hieroboam: *quippe qui profugum in aulam ſuam recepiſſet, poſt captam* Hieroſolymam *ipſum etiam* Templum *ſpoliauit.* In*de grauibus inimicitijs inter* Iſraëlem & Iudam *enatis,* Ioas *rex* Iſraëlis *Amaſia deuicto non urbem modo cepit,*

cepit,ſpoliato templo,ſed & theſauros regios abſtu- 2. Re. 14.
lit. Nec *externis modo, ſed domeſticis etiam regibus*
ad prædam patuit. Achaz *Iudæ princeps impius ho-*
mo,& regnandi gloria elatus,quo regem Aſſyrium 2. Regū. 16.
Teglatphalaſſar *tum Syriā populantem, contra Pha*
ceen Iſraëlis *regem concitare, & ſuarum partium fa-*
cere poſſet, quicquid potuit pecuniarum corradens,
ne Templo *quidem pepercit, quanquam eluſo conſi-*
lio. Simile quiddam & de Ezechia Iud*æorum rege*
ſcriptura prodidit,ſed pio & deo charo principi iu-
ſtiſsima facti cauſſa fuit. Maluit *hic pecuniam quàm* 2. Regū. 18.
urbem perdere, nec ultionem quæſiuit ut Achaz,*ſed*
liberationem, & caducæ rei diſpendio ſaluti multo-
rum conſuluit.Sed & hoſtis potentia elatus,quum da 2. Re. 18. 19
tam Ezechiæ *fidem uiolaſſet,diuina ultione repreſſus* 2. Chro. 32.
*eſt.*V*tinam noſtri iam olim* Ezechiæ *conſilio in Sar-* Heſaiæ. 36. 37.
racenos et Turcas *eſſent uſi,aurumq; quod in perſun* 2. Re. 20.
ctorias illas expeditiones profuſum eſt, hoſti datum, Eccleſi. 48.
& pactis redempta pax eſſet (quod illuſtrem Sena- Tobiæ. 1.
*tum reipub.*V*enetæ aliquoties feciſſe legimus) pro-*
fecto melius haberēt res Chriſtianorū Orientis,*q̄ per*
petuo illo belligerādi more hactenus habuerint.Præ-
clare enim Cyrus *ille* Alexādrinæ *urbis ſub* Heraclio
Imperatore *epiſcopus,qui quum armata manu immi-*
nere Aegypto *Sarracenos uideret, neq; ullā ſpem ha*
beret in Heraclij *ope, ignauius tum ut tempora fere-*

bant agente, optimum ratus cum gente ~~pacifici~~ ad prædam nata, annuum eis tributum aliquot millium promittit. Hoſtis conditione accepta toto triennio Aegypto abſtinuit. Demum delatus apud Heraclium Cyrus, ut qui Aegypti opes in hoſtem transferret, Manuelem quendã Armenium ſucceſſorem accipit, quo tributum negante, continuo Aegyptum Sarraceni occupant. Imperator pœnitentia ductus, Cyrum mittit oratum Sarracenos, ut finibus excedere annuumq; ut hic ante dediſſet tributum accipere uelint. Tum quidam ex Sarracenis ingentem quandam columnam digito oſtentans, Putás ne, inquit, Cyre fieri poſſe, ut hanc columnam deuores? Quo fieri poſſe negante, Tam (inquit ille) difficile eſt factu ut deinceps nos Aegypto excedamus. Ita ſæpe noſtris obfuit temeritas. Contrà fides ſeruata hoſti, & , quæ eximium Chriſtianiſmi ornamentum eſt, mãſuetudo ſæpiſsime profuit. Eſt & ſub Ioachimo rege ſpoliatum templũ, & mox paulò Sedechia capto, incenſum & dirutum, annis quadringentis quadragintaduobus poſtquam à Salomone eſſet conditum, eo fermè tempore quo Tarquinius Priſcus Romæ regnauit, annis ante natum Saluatorem paulò minus ſexcentis. Inde reſtauratum, Vagoſes Artaxerſis illius, cui Ocho cognomen fuit Præfectus, uiolauit, teſtibus Ioſepho & Euſebio. Mirum autem ab Alexandri poſteris, Ptolemæis uidelicet & Anti-

Antigonis, adeo indignis modis tractari Iudæorum religionem potuiſſe, quum ipſe tamen Alexãder Syriã cum exercitu ingreſſus, non urbi ſolũ Hieroſolymæ, ſed & Templo honorem habuerit, neq; ab immolando pro legis ritu abhorruerit, et Andromachũ in Aegyptum moturus tutorem dederit. Contrà, illo mortuo, Ptolemæus Lagi filius, qui primus inter eius duces Aegypto præfuit, fœde prophanaſſe Templum legitur. Sed omnium inſolentiam Antiochus uicit Aſiæ rex, qui Epiphanes, id eſt, illuſtris cognominatus, quũ Senatus authoritate Aegypto cedere iuſſus eſſet, Iudæam ingreſſus, Templum ſpoliat, uaſa cõflat, Iudæos ad idolorum cultum adactos, qui parere nollent occidit. Samaritis ut Iouis ædem in monte conderent, author fuit. Deniq; à ſacris ſuis in totũ coërcitis Iudæis, aram extruxit, & ſuper ea porcos immolauit. Adeo nullũ ſuperfuit contumeliæ genus, quod Deus illorum idololatriæ, uelut talionem redditurus, non immiſerit. Haud obſcure enim diuus Auguſtinus libro 18. de Ciuitate Dei indicat, Iudæorum cultum ab eo tempore quo prophetæ apud illos eſſe deſijſſent, quotidie in deterius collapſum elanguiſſe. Quanquam autem eſſent ex omni numero magni quidam heroës, qui Templi populiq; religionem ſaluam cuperent, & eximie de uindicanda Iudæorum libertate mererentur, neq; maligne conatibus interdũ ſuccederet, tamen ut in rebus

Consule libros Maccabeorum.

Lege Ioannem Monarchum de rebus gestis Alexandri magni.

1. Macca. 1. 2.

2. Macca. 3. 6. 7.

ad ruinā interitumq́; pronis, nihil ſolidum, nihil diuturnum erat, ſubinde proſpera aduerſis turbabantur. Poſtremo Romani, *qui poſt* Africam *&* Aſiam *debellatam,* Palæſtinæ *pepercerant, inteſtinis* Iudæorum *diſcordijs adducti, uicto* Antiocho, *etiam* Iudæam *ſubiugarunt.* Primus Pompeius *inuiolatum antea* Romanæ *militiæ* Templū, *cepit, & iure uictoriæ ingreſſus, cæteris abſtinuit.* Dein M. Craſſus *homo auariſsimus, expeditione contra* Parthos *ſuſcepta, famaq́; diuitiarum templi cōmotus, ex itinere* Hieroſolyma *diuertitur, aurumq́; quod ille intactum reliquerat, templo abſtulit.* Caſsio *quoq; tyrannicidæ* Syriam *uexanti, ſacrum illud patuiſſe conſtat, quod ante quidem &* Gabinius *&* Scaurus *&* Varus *afflixerant.* Titus *uero* Veſpaſiani *filius, ſtructuræ, arbitror, admiratione captus, cum poſt direptam urbem, tantum opus in imperij ornamentum manere cuperet, onuſtū præda militē ab incendio fruſtra arcere conatus eſt.* Arſit *igitur inuito eo templum, quod (ut* Ioſephus *ait) ſententia dei dudum damnauerat, aderatq́; euolutis temporibus fatalis dies.* Mirum *autem, quod idem* Ioſephus *aſſerit, eodem die ſub* Tito *incenſum, quo ante* Babylonij *incendiſſent: hoc eſt, decimo* Auguſti *die.* Verum Titus, *qui ſeruare* Templum *non potuit, hoc impetrauit à milite, ut ſaltem turres aliquot ſupereſſe ſineret, quæ indicio eſſe poſteritati poſſent, quantam urbem* Pop. Romanus

Matth. 24. Marci 14. Lucæ 21.

[handwritten margin note:] ... uaſtati one Hieroſolymę per Romanos ſcribitur Zachariæ ca. 14. Lucę 19.

manus deleuiſſet. Conſtat autem Templum à Babylo- 2. Regū. 25.
nijs incenſum, primum reſtaurari ab his cœptum, 2. Chro. 36.
quos Cyrus exilio adhuc durante dimiſerat, quem nu Hiere. 52.
merum quinquaginta millium fuiſſe Euſebius ſcribit: 2. Regū. 25.
poſtea uero captiuitate in totum laxata, ſecundo an 1. Esdr. 1. 3. 5. 6.
no regni Darij ceu tradit Aggæus, à Zorobabel & Ie 3. Esdr. 2.
ſu filio Zoëdech utcunq; quadrageſimo demum an- Haggai. 1. 2.
no abſolutum eſt, annis ducentis ante Alexandrum.
De hac ædificatione locus ille Ioannis 11. cap. accipi-
tur, Quadraginta & ſex annis extructū eſt templum
hoc, & tu in tribus diebus eriges illud? Non plus e-
nim ſeptē annis in eo condendo Salomoni, quanquam 1. Regū. 6.
ingenti hominum numero, laboratū eſt. Herodes cœ-
ptum opus octennio abſoluerat. Fractæ erant exilio
opes, & remoram Samaritani iniecerāt toties reſtau 1. Esdr. 4. 5.
rationis impedito conſilio. Proinde factum, ut ne con
ferri quidem primæ illi ſtructuræ ſecunda potuerit. 1. Esdr. 3.
Memorandum autem quod libro uigeſimotertio de
Iuliano Imperatore Marcellinus ſcribit, Fauentem
eum Iudæis de Hieroſolymis condendis & reficien-
do templo, poſt fatalem illam ſubuerſionem decreuiſ-
ſe, negotiumq; Alippio cuidam Antiochenſi, qui Brit
tannias ante rexerat, maturandum dediſſe. Qui poſt
cœptum opus re horrenda ceu prodigio admonitus,
ob crebras flammarum eruptiones, quæ inter funda-
mentorū ueſtigia eructaſſent, intermittere laborē fue

 Vide Zarha. Zure.21.

rit coactus. Certiſſimo argumēto, non placere dn̄o, ut poſt abrogatā legis iuſtitiam, & conſummationem à Chriſto præſtitam, Templum denuo, uidelicet umbra poſt lucē, reſtauraretur. Neq; eſt ut quiſquam de Ammiani bona fide dubitandum exiſtimet, quum in Oriente ſub Iuliano militaſſe eum conſtet.

Que fuit pedagogus noster ad Christum, ut ex fide iustificaremur. Gala. 3. ca. Nam perfectio legis Christus est ad iustificationem omni credenti. Roma. 10.

IVDAEORVM DISPERSIO.

QVoniam in hanc rem incidimus, uiſa mihi et Iudæorū diſperſio ad locorū memoriam capiendam digna quæ referretur, maxime q̄ uarie magis q̄ uere quidā de illa tradiderunt. Sparſos Iudæos primū intelligimus, nō ſponte Palæſtinā egreſſos, ſed aut ui abductos quum eſſent captiui, aut iure belli uenditos, aut qui compulſi rebus aduerſis, fuga ſibi conſuluiſſent. Primus omniū Teglatphalaſſar Iu-

.2. Re. 15. dæos in Cyrenem ſparſit: nec multo poſt magnū eorū numerum è Galilæa & iuxta iacentibus terris, in Mediam & Perſidem tranſtulit: quod ante Romam conditam factum eſſe Euſebius affirmat. Alio item tempo

.2. Re. 15. 16. re ab illo, quo Syria inuaſa Raſin regem occidit. Sæ

.2. Chro. 28. pe enim Syriā cum exercitu ingreſſum eum, ex quarto libro Regum intelligimus. Poſt hunc Salmanazar, & ipſe potens Aſſyriorum princeps, Samaria occu

.2. Re. 17. 18. pata, regē Oſiam deuictū cum reliquo Iſraële, qui decem tribubus cenſebatur trans Euphratē & Tigrim, multò antequam tribus Iuda caperetur, abduxit.

Neq;

Neq; enim hæc propinquo aliquo tempore, ſed iuſto
annorum interuallo geſta ſunt, nec à nobis de quibuſ=
uis, ſed de memorabilibus tantum diſperſionibus fit
mentio. Porrò Nechaonem Aegypti regem quum ad=
uerſum Aſſyrios in Iudæam exercitum duxiſſet, Ioa=
cham regem captiuum in Aegyptum deduxiſſe tertio
itidem libro Regum traditur. Miſerabilis tum ſtatus
Palæſtinæ fuit, quum inter Aſſyrios Aegyptiosq; ue=
lut de regno eſt certatum, in medio enim poſita nullã
unquam lætam uictoriã habuit, ſed perpetuis ictibus
partium, & ceu rupes aliqua marinis expoſita flucti=
bus, aut hinc aut illinc exortæ tempeſtatis procellis
obruta eſt. Diſperſionum autem longe maxima, fuit
in Babylonica illa captiuitate, cuius tamen, ut poſtre=
mæ ſcriptura (quod ſciam) meminit, quando Ioachimo
rege cum omni familia abducto, mox paulò Nabucho=
donoſor euerſa urbe Sedechiam filijs & luminibus or
batum, cum maxima captiuorum multitudine tranſ=
tulit: quam Matthæus μετοικεσίαν Βαβυλῶνος uo Tranſmi-
cauerit, & uulgo tranſmigratio Babylonica dicitur, gratio Ba-
ſeptuaginta annorum ſpacio determinata, quo tempo bylonis.
re Aſſyrij & Perſæ rerum in Aſia ſunt potiti. Erat
tum in Aegypto Pharao, Vaphres uocatus, ad quem
ſub Babyloniorum aduentum magna Iudæorũ pars,
conſcientia rebellionis territa, ne in regis, ultionem
quærentis, manus inciderent, cõfugit. Vt eo tempore

etiam Aegyptum Iudæos incolere ex diſperſione cœ- piſſe intelligamus. Veroſimile autem nec Suſſachũ in capiendis Hieroſolymis prorſus hominum libertati peperciſſe, cum & Ptolemæum illum Lagi, cuius ſu- pra meminimus, poſt captam urbem plurimos Iudæo- rum captiuos in Aegyptũ traduxiſſe, conſtet, qui mul tis poſt annis à Philadelpho illo, de quo eſt in Alexan dria dictũ, manumiſſi ſunt. Ex Titi autẽ Veſpaſianiq; uictoria multa millia Iudæorum uendita ſunt, quorũ haud dubie miſerrima diſperſio fuit, cum non abdu- cerentur, ſed uenirent, longe autem deterior emptitij, quàm captiui conditio eſſet. Quanquam autem gens illa pro legis ſuæ & inſtitutorum ratione, proq; re- liquarum nationum contemptu quodam, antea nun- quam niſi grauibus, ut dixi, cauſſis exagitata, in alie- nas ſe terras contulerit, ſed in Palæſtina ceu auita & à patribus recepta ſede, continuerit: tamen poſtquam Iudæa populi Romani prouincia facta eſt, & dome- ſticarum diſſentionũ, factionum, tumultuum nullus fi- nis eſſet, præterea uarie ſe duces legionũ & militiæ Romanæ in adminiſtranda illa regione gererẽt, exi- re in alias ꝓuincias & pro iure quo imperij iam pars eſſe uidebantur, cæteris itidẽ terris, urbibus, agris qui ditionis Romanæ eſſent immigrare cœperũt. Ad quẽ modum Giſcalis Galilææ oppido relictis Tarſum mi- graſſe Pauli Apoſtoli parentes diuus alicubi Hierony

mus

Eo durior est romana hec captiuitas, quo est aliis duabus calamitosior. In Assyrios ductus est Ioseph, i. decem tribus Israelis. Iuda abducitur Chaldeis in Babyloniam, manentibus in captiuitate prophetis, quibus subinde uerbis consolabantur. Hinc uero populus Hierosolymis nihil habent Iudei quod iactent amplius neque regnum, neque testamentum, neque templum, neque legem, neque deum, a quo reiecti sunt. V. de Roma. 9. 10. 11. Acto. 13. 18. Quia scilicet non cognouerunt tempus uisitationis sue. Luce. 19. Vide Zacharie. 14.

nus innuit. Quanquã, ut à nobis eſt in Peloponeſo dictum, odioſiſsimo ſemper Iudæorũ cum Gentibus cõmertio, quippe qui ſynagogas ſuas frequentarent, & prouincialiũ ſacris ritibusq; detraherent, ut non raro principes, Iudæorũ incolumitatẽ & ut eis in ꝓuincijs locus eſſet, cõtra Gentiũ inſultationẽ, diplomatis atq; etiã edictis tueri fuerint coacti. Porrò, qui ad hũc modum ſparſi eſſent, auitæ ſedis & religionis memores, ſingulis annis Hieroſolymã ceu ad metropolim & ſacrorum matrẽ dona mittere, & ad feſtos dies uel remotiſsimis à locis aduolare, temploq; & ſacerdotio præcipuum honorẽ impendere, cõſueuerunt. Neq; id à Iudæis modo, ſed & à Gentibus templi fama excitatis, factũ eſt: quod uel una Eunuchi Candaces profectione intelligitur. Et Auguſtũ Cæſarem, templum uel abſentẽ coluiſſe, & eximijs donarijs ornaſſe, Ioſephus author eſt. Hinc illa apud Lucam Act. cap. II. à tot regionibus profectæ multitudinis frequẽtia. Hinc et Pauli ſingulare ſtudium feſtis diebus Hieroſolymam proficiſcendi, qui non alio aut tempore aut loco maiorẽ occaſionem doctrinæ Chriſti in fratres propagandæ, captare poterat. Hactenus de Iudæorum diſperſione quam Gentes fecere. Nunc de illa dicendũ, quã noſtri qui ex circumciſione credidiſſent, nõ à Gentibus, ſed ab ipſis Iudæis, ſunt perpeſſi. Quando mortuo Chriſto & rediuiuo, & in cœlos aſſumpto, doctrina eius nihilo minore odio in diſcipulis eſt horũ malignitate

Actorũ 8. Ioannis 12.

Actorũ 18. 20. 21.

Marci 16. Lucę 24. Actorũ 1.

delata accuſataq́; & ſummi criminis loco habita, quàm antea in magiſtro & domino fuiſſet. Sunt exempla eius rei pluſcula apud Lucam in Actis: ſed & literæ Paulo tum perſecutori traditæ, qua uæſania & rabie in dominicam doctrinam accenſi furerent, documento ſunt. Non ſatis erat illis urbe ſummouiſſe noſtros, niſi & in reliquam Syriam ad pœnã qui conquirerent, mitterentur. Diuus Hieronymus libro quinto Commentariorum in Eſaiam, tradit Iudæos non in Syriam ſolum, ſed & in omnes gentes literas dediſſe, ne paſsio Chriſti reciperetur, totumq́; orbem huiuſmodi blaſphemiæ diſſeminatione impleuiſſe. Vnde illud quoq; accidiſſe arbitror, ut etiam Romæ ſub Claudio aduerſum noſtros qui tum primùm illò ueniſſent, tumultuari propter Chriſtum (teſte etiam Suetonio) cœperint, atq; ea re Claudium ſeditiones indigne ferentem, ad hoc ipſum impuliſſe, ut Iudæos in totum urbe pelleret. Nec alia magis cauſſa, rebus poſtea mitigatis, ſuam illam ad fratres qui Romæ erant, epiſtolam ſcripſiſſe Paulum, quàm ut diſsidiorum moleſtia de medio ſublata, conceptum Gentibus in Iudæos odium tolleret, rurſum & circunciſioni ſupercilium detraheret, doceretq́; nec præputium nec circunciſionem quicquam eſſe, ſed iuſtitiam quæ ex fide eſſet in Chriſtum. In Iudæa uerò tametſi nomẽ Chriſtianũ ſumma inuidia premeretur, neque eſſet ulla noſtris à pœnis quies,

Actorũ. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 13.

Actorũ. 9.

Actorũ. 18.

Roma. 2.
Gala. 5.

quies, tamen in ſummis illis procellis eccleſiam tuta=
us eſt dominus, ſed pauperem, & cuius alimoniæ de
liarum eccleſiarũ liberalitate, Paulus Apoſtolus pro
iderit. Iudæi ſuo in templo ſtipem iaciebant, quo uen
res ocioſorum alerentur, mactabant animalcula, quæ
acerdotia ſaginarent: deniq; in uaſa, & luxum abo=
iti ſplendoris pars opum profundebatur, quo exter=
a niterent, cum ipſi intus puteſcerent. At Paulus fra= Roma. 15.
ernæ charitatis præſcripto, uel ab Europæ eccleſijs 1. Cori. 16.
olligit quod pauperibus ſanctis in alimoniam ſugge= 2. Cori. 8. 9.
at. Ii templa erant dei uiui, in ſpeciem ſqualidi & ne= Actorũ. 11.
lecti, intus puri, hoc eſt ſancti. Petrus autem ad fra= 1. Cori. 3. 6.
res per Aſiam diſperſos ſcribens, ſanè neq; hos ſolum 2. Cori. 6. 1. Petri. 1.
ui ob fidem in Chriſtum Hieroſolymis eſſent pulſi, Fratres diſperſionis.
eq; illos qui antè in ea loca ueniſſent, ſeorſim uide=
ur accipere, ſed generaliter complecti ſparſos. Ipſe Acto. 13. 14. 17.
nim Paulus Chriſto per ſynagogas Aſiæ prædicato, 18. 19. 20.
erquàm multos Iudæorum ad fidem cõuertit, teſte in
ctis Luca. Porrò doctrinæ Pauli etiam Petrus memi 2. Petri. 3.
it, uelut innuens haud latere ſeſe, quod ea ipſa profe
iſſent. Non prætereundum autem eccleſiam Hieroſo
ymitanam, Claudij temporibus haud incelebrem fuiſ
e, quoniam illi legalium ceremoniarum obſeruatio fa
oris aliquid apud Iudæos conciliaſſet. Et Hieroſoly=
a ipſa gentis caput haberentur. Poſt ſubuerſionem
utem quæ annis decem & ſeptem poſt Claudij im=

peratoris mortem facta eſt, & urbis & eccleſiæ dignitas ad Cæſaream tranſijt. Nam & Tacitus qui poſt excidium Hieroſolymitanum ſcripſit lib. XXI. Cæſaream caput Iudææ facit, & Hieronymus in Epiſtola quadã ad Ioannẽ Hieroſolymitanũ Epiſcopum, indicat, etiã ſua ætate Cæſareã metropolim Hieroſolymæ fuiſſe. Quanquã huic urbi uel afflictæ & dirutæ, ſemper honos habitus Apoſtolicæ ſedis, ob tot tantarumq́; rerũ & in primis Apoſtolorũ memoriã, honoris prærogatiua iam olim ſeruata, & Nicenæ etiã Synodi decreto conſtabilita. Tanta aũt legis cura primis illis fratribus Chriſtũ confeſſis adfuit, ut Euſebius tradat, non niſi ex circuncisione illis lectos epiſcopos fuiſſe, et ex Gentibus tum primùm admiſſos, cum fractis Iudæorũ rebus, & urbe ſubuerſa, diuina etiã ultione in templũ eſſet ſæuitũ. Certè Iudaizaſſe etiã Iacobum Apoſtolũ, primum eccleſiæ illius Epiſcopum, illa palàm teſtantur quæ Lucas Act. XXI. tradidit, quod quidẽ haud ita factũ intelligimus, uelut incognita illi iuſtitia fidei fuerit, qui Gentes tamen legis onere nõ grauandas cenſuiſſet: ſed quod externo illo & per ſe innocuo cultu, parcendum Iudæis exiſtimauit, quo maior ei occaſio de illis perſuadendis & Chriſto lucrificandis, ad manum eſſe poſſet. Qua de re, & Paulo conflatam inuidiam, hoc prætextus genere declinare, & munus miniſterij illius fauorabile efficere, fuerat conatus. Nibil enim

Actorũ. 15.

enim in religione controuerſa intempeſtiua libertate nocentius eſt. Iam & catalogis cenſos Hieroſolymitanos paſtores, & διπτύχοις inſcriptos fuiſſe conſtat, ut alios quoq; maiorũ eccleſiarum præſides, ceu à nobis in Alexandria dictum eſt.

SAMARIA ET INIBI DE Iudæorum regno.

SAmariã pulcherrimo Palæſtinæ & uberrimo loco ſitã eſſe Hieronymus tradit, quanquã nec Iudææ magnitudine nec Galilææ conferenda. Habet ab æſtiuo Occaſu mare noſtrũ, & in littus cui Cæſarea urbs clariſſima impoſita eſt, prominet. Ad Boream & latus Orientis Galilæa excipitur, ꝓxime lacum Tiberiadis, & Iordanẽ etiã tranſgreſſa, ad Arabica uſq; deſerta immittit. Ioſephus libro belli Iudaici III. à uico Genaniæ incipere eam, & uſq; ad Atrabitenam Toparchiã contingere, prodidit. Primùm quidem illa à duabus tribubus, Ephraim & Manaſſe, poſ- Samaria
ſeſſa, mox & regno Iſraëlis attributa. Quandoquidẽ Salomone rege mortuo, cum maior tribuum pars filij eius Roboam faſtum plus quàm tyrannicum ferre nollet, & defectione facta, Hieroboam præclarum illum uirum ſed humili ortum genere, regem creatũ ſequuta eſſet, Samaria ſedi delecta eſt: inq; ea Sichem uetus & patriarcharum memoria celebrata ciuitas, quam Abimelech iam antea euerterat, ab Hieroboam

1. Regũ. 12. 2. Chro. 10. 1. Regũ. 11. Gene. 33. 34. 37.

.1. Regum. 12. *exſtructa & pro regia habita eſt.* Durauit autem id regnum ducentis quinquaginta annis ad uſq; Salmanaſſarem Aſſyriorum regem, à quo Iſraël, ut antè
.2. Re. 17. 18. diximus, captus & in Perſas & Medos abductus eſt, annis haud multo minus ducentis ante id tempus quo regnum Iudæ ad extremum Nabuchodonoſor ſuſtulit.
.2. Re. 24. 25. Porrò Iſraële ſublato Salmanazar memor quanta dif-
.2. Chro. 36. ficultate Sichimam & reliquas Samariæ urbes cepiſ-
Daniel. 1. ſet, præſidio ab Aſſyria miſſo totam illam regionem
Hiere. 52. cõmuniuit. Euſebius milites illos Samaritas, id eſt cuſtodes dictos autumat, uelut inde Samariæ nomen exortum eſſe putandum ſit, cum longe uetuſtius & alijs quoq; de caußis natum eſſe, uel ex ipſa ſcripturæ au-
Samaritani thoritate conſtet. Mixtum autem & militare hominũ genus, quanquam Moſi legem recepiſſet & iactata
.2. Re. 17. religione deum ſe Iudæorum colere profiteretur, tamen interim dijs itidem ſuis ſeruiebat, iuxta conſuetudinem Gentium de quibus in Samariam fuerant tranſlati, qua de cauſſa Iudæis quanquam & ipſis haud admodum ſui iuris obſeruantibus, inuiſi ſemper Samaritani fuerunt, & contrà, Samaritanis Iudæi religione diuerſi. Vtroq; enim populo legis poſſeßionẽ ſibi uendicante, grauißimis ſæpe diſſenſionibus eſt laboratũ.
.1. Eſre. 4. Neq; alia magis cauſſa templi reſtaurandi conſilium, tam diu protractum fuit, quum iam Babylone Iudæi reuerſi eſſent, quàm quòd Samaritani æmuli iam, non

religionis

religionis modo, uerum etiam gloriæ, populum captiuitate fractum & uelut nouũ qui tot annis abfuiſſet, apud Syriæ præſides & Satrapas Perſarum, calumnioſis delationibus criminari & quibuſuis de cauſſis arceſſere, tantumq́; negotij concitare perrexiſſent, alienatis principum animis, ut ægre illi, rebus propius cognitis detectaq́; Samaritanorum inuidia ad templũ reædificandum admiſsi fuerint. Suum iam templum Samaritæ meditabantur, & inique ferebant populi poſtliminio reuerſi incrementum, à cuius iam olim potentia ſibi timuiſſent. Neq; paulò minus crudeles in ſe Iſraël & Iuda fuerunt (qui regum tamen externorum arma in mutua excidia euocarant) quàm poſtea Samaritani & Iudæi fuiſſent. Ioſephus tradit hoc ingenio Samaritanos fuiſſe, ut quoties aduerſis rebus Iudæa premeretur, Iudæos ſe eſſe pernegarent, contrà, proſperis in rebus Iudaiſmum maxime profiterentur. Verſuti homines, & qui poſthabita honeſtate, ex uno ore (quod dicitur) calidum & frigidum efflare conſueuiſſent. Notandum autem à Samaritis eo primum tempore ſuum illud in monte templum eſſe conditum, quo Dario iam ab Alexandro deuicto, Syria Macedonum armis petita eſt. Tum Sanabalath, antea Darij per Syriam præfectus, mutatis rebus (ut fit ſæpe) magno militum numero ad Alexandrum defecit, filiamq́; Iſacham nomine, Manaſſæ, Iaddi Hiero-

Templum in monte.

ſolymorum pontificis fratri, quo cum illi familiaritas interceſſerat, matrimonio elocauit. Ea re cognita Iaddus fratrem, ut qui contra legem alieno ſe matrimonio prophanaſſet, accuſatum urbe ſummouit. Sanabalath Iaddi faſtum indigne ferens, ſimulq; generi fortunis & honori conſultum cupiens, fauore Alexandri impetrato templum ingens ſuper montem Garizim proximum Samariæ condidit, generumq; ei præficit. Qui locus poſteris annis ſanè celeberrimus factus eſt, cæterum cultu ob Gentium & Iudæorum confuſa ſacra, prophano fœdoq;. Verum deum ore fatebantur, & re ipſa plures colebant. Creatorem adorabant, & rebus interim creatis par honos habebatur. Specie tamen cultus & fama templi elati, adeò ſibi fiducia quadam ſuperſtitionis placebant, ut Alexandro mortuo coram Ptolemæo Philometore, ad quem tum Palæſtinæ iuriſditio pertinebat, de religione contenderint, rege tum quidem pro Iudæis pronuntiante. Eius delubri Samaritana illa meminit Ioan. IIII. Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & uos dicitis quod Hieroſolymis eſt locus ubi oporteat adorare. Et Ieſus contra, Mulier crede mihi, uenit hora quando neque in monte hoc, neq; Hieroſolymis adorabitis patrem, &c. Magnum autem & odij in Iudæos & contemptus argumentum fuit, quod Iudæis quacunq; cauſſa Hieroſolyma digreßis ad inſtar Romulei aſyli perfugij

fugij locus apud Samaritas fuit, ſi Ioſepho *credimus. Ne uidelicet deeſſent qui odiſſe pergerent.* Neq; *illud fortaſſe prætereundũ, quanquam haud ignotum uulgo,* Iud*æis ab exilio reuerſis, longo tempore nullos reges ſed ſacerdotes & principes uiros loco regum fuiſſe, quemadmodum primis illis poſt trigeſimum captiuitatis annum* Cyri *fauore regreſſis,* Zorobabel & Ieſus *præfuiſſe leguntur.* Regni *uerò ſublati euidentem cauſſam fuiſſe idolorum cultum ex quarto* Regum *cap.* XVII. *deprehenditur. Sed iterum locus regno factus eſt, nimirum ut compleri prophetia poſſet, de regno* Iudaico *tum demũ in totum auferendo, quum qui mittendus foret, adpeteret.* Paucis *igitur annis antequam* Syria Romanorum *facta eſſet, circa belli tempus quod aduerſum* Iugurtham *geſtum eſt,* Ariſtobulus Ionathæ *filius primus poſt* Babylonicã *tranſmigrationem rex pariter & pontifex diadema ſibi ſumpſit.* Ariſtobulo Iamneus *ſucceſſit, qui &* Alexander *dictus eſt, impotentia animi & tyrannidis ſæuitia infamis.* Quo *defuncto uxor eius* Alexandri *laudatiſſima matrona habenas regni tenuit, relictis ex* Alexandro *filijs duobus* Ariſtobulo & Hircano, *quorum alterũ* Pompeius *rebus* Iudaicis *præfecit, alterũ, ut ante dictũ eſt,* Romã *uinctũ duxit.* Primus *q̃ præſidia & legiões* Syriæ *et* Palæſtinæ *impoſuit, qui* Iudæos *prius uectigales, mox & tributarios fecit.* Dein *fauentibus*

2. Chro. 26.
1. Eſdr. 1.
3. Eſdr. 2.
Gene. 49.

Natio praua & adultera.

Romanis armos Antipater extulit, poſt quem Herodes filius, cuius regno ſceptrum Iudæis ablatum eſt. Satis aũt ſuperq́; ex Ioſephi & Euſebij hiſtoria conſtat nunquã deteriorẽ Iudæorũ uitam in totũ fuiſſe, quàm ſub aduentũ Domini noſtri Ieſu Chriſti, neq; deinceps ad excidiũ uſq; ullum malitiæ finẽ fuiſſe. Vt ea cauſſa Ioſephus homo Iudæus, & myſterij incarnati ſaluatoris ignarus, ingenue faſſus ſit corruptiſsimum ſui ſæculi uitæ genus, merito diuina ultione punitum, & fatalem Iudæorum interitum fuiſſe. Primum pontifices ad ſumma rerum gubernacula euecti, ambitione, faſtu, luxuq́; tumebant: nulla eis legis cura, nulla pietatis erat, primas ſibi partes ceremoniæ uendicauerant, atque hæ quidem non tam ex legis decreto, quàm proprijs ſanctionibus introductæ, magna parte diuinis decretis repugnabant. Proba ſpecies habitus, facies compoſita, & in ſacris non inconcinni mores erant. Cæterũ peractis illis, & arbitris remotis, ad dolos, fraudem, calumnias, æſtuans inuidia animus redibat. Neq; quicquã Phariſaico ſupercilio, aut iniquũ aut impiũ erat, quod modo ad quæſtũ faceret, in quo (teſte etiam Paulo) ſummã illi pietatis ſtatuebant. Alijs autẽ illorum exemplo ad paria contendentibus, inſidias parare, percuſſores ſummittere, ueneno tollere, conſueti: ne ipſi quidem templo parcebant tot nominibus, illis ſacro, quin ſanguine interdum percuſſorum madeſceret,

ret. Ioſephus author eſt, in templo fratrem à fratre am bitione debacchante, ſtricto gladio, interemptũ eſſe. Sed & noxiæ conſpirationes urbẽ replebant ſangui= ne. Vt non iniuria Chriſtus Matth. XXIII. illorum hypocriſi perſtricta, dealbatis eos ſepulchris ſimiles eſſe dixerit, quæ foris quidẽ ſpecioſa uiderentur, intus aũt plena omni ſpurcitia eſſent. Sed & Iſaiæ oraculũ notare illos innuit, Populus hic labijs me honorat, cor aũt eorum procul abeſt à me, fruſtra me colunt do= centes præcepta, doctrinas hominũ. Præterea culicem colare, & camelũ glutire illos dixit, præteribãt enim quæ non licebant, abijciebant quod conceſſum erat. Iniquius ferebant iuramentũ per aurũ templi, & per donũ altaris factũ, quàm quod per ipſum templum, ipſamq; aram factũ eſſet: hoc eſt, ſua pluris faciebant quàm quæ eſſent iuris diuini. Re ipſa natio praua & adultera erant. Quos ueriſſime Chriſtus progeniem, Ioannes genimina uiperarũ dixerit, Stephanus autem Act. VII. proditores & occiſores Chriſti. Quorũ hoc præcipuũ ſtudium erat, ut quàm plurimos ex gentibus in ſuã factionẽ traherent, & quo plus apud eos ſibi fa uoris eſſet, in ſuũ morem tranſgreſſos, proſelytos face rent, quod ipſum nõ legis modo cõmendandæ, ſed pri uati etiã commodi ſtudio fiebat. Super omnia aũt, con tra legẽ, gentium ſibi potentiã fœderibus conciliabãt. Romã etiã iam olim legatis miſſis, qui id agerent, quo

Luce 11.
Hesaie 29.
Matth. 15.
Marc. 7.
Luce 6.
Matth. 22.
Contemnebat ea que pluris erant facienda.
Matth. 12.
Matth. 3.
Luce 3.
Matth. 23.

illis per fœderũ uincula ſedem auitam & regni digni tatem tueri, præterea ſynagogæ immunitatẽ retinere poſſent. Præſidibus poſtea prouinciæ haud raro ingenti largitione corruptis impetratisq; quo ſuis ſtudijs uellent patrocinari, neq; inuaſis ſemel honoribus deeſſe. Notæ ſunt largitiones Hircani in Gabinium, notiores Herodis in Soſium, aliorumq; in alios de quibus qui uelit noſſe, Ioſephum & Euſebium legat. Mirum autem, unde illis animus largiendi, quorum auaritia præ cæteris mortalibus inſignis eſſet. Intelligebant arbitror ne opes quidem illis conſiſtere poſſe, qui regno ſemel eſſent exuti: & liberalis eſſe etiam auaritia aſſolet ubi lucri ſpes refulſerit. Præclarum autem iſtud Oniæ iuſti facinus, qui, ut lib. XIIII. Antiquitatum Ioſephus tradit, Ariſtobulo & Hircano fratribus belligerantibus, quum Aretas Arabum rex Hircani partium Ariſtobulum in templo diutius obſediſſet, nec caperet, protractus à milite in mediũ, & (quoniã haud multo ante orando pluuiam impetraſſe crederetur) orare iuſſus eſſet, ut Ariſtobuli milites diſſiparentur: ſtetit in medio, atq; in hæc uerba orauit: Deus omniũ rex, quoniam & hi qui mecum conſiſtunt, tuus exiſtit populus, & qui obſidentur tui ſacerdotes ſunt, peto ut neq; iſtos exaudias contra illos petentes, neq; illos contra hos orantes, &c. Indignum ratus eſt uir optimus, in ciuilibus diſſenſionibus aut illi aut iſti parti ui-

ctoriam

2 Reg. 16. 12. 1. Timo. 6.

ſtoriam precari, cum neutra agat ex officio. Neque dubium eſt, quin deus populũ illum perditurus, iuxta prophetarum teſtimonia, uertiginem erroris, & ciuilium armorũ furorem illorum animis immiſerit, qui merita demũ ultione exciperentur. Quanquã aũt uehementi illa & atroci Veſpaſianorũ expugnatione, ita profligatæ Iudæorum res fuerunt, ut ne ſuſpicio quidẽ rebellionis aut ſtudij rerum nouarum reliqua eſſe uideretur, tamen ita ſemper odioſum moleſtumq; illi genti utcunq; afflictæ alienæ dominationis iugum fuit, ut præter etiam ſpem & opinionẽ omniũ, contemnere periculũ & in rebus uel deploratis tumultuari auſa fuerit. Adeò non ſatis erat tot ſemel capitibus truncatam Hydram illam, niſi alia ſuccreuiſſent quæ cæderentur. Sub Adriano rebellarunt Iudæi infelicißimo ſucceſſu, de quo ante dictum eſt. Iuſtiniani ætate annis poſt Chriſtũ fermè quingentis in Palæſtina Iulianũ quendam legerunt, & coronarunt, arma recta in Chriſtianos moturi, ſed inſolentiam imperator, capto & decollato Iuliano, repreßit. Iidem Phocate imperante, ſeditione mota Anaſtaſiũ Antiochenum Epiſcopum, unco tractũ & ore obſcœnis oblitum, interfecerunt, magno ſimul ciuiũ numero interempto, & parte urbis incenſa. Perſarũ irruptio eos tũ animauerat, nec ſatis illis fuerat Antiochiæ tumultuatum, niſi ſua cum Perſis manu coniuncta uel Hieroſolymæ

ditripiendæ authores extiterint. Fecerunt *& Septimio Seuero negotium,ſed coërciti ſunt.*Deinde Gallo *Cæſari imminuerunt, nocte quadam pluſculis militibus dolo interemptis:ob quam iniuriã* Gallus *, ut erat crudelis & ultorij animi,Cæſaream,* Tiberiadem *&* Dioſpolim *clariſsimas* Palæſtinæ *urbes in quas illi ſe patrato facinore ſparſerant,celeri impetu concremarit,authore* Euſebio *.* Memorabile *autem quod tradit* Hieronymus*, nobilem* Cypri *urbem* Salaminem*,* Traiano *imperante,ab illis deletam fuiſſe, accolis omnibus interfectis,quod facinus,ſola illis,ut arbitror,doloris impatientia, & quod nulla amplius ſpes ſalutis eluceret,extorſerat.*

Ceſarea no[illegible] [illegible] quarum una est Palestine in litore mari[illegible] sita [illegible] Act[illegible] 10. 12. 21. Alia est ad radices Libani sita iuxta Iordanis fontem [illegible] Mar. 16. Mat. 8. Tertia Ceſarea est metropolis Cappadocie [illegible] Acto. 18. [illegible]

GALILAEA.

SAmariam Galilæa ſequitur, fertiliſsima regionum & uirorum quondam fortium altrix, ſituq; adeò felici,ut cum Samaria reliquisq; adiacentibus regionibus ob ſoli ubertatem de palma certet.Iordanis illam clarus amnis è Libani radicibus delapſus,fermè mediam findit, uicis iuxta, clarisq; oppidis frequens, ambitioſus enim eſt, & ſubinde

Galilæa. ſeſe præbet accolis, Plinio. A Septentrione eam Libani & Antilibani altiſsimorum montium iuga claudunt, partem occiduam Phœnicia excipit, cum qua illi tanta uicinitas eſt, ut uel Hieronymus Samariam

Samariam & Galilæam eius partes fecerit, Libanum regioni Phœniciæ attribuerit. Terminatur ab Ortu Syria illa, quam ob demiſſam à decliuitate montium planitiem Cœlen appellari ante dictum eſt. Qua parte ad Meridiem ſpectat, Samaria & Arabiæ arenoſis terminatur. Vniuerſam ueteres in ſuperiorem & inferiorem diuiſerunt. Superior Libanum, ſeu Antilibanum dicere malumus, & Iordani fontes habet, Galilæa gentium dicta, quoniam extima ſit Palæſtinæ, etiã ipſis Syris contermina. Inferior lacum Tiberiadis ambit. ~~Trãſiordanem~~ autem pleriſq; locis montana exaſperant, inter quæ etiam deſertis ſqualet. Montium ea parte præcipui Trathoni dicti, inter quos Gaulon ciuitas celebris quondam in tribu Manaſſe, præterea regio Bathanæa, à quibus locis Tetrarchiæ Gaulonitidi, Trachonitidiq; & Bathanææ nomina data. Conſtat autem à quarta regni portione Tetrarchiam dictam, & Tetrarchã Præſidem eius ſiue regem. Nam & Lucas Act. 12. Herodem iuniorem regem uocat, qui Tetrarcha fuit, & paterni tantum regni partem tenuit. Sicut & Agrippa minor itidẽ Tetrarcha, rex à Claudio Cæſare dictus eſt. Certe Plinius libro 5. Tetrarchias in regna deſcriptas fuiſſe cõmonſtrat. Apud Euſebium in Chronicis Tetrarchæ quatuor numerantur, Herodis filij, quos parte regni paterni Auguſtus donauerit: uelut inde ueriſimile ſit nominis originem

Galilæa gentium.

Trachonitis.

Tetrarcha.

deductam eſſe. Cum ante hos Herodes pater, uiuente etiamnum Antipatro tetrarcha Galilææ factus fuerit, & C. Plinius lib. V. decem & ſeptem Tetrarchias in Syria eſſe tradat, ſicut & Toparchias in Iudæa decē, quas ordine enumerat, à quibus Toparchæ uocati locorum Præfecti, quos paulò longius à regni ſpecie abfuiſſe ſatis conſtat. Intelligimus igitur Syriæ adminiſtrationem initio Græcis quadripartitam fuiſſe, atq; inde Tetrarchias ipſas regiones ſuis limitibus determinatas, & Præſides earum Tetrarchas appellatos fuiſſe. Deinde illis amplius diuiſis, & aucto portionū numero, uetus interim & primo datum nomen manſiſſe. Lyſaniā autem non Herodis (ut apud Euſebium legitur) ſed Ptolemæi Minæi Chalcidis iuxta Libanum montem tyrāni filium fuiſſe Ioſephus docet. Cuius regni pars etiā Abila fuit celebre & populoſum Syriæ oppidum, quod apud Ptolemæum Lyſanium dictum eſt, à quo tetrarchia Abilene cognominata, quā Lyſanias poſt patris Ptolemæi mortem uiuente adhuc Auguſto accepit, & multis poſt annis Tiberio imperante tenuit. Proinde ſcientiſſime Lucas ~~ſecundo~~ tertio capite prioris libri de hiſce partibus ad hūc modum locutus eſt. Anno decimoquinto imperij Tiberij Cæſaris, Pontio Pilato præſide Iudææ, tetrarcha uero Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Itureæ & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilenes

Lyſanias.

Abilene tetrarchia.

Infra pagina 39.

(de quo vide Euſebium li. 1. ca. 11. ... Ioſephum li. 14. ca. 21. antiqui. Iuda. quem Euſebius in ... minis Lyſiam adpellat.)

nes

nes tetrarcha,&c. Iturea enim finitima fuit Galilææ gentium, quam Philippo Auguſti liberalitate contributam ſupra diximus. Dicta autem illa eſt ab Itureis bellicoſa gente, haud longe Damaſco montanis inhabitante, de quibus etiam Vergilius, Itureos Taxi torquentur in arcus.

Iturea.

~~Iturei Scythicos torquentur in arcum.~~

LOCA IVDAEAE, SAMARIAE, GALILAEAE.

NE toties repetendo locorum ſitu hiſtoriæ ſeriem ſatis alioqui uel breuitate impeditam turbare cogeremur, placuit ſimul Iudææ, Samariæ & Galilææ loca duntaxat inſignia ordine enumerare. Multis hoc ipſum egit Hieronymus in quæſtionibus & locis Hebraicis, & extat libellus illius titulo, qui de locis quorũ in Actis Lucas meminit, conſcriptus eſt. Nuper & Zieglerus noſter Palæſtinam ſingulari diligentia non deſcripſit modo, ſed & Tabulis exaratam propoſuit, ut equidem hoc labore ſuperſedere potuerim, niſi ante recepiſſem ea me ſemel loca redditurum, quorum ſcriptura Noui (ut uocant) teſtamenti meminiſſet. Expediam igitur paucis. Oliuarum montẽ, cuius in Hieroſolyma meminimus, Lucas Act, 1. iter ſabbathi ab illa abfuiſſe ait, hoc eſt, quantũ

Mons Oliuarum.

abeſſe Iudæo ſabbathi die licuiſſet, id ſpatiũ duorum millium paſſuum erat. Ab hoc monte (ut pie & eleganter ab Eraſmo dictum) Chriſto itum eſt ad crucis ignominiam. Ab eodem itum eſt ad gloriam. Ad eius

Gethſemani.

enim radices uillula erat Gethſemani, & iuxta eam locus, quo appetente iam captiuitate, cum diſcipulis ſuis peracta cœna dominus oratum abijt, Matth. 26.

Bethphage.

Nec procul alius uiculus Bethphage, in quo, domino per montem Oliueti intraturo, iumẽtum apoſtolorum ueſtibus inſtratũ eſt, Matth. 21. Luc. 19. Vertex montis uel Hieronymi ætate dominicæ aſcẽſionis ueſtigia tenuit, ceu liber ille de locis Actorũ Lucæ ſcriptus innuit.

Bethania.

Nec procul Hieroſolymis Bethania uilla quindecim plurimum ſtadiorum ſpacio abfuit, Ioannis 11. uicina autẽ Oliuarum monti, Mar. 11. Simonis leproſi, præterea Marthæ & Mariæ hoſpitijs, & ex mortuis ſuſcitati Lazari memoria nobilis. Locus autẽ ille, ubi Saluator pro omnium ſalute crucifixus eſt, proximus urbi fuit, ad Septentrionalem plagã montis Sion.

Golgotha.

Hieronymo Golgotha uulgo dictus ab caluarijs hominũ, de quibus ſumptum eſſet ſupplicium. Quo loco tribus horis uiuum inter latrones pependiſſe, & nona primum hora mortuum, quum ſexta eſſet in crucem actus, Matthæus indicat. Horas autem non noſtro, ſed Babyloniorum more diem ab ortu auſpicantium, ſumpſiſſe Iudæi uidentur, ut prima hora ſole oriẽte, ſexta

meridie,

Ioan. ca. 11. Christus respondens discipulis suis dixit. Nonne duodecim sunt horæ diei? etc.

meridie, Nona declinante iam ad ueſperū ſole obſeruata numerataq́; ſit. Id quod & Euangelij hiſtoria confirmat, quæ Chriſtum captiuum initio in Caiphæ atrium ductum, excuſſumq́; ea nocte à Sacerdotio tradit. Sed & Petrum (ne quis primam noctis horam intelligat) ipſo gallicinio Chriſtum abiuraſſe conſtat. Matthæus 26. capite ordinē rei geſtæ proſecutus, Mane autem, inquit, facto, &c. uinctum eum adduxerūt & tradiderunt Pilato præſidi. Porrò & Lucas 23. capite audita eius cauſſa, & cognito quod Galilæus eſſet, ad Herodem tetrarcham, qui tum fortè Hieroſolymis agebat, à Pilato miſſum fuiſſe Chriſtum ceu ditionis eius hominem, palàm indicat. Deinde ſpretum ab hoc, & remiſſum, poſt Iudæorum ad ~~rauim uſque~~ clamantiū querelas auditas, demum traditum ad crucifigendum fuiſſe. Vt eiuſmodi actione haud dubie bonam diei partem inſumptam, & ſexta primum hora, hoc eſt, ipſo meridie Chriſtum affixum cruci fuiſſe intelligamus. Enimuero eo tempore quo paſſus eſt Chriſtus, id eſt, VIII. Calend. Apriles, Sexta hora ad ſolis ortum propter æquinoctij uerni æqualitatem eximie quadrabat. Neq; alieno ſenſu à Chriſto Ioan. 11. dictum eſt, Nónne duodecim ſunt horæ diei? Quanto enim minor eſt latitudo paralleli cuiuſcunq; ab æquatore, tanto maior eſt dierum noctiumq́; in uniuerſum æqualitas. Porrò ſi hora tertia Petro apoſtolo Act. 2.

Horæ, Prima, Sexta, Nona.

Ioan. 18.

Matth. 27.

Duodecim horæ diei.

matutina eſt (hanc enim uel hac ſola cauſſa ab ebrietatis ſuſpicione uindicat) conſequens eſt Sextam in meridiem inclinaſſe (cum & prima hora matutina eſſet ut ſupra) ac Nonam in ueſperem. Nam ſi nona hora, ut à nobis annumeratur, mortuus Chriſtus fuiſſet, umbra exorta naturalis, & extra miraculum fuiſſet. Aequinoctij enim tempore in Iudæa Sol nona poſt meridiem hora profunde occiduus eſt: quod à parallelo latitudinis, uel ab his qui Coſmographiam à limine ſalutarũt intelligitur. Atqui tenebræ illæ ſuper terra Iudæa factæ Chriſto patiente, ſummæ admirationi fuerunt contuentibus, cum, quod tribus horis, id eſt, quoad in cruce uixiſſet Chriſtus duraſſent, tum etiã quod tempore inſueto, ſole ſcilicet cœli umbilicũ tenente, accidiſſent, nec deliquiũ pro naturali ſyderũ curſu contigiſſet. Tum enim luna decimaquinta, hoc eſt plena erat, & ex diametro aduerſa ſoli, nec umbra terræ officiebat, quæ diuerſum ſemper & oppoſitũ uiæ ſolis ſemicirculũ occupat. Verũq; ſit, quod ſuper illo Matth. loco Hierony. tradit, Paſchæ tẽpore lunam ſemper fuiſſe pleniſsimã, & ſolis defectũ nunquam niſi ortu lunæ fieri ſolere. (Quo in loco non κοσμικὸν Hieronymus, ſed ἡλιακὸν, id eſt, ſolarem, ut aſtronomi eum uocãt, ortum intelligit, luna uidelicet ſuo motu corpus ſolis tranſeunte, & ueſpertino iterum emergente, id quod proximis à nouilunio die

Tenebrę ortę ſuper terram.

bus

bus fieri aſſolet.) Nec audiendi ſunt qui Dionyſij ſententiam de eclypſi afferunt, in quorũ numero eſt Lyranus, qui eodẽ tamen in loco hoc ipſum quod probat redarguit, & errore uix digno eius nomine, ab ortu lũnã approximare Soli uelut motu primi (ut uocãt) mobilis, ac non magis proprio motu ab occaſu ortum uerſus. Dionyſij authoritate, puto, deceptus credidit. Vt interim non dicamus quàm ridiculum ſit Paſchæ tẽpore, id eſt, plena luna eclypſim quærere. Ne Chorebo quidem tot modis ſtulto iſtud ſomniare liceat, ne dum philoſopho, quanquam quid huic Epiſtolæ Dionyſij tribuendum ſit, quam uulgus iactitat, et quid de authoris nomine æſtimandum, abunde duo eruditionis lumina, Laurentius Valla & Eraſmus Roterodamus, ſuis in nouum Teſtamentum annotationibus prodiderunt. Iam ut ad horas reuertamur, ipſe Hieronymus ꝓpheticos ſermones in hoc adducit, ut Sexta hora, hoc eſt, meridie tenebras illas obortas eſſe doceat. Amos 8. Occumbet ſol meridie, & contenebrabitur ſuper terram in die lux. Et Ieremiæ 15. Occubuit Sol cum adhuc media eſſet dies. Clariſsime aũt Matthæus in 28. capite, ueſpere facto Ioſephum de Arimathia corpus Ieſu iam mortui à Pilato impetratum condidiſſe tradit, ut uel eo ſolo loco ante ueſperam mortuum eum conſtet. Nec adnotaſſemus tam leuicula, & quæ merito faſtidio eſſe uel parum peritis poſsint,

Hora ſexta

niſi eam nouerimus quorundam inſcitiam eſſe, quæ uel hoc in ſcirpo nodum quærat, & coram eccleſijs in dubium uocet, quæ oſtiarij & æditui ipſorum pro comperto habent. Nunc *reliqua proſequemur.* Agrũ *illum ſanguinis* Iudæ *proditoris pecunia emptũ,* Hieronymus *proxime* Golgotha *fuiſſe tradit.* E *remotioribus autẽ ab urbe locis* Arimathea *fuit.* Haud *procul* Lydda *uicus* Ioſephi *decurionis illius qui* Chriſti *corpus ſepulturæ tradidit,* Lucæ 23. Lydda *ipſa, quæ poſtea* Dioſpolis *dicta, præcipuum inter* Iudææ *oppida fuit, in quo* Petrus Aeneam *paralyſi decem & octo annis laborantem, non ſua ſed* Chriſti *uirtute liberauit,* Acto. 9. Proximus *ei locus* Aſſaron, *cuius itidem apud* Lucã *fit mentio.* Quanquam Hieronymus Commentarijs *in* Abdiam *non* Aſſaron, *ſed* Saronas *apud* Lucam *legit, plagã intelligens campeſtrem iuxta* Lyddam. Et *in libro de locis* Actorum Lucæ, Saronas, *inquit, quod interpretatur* Campeſtris *regio, eſt* Cæſareæ Palæſtinæ *uſq; ad oppidum* Ioppe *pertingens.* Et *mox paulò,* Sed & *inter montem* Thabor & *ſtagnũ* Tiberiadis, *regio* Saronas *appellatur.* Porrò Saron *idem author in* 35. *caput* Iſaiæ *ſcribens, campum uel loca campeſtria interpretatus eſt.* Emaus *authore* Luca *prioris libri* 24. *cap. ſexaginta ſtadijs ab* Hieroſolymis *abfuit: uetus oppidum, & cui* Romani *poſt deuictam* Iudæã *nomen mutarint, à uictoria* Nicopolim *appellan-*

Ager ſanguinis.

Arimathea.

Lydda.

Aſſaron.

Saronas.

Saron.

Emaus.

appellantes. Plinius 5. libro Emaum inter Iudææ toparchias cenſet. Noſtris memorabile Emauntis nomen eſt, ob Chriſtum quum à reſurrectione cum diſcipulis hæſitantibus profectus, cœnatusq; ex panis fractione cognitus eſt. Ioppe uicus, quondam oppidum uicinum Dioſpoli, & antiquius terrarum inundatione creditum Pomponio, à quo & Ioppica toparchia cognominata, aſpero & importuoſo littori noſtri maris impoſita, bellis Iudaicis quod Neronis auſpicijs, ductu autẽ Veſpaſianorũ actũ eſt, ſæpe direpta, poſtremo euerſa eſt. Vulgo hodie Iaphet dicitur, primaq; in Palæſtinã peregrinãtes excipit. Extãt adhuc ueterũ ædificiorũ ueſtigia quædã in ædito littore, iuxta quæ domus aliquot raræ et paucæ habitãtur. Ioppe Petrus princeps apoſtolorũ apud Simonẽ coriariũ diuerſatus, diſcipulam dñi cui Dorcas nomen erat, à mortuis ſuſcitauit, Act. 9. Clariſsima autem urbiũ Palæſtinæ Cæſarea, ante Turris Stratonis uocata, quam bellis fractam Herodes Antipatri filius continuo decennio non æſtimandis ſumptibus extructam Cæſaream in gratiam Auguſti Cæſaris uocauit, cui & templum erexit, & ludos quinquennales ſiue Olympicos dicauit. Caput eam Iudææ fuiſſe ante diximus, quare & noſtris metropolis facta eſt. Sed clara ante omnia celeberrima eccleſia, quæ à Cornelij Italicæ cohortis Centurionis primum domo Petri miniſterio cõuerſa baptizataq; exordium

Ioppe.

Cæſarea.

ſumpſit, cuius Lucas Actorum decimo capite memi-
Actorum 18. nit. Certe Paulus alicubi eccleſiam, quæ in domo Cor
Philippi domus. nelij Cæſareæ eſſet, ſalutari iubet. Habuit & Philip-
pus euangeliſta in ea urbe domum uel Pauli hoſpitio
nobilem. Hieronymus in uita Paulæ indicat, ſua ætate
cellulas quaſdam eo loco monſtrari ſolitas, in quibus
Philippi filiæ prophetæ manſitaſſent: meminit harum
Lucas Actorum uigeſimoprimo. Huius Cæſareæ epi-
ſcopus fuit Euſebius ille Pamphili cognominatus, uir
doctiſsimus & diligentiſsimus, ſub Conſtantino Impe
ratore, cuius & uitam ſcripſerat. Eius Eccleſiaſtica hi
ſtoria, & opus Chronicum, præterea & de Præpara
tione euangelica libri extant. Tanta amicitia Pamphi
lum coluit, ut ab eo cognomen ſit mutuatus. Aluit &
Origenem hæc urbs, & bibliothecam habuit Pamphi
li & Euſebij diligentia inſtructiſsimam. Pamphilo au
tem, Maximino in noſtros inſaniente, in ea ipſa urbe
martyrio coronato, Euſebius ſub Conſtantio demum,
Conſtantini filio mortuus eſt. Eſt & Stratonis turris
dictus locus alius à Cæſareæ Ioſepho, haud procul
Hieroſolymis, ubi Ariſtobulus Hircani Iudæi filius
Gaza. Antigonũ fratrem inſidijs petitum interemit. Gazam
urbem pleriq; Iudææ tribuunt: nam ad tribũ Iuda per
tinuiſſe eam conſtat, uetuſtiſsimam autem fuiſſe ſacra
hiſtoria teſtatur. Quanquam ſuſpicari uideo Hierony
mum, ſit ne hæc uetus illa Gaza, an alio in loco ſita,
quam

quam temporum iniuria extinxerit, alio mox in loco eius nomine Gaza enata, quæ hodieq; extet. Pomponius *libro* Geographiæ *primo, à* Cambyſe Perſarum *rege uocatam autumat, quoniam bello contra* Aegyptum *ſuſcepto, illò regias opes contuliſſet.* Curtius *ait* Gazam *uocari eas* Perſis, Pomponius *Aerarium maluit.* Vtcunq; *ea habeant, conſtat* Gazam *expugnatu etiam* Iudæa *celebrem fuiſſe, ſabuloſo quidem nec admodum fertili agro ſeptam, fertilem tamen,* Chriſto *& apoſtolicæ doctrinæ munere felicem.* Habuit *inter alios eximium doctrina & pietate uirum* Syluanum *epiſcopum illum, qui* Diocletiani *iuſſu interfectus & martyrio coronatus eſt.* Portus Gazæ *clariſsimus in ipſo littore uiginti ſtadijs ab urbe abeſt, quem* Conſtantinus Imperator *de ſuo aliquando nomine* Conſtantiam, *deinde* Iulianus *iterum* Gazam, *ſed maritimam uocari uoluit.* Et *ex mediterraneis* Iudææ *præcipua fuit* Bethleem *ciuitas,* Dauidis *patria, memoria autem nati* Seruatoris *ſacratiſsima.* Ioſephus *neſcio qd ſecutus libro* Antiquitatum *octauo, hanc &* Hebron *pariter uetuſtam, à* Roboam Salomonis *filio conditas exiſtimat: magno errore, quum longe illo antiquior utraque fuerit, niſi reſtauratam ab illo fuiſſe intelligimus.* Abeſt *à* Hieroſolymis *ſexto miliario in partem* Meridiei. Locus *ipſe ubi natus eſt dominus* Ieſus, *ab eius regionis* Chriſtianis *ſemper magno in*

Bethleem.

tt 2

honore habitus,ſed ſimpliciter ut erat,relictus, oſten ſusq; aduenis.Poſtea Helena Conſtantini coniunx magnifica templi ſtructura complexa eſt. Sanè magnus ac neſcio an ſuperfluus etiã uſus templorum hac ætate increbuit. Nam & Oliuarum monti templum impoſitum, & in eo loco ubi Chriſtus orauit pariter eccleſiam extructam fuiſſe ex Hieronymo conſtat. Ego natiuum locorum ſitum, ut erant quum Chriſtus in terris ageret, uiſere maluiſſem quàm recentium ædificiorum ornatũ intueri.Sed periſt tamen maior pars tantorum ſumptuum, Perſarum & Sarracenorum incurſionibus.Diuus Hieronymus ætate iam ingraueſcẽte,quũ ſui ſæculi mores,& quorundam etiam epiſcoporum inſolentiam faſtidiret,in rus illud Bethleemiticum ſeſe cõtulit,nec procul oppido cellulam,hoc eſt, domum uitæ à turba remotæ paratam, quam Græci μοναστήριον ea cauſſa uocarunt,cum paucis amiculis incoluit.Id nominis ad ea quoq; loca translatũ eſt, in quibus plurimi ſimul habitant.Et Monaſterion dictum,quod alio nomine Cœnobium,hodie ut immutata religione,mutato etiam nec ſatis probato uocabulo,Clauſtrum dicitur. Hieronymus Cellulam ſuam uocat,haud longe ab Archelai ſepulchro,quod in publica uia ſpectabatur, in qua nonageſimoprimo ætatis anno imperante Theodoſio exceſſit. Anno poſt Chriſtum natum, CCCC. XXII. Vir eruditionis &

diligentiæ

Quum de oratione Christi dicimus, primum eremitario eius consideranda est. Nam ideo orauit quia tentatus est. Eremitarius est autem ideo, ut possit compati Hebr. 4. Deinde orauit, ut suo exemplo et nos fide confirmet, et sciamus nos exaudiri quia ipse exauditus est (Hebr. 5.) sicut ait: In illo die in nomine meo petetis. Joannis 16. Quod vero Christus orare solitus sit, scribitur Mat. 14. Mar. 6. Luc. 9. Marc. 1. Luc. 5. 6. 21. Joan. 8. Et quandoque totas noctes. Non dubium quin pro salute nostra. Nam quales eius orationes fuerint, vel illa nouissima oratio (quae scribitur Joannis ca. 17.) est argumento.

diligentiæ incomparabilis, & qui trium linguarum, Hebrææ, Græcæ et Latinæ peritiſſimus fuerit. Falſum autem Monachum eum, ut hodie ſunt Monachi, aliiue regulæ quàm doctrinæ Chriſti, aut Votis illis, quibus hodie iurati quidam ſeruiunt, mancipatum fuiſſe. Hoc enim Monachorum genus Hieronymi ætas in totum ignorauit, & longe alij erant qui tum Monachi dicebantur. Qua de re qui noſſe uelit, Deſiderium Eraſmum in Vita Hieronymi legat. Erat in eodem tractu Chebron oppidum uetuſtiſſimum Philiſtinorum metropolis: ante Cariatharbe dictum, quoniam quatuor uirorum, Adam, Abraham, Iſaac & Iacob uicus eſſet, in quo ſepultos illos Hebræi affirmant. Fuerunt inter hæc ab Herode condita oppida, Alexandrium, munitiſſimo loco in memoriam Alexandri filij: Herodium pariter munitum, à quo poſtea circumiacens regio nomen traxit, ut libro quinto, capite decimoquarto Plinius ſcribit. Fontes iuxta fuerunt aquarum ſalubrium, quorum alter frigidus, alter calidus, non procul remotis ſcaturiginibus, medico balnearũ uſu, quorum Ioſephus meminit. Sed & patris memoriæ conſulturus Herodes, urbem condidit, & Antipatrida uocauit, fertili in loco & amne preterfluo, ad quam milites iuſſu Claudij Lyſiæ tribuni, ſecunda uigilia Paulum à Hieroſolymis iumento impoſitum deduxerunt, Actorum uigeſimotertio. Bellis mox paulò attrita eſt,

Chebron.

Antipatris.

& Hieronymi ætate ſemidiruta iacuit. Eſt & Cypris ciuitas ab Herode in Iudæa in Cypridis matris memoriam extructa. Trans Iordanem autem inter celebriora, Macherus, ſecunda quondam arx Iudææ ab Hieroſolymis Plinio, ubi Ioannem Baptiſtam ab Herode decollatum fuiſſe creditur. Iuxta fons calidus medicæ ſalubritatis Callirrhoë, aquarum gloriam ipſo nomine præferens, Plinio. Hoc ipſo fonte Herodes rex diu lauit æger, ſed nullo fructu, quum fatalis eſſet morbi cruditas. Nonnulli & Bethabaram Iudææ tribuunt trans Iordanem, Ioannis baptiſmo notam, Ioannis primo capite. Quo loco ob ueteris baptiſmi memoriam multos fratres baptizatos fuiſſe ætate ſua Hieronymus tradit. Et Conſtantinum Imperatorem expeditionem in Perſas meditantem, hac cauſſa baptiſmum diſtuliſſe traditur, quod cupiјſſet in Iordane baptizari. Sed morbo interceptus haud multis ante mortem diebus ab epiſcopo Nicomedienſi admodum grandis natu tinctus eſt, Læto. Certe Ramah Iudææ uetuſtum oppidum, cuius Ieremias trigeſimoprimo capite meminit. Locum citauit Matthæus capite ſecundo. Ante omnes autem nobilis Hierichus, non tam diues & felix Balſami uinetis, quàm beata quondam fragrantia prædicationis Chriſti, quem frequenter his in locis uerſatum Euangeliſtæ indicant. Sed & Zacheum

Bethabara.

Ramah.

Hierichus.

cheum in eo tractu de arbore uocatum conſtat. Vrbs ipſa in planitie ſita, ad latus montem habet ſuperne ſterilem, cuius decliuio Balſamus ſeritur, humilis arbuſcula, nec abſimilis uiti, quæ æſtate aliquoties inciſa gratiſsimi odoris lachrymam fundit, quam opobalſamum dicunt: ſurculi item & ſarmenta de ea reſecantur, quæ & ipſa magno ueneunt. In ſola autem Hierichunte liquor ille manat, Plinio. Quanquam Dioſcorides primo libro & in Aegypto naſci Balſamum, & in Cœleſyria quæ inter Libanum & Antilibanum iacet, Strabo: præterea in Arabia Sabeorum tractu maritimo Hermolaus, prouenire exiſtimant. In una certe Hierichunte naſci Balſamū etiā Iuſtinus trigeſimoſexto libro uidetur innuere, ut ſit uериſimile æmulatione factum, ut nomen celebre & famigeratum etiam alijs pariter odoriferis humoribus ſit attributum, quo pretium adcreſceret. Fontem autem Hierichuntis magnum & riguum, quem miris laudibus ab accolis celebrari Ioſephus ſcribit: peſtilentem ante Heliſeus purgauit, ſicut quarto Regum ſecundo capite traditur. Proxime Aſphaltiten oppidum eſt Maſſada excelſo loco & aſpero ſitū & Ionathæ pontificis quondā opus, quod Herodes natura loci adductus munitiſsimum fecit, addito etiā commeatu cæteriſq; ad ferendā obſidionem neceſſarijs, ut

ſi ita libuiſſet, in illud ſe tuto profugio poſſet recipere. Inſignes quondam fuerūt Sodoma & Gomorrha, quippe quæ reges ſuos, ſcriptura teſte, habuerint, & in omnium fertiliſſima ualle conditæ fuerint, quod palàm Moſes Geneſis decimotertio indicat. Hieronymus uallem Salinarum dictam fuiſſe tradit. Quanquã Moſes Siddim dicere eam uidetur Geneſeos decimo quarto, Omnes hi (inquit) conuenerunt in uallem Siddim, ubi nūc eſt mare ſalis. Porrò mare Hebræi etiam lacum nominant: ut hoc loco Aſphaltiten, quem hodie mortuum mare uulgus appellat. Tacitus de eo loco libro uigeſimoprimo in hæc uerba prodidit, Haud procul inde campi, quos ferūt olim uberes, magniſq; urbibus habitatos, fulminis iactu arſiſſe, & manere ueſtigia, terramq; ſpecie torridam, uim frugiferã perdidiſſe: nam cuncta ſponte ædita aut manu ſata, ſiue herbas tenus aut flores, ſeu ſolitam in ſpeciem adoleuere, atra & inania uelut in cinerem euaneſcūt. Ego ſicut Idumæas urbes igne cœleſti flagraſſe quondam conceſſerim, ita halitu lacus infici terram, corrumpiq; ſuperfuſum ſpiritum, eoq; fœtus ſegetum & autumni putreſcere reor, ſolo cœloq; iuxta graui. Hæc Tacitus. Samaria diei itinere ab Hieroſolymis diſtans clariſſima etiam Regum tempore ciuitas, uiginti ſtadiorum ambitu complexa, primum omnium ab Amri Iſraëlis rege in monte condita, quem à

Sodoma.
Gomorrha
Samaria.

Somer

Somer domino eius agri duobus talentis emptum, urbi extruendæ deſtinauit, conditamq́; Somer à domini nomine dixit, quemadmodum in hiſtoria Regum *libro quarto, cap. decimoſexto legimus.* Eam *&* Iſaias *qui ſub* Achab *rege prophetauit, ſeptimo cap.* Schomeran*, ut celebrem iam & notam uocat: ut errare conſtet eos, qui eam poſt translatum* Iſraëlem*, hoc primum nomen accepiſſe ab* Aſſyriorum *præſidijs putarunt.* Eam *urbem ab* Hircano*, inteſtinis* Iudæorum *bellis, haud multo ante attritam,* Herodes *rex, in gratiam* Auguſti *reſtauratam* Sebaſten*, hoc eſt* Auguſtam *nominauit.* Hodie *ueſtigia tantum ueteris ſtructuræ cernuntur, neq; quicquam ferè eſt eius reliquum (ea eſt bellorum rabies) præter ſolū nomen. Sanè &* Philippi *prædicatione clara fuit* Act. VIII. Vicina *autē ei* Sichimam*, quæ poſt* Neapolis *dicta, fontem illū* Iacob *iuxta habuit,* Chriſto *cum* Samaritana *colloquente memorabilem.* Sed *&* oppidum *eius hoſpicio clariſsimum factum eſt,* Ioan. IIII. Ex Neapoli *illa* Iuſtinus *fuit, ex* Philoſopho Chriſtianus *factus, deinde delatione* Creſcentis Cynici Romæ *ob* Chriſti *nomē interemptus.* Cuius *in* Catalogo Hieronymus *meminit.* Contra Gitto *uicus ignobilis* Samariæ Simonis *illius* Magi *patria, quem ſub* Claudio Cæſare Romæ *pluri mis admirationi fuiſſe* Euſebius *tradit lib.* III. *Præterea* Caparathea *itidem uiculus qui* Menandrum *ge=*

Sichem.

Simon Magus.

nuit Simonis diſcipulum, & ipſum Magica uanitate celebrem, quorũ ſit ab Irenæo libro de Hæreſibus primo, mentio. Meminit Simonis Lucas Act. 8. Contra urbem Samariam meridiem uerſus, duo oppida uiſebantur Ioan. Baptiſtæ munere clariſſima, quorum alterũ Salem Iordanis ripæ impoſitum, alterum Aennon ad eundem amnem ſitum, quo loco plurimi ſunt à Ioanne baptizati, Ioan. 3. Prædicare ille in deſerto, trans Iordanem pœnitentiam cœperat, mox & in Bethabara aqua tinxit, ubi & Chriſtum baptizatum ex his quæ Matth. 3. & Ioannis 1. cap. traduntur, apparet.

Salem.
Aennon.

IORDANEM amnem Libani iugum quod Antilibanũ uocant duobus fontibus effundit. Porrò Libanus adeò altus eſt, ut media etiã æſtate niuibus tegatur. Tacitus enim de Iudæa locutus, Præcipuũ, inquit, montiũ Libanũ erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacũ fidumq; niuibus, &c. Fontiũ alter Ior, alter Dan, dictus Ioſepho, qui ut undis, ſic & nomine coëunt, & Iordanẽ faciunt. Amœnũ eũ eſſe & nauigiorum patientẽ Strabo author eſt. Plinius libro 5. ipſum fontẽ fluminis Paneada uocat. Ioſephus montẽ ex quo labitur, Panium. Sed & oppidũ præclarũ inter riuos fontiũ ſitum, Paneas dictũ eſt, quod ipſum Philippus Herodis Tetrarchæ frater, in Auguſti honorẽ à quo eas terras acceperat, ornatiſſime extructũ Cæſaream uocauit, & Philippi poſtea cognominata eſt, ad differentiam

Iordanis.

Cæſarea Philippi.

rentiam

uentiam eius quam in Iudæa rex Herodes extruxerat. Cæſareæ Philippi Matth. 16. capite meminit. Euſebius autem Cæſarienſem mulierculam illam fuiſſe ait, quã profluuio menſtrui laborantem, Capernai Dominus liberauit. In cuius rei memoriam ſtatua in eo oppido, Gentium more, poſita fuerit, quã uidiſſe ſe Euſebius libro 7. Eccleſiaſt. hiſtoriæ teſtatur. Iordanis ipſe haud procul à fontibus lacũ fundit, quem Samachonitin uocant, à quo centum uiginti ſtadijs delapſus, alium efficit priori maiorem Tiberiadis cognominatum, à Tiberiade ſcilicet oppido, quod Herodes Tetrarcha paternum morem ſecutus, ne immemor Tiberij beneficiorum uideretur, extructum eius Principis nomine donauit, à quo & Tetrarchiam acceperat. Scriptura eum Geneſar & Geneſareth nominat. Quo dimiſſo Iordanis multa ſolitudine peragrata demum ſe Aſphaltiti lacui miſcet, aquasq́; laudatas, ut ait Plinius, perdit peſtilentibus mixtas. Neque dubitandum uidetur illis in locis aliquem meatum iam olim fuiſſe, qui amnis decurſum exceperit & ebiberit, cum nulla exitus ueſtigia appareant, & lacum illum præſertim ea magnitudine qua nunc eſt, non ſemper fuiſſe, non modo ſacræ ſed & prophanæ literæ indicent. Et Ioſephus primo libro Antiquitatum puteos ibi fuiſſe olim, nec paludem effectam antequam Sodomorum ciuitas euerteretur, affirmet. Ipſe Geneſar

Matth. 9. Marc. 5. Luc. 8.

Lacus Tiberiadis.

Geneſar. Geneſareth.

amœniſsimo ſitu clauditur, cumq; latitudine quadra-ginta, longitudine autem centum ſtadia habeat, nihi circa illum effœtum, nihil ſterile eſſe cernitur. Vites, *palmas, nuces, oleas habet, & aquæ eius non ſuaue modo potu, ſed etiam æſtate recentes & gelidæ exi-ſtunt.* Piſcium *uerò ſupra alios eximius ſapor eſt.* Op-*pida in littore multa, ſed memoratiſsimum* Capernaũ, Iordanis *oſtio lacum introeuntis proximum, frequen-tiſsimo* Chriſti *non hoſpitio ſolum, ſed & opere mi-rabilium rerum celebre. Secundum ab hoc eodem lit-toris tractu* Tiberias, *de quo dictum eſt.* Hinc Tari-*cheæ ſunt ſeu* Tarichea *(utroq; enim modo profer-tur) munita ciuitas, à qua & lacus aliquando* Tari-*cheus dictus.* Hæ à Veſpaſianis *patre & filio in bello* Iudaico *obſeſſæ, & prælio nauali captæ ſunt, multis milibus hominum interemptis & lacu ſubmerſis, ue-lut* Ioſephus *lib.* III. *belli* Iudaici *ſcribit. Supra* Caper-*naum* Bethſaida *ad ipſam iam* Iordanis *ripam ſita eſt, quam* Philippus *multis magniſq; ædificijs ornatã, mu-tato nomine* Iuliadem *nominauit, ob* Iuliam Auguſti *fi-liam, cuius in hoc tractu etiam* Plinius *meminit. Adeò alte* Antipatri *familiæ regnandi libido inſedit, ut non deſtiterint uelut gratitudinẽ teſtari, dicatis urbium no-minibus, ne nõ memores eſſe liberalitatis uiderentur, qua* Romani *in illam eſſent uſi.* Pari *enim ſtudio &* Herodes *illius frater præter* Tiberiadem *alias quoq; urbes,*

Capernaũ.

Bethſaida.

urbes, aut nouas condidiſſe, aut inſtauraſſe, dicatis nominibus legitur. Hæc eſt Bethſaida quæ Petrum, Andream & Philippum apoſtolos Domini genuit, quanquam ingrata alioqui in Chriſtum cuius doctrinam non recepit: unde illa comminatio Lucæ X. Væ tibi Corazim, uæ tibi Bethſaida. Haud longe enim à Bethſaida Corazim oppidum abfuit, Chriſti miraculis celebre, Matth. XI. Fuit & Magdalum in eodem tractu, inter lacum & montem Thabor, qui aliàs Ithabirius dicitur, transformatione Chriſti clarum. Iuxta Magdalum Dalmanutha erat, haud ita longe à Bethſaida, cuius loci Marcus VIII. cap. meminit. Præterea ciuitas Nain non minimi nominis inter Galilææ oppida, in cuius portis uiduæ filium Chriſtus ex mortuis ſuſcitauit. Cana notum oppidum, & primo Domini miraculo memoratum. Oppidum autem NAZARETH ædito in loco ſitum, angelicæ ſalutationis, ſed & incarnationis uerbi cœleſtis, & nutritij Ioſephi memoria ſacroſanctum, à quo Chriſtus Nazarenus cognominatus. Et Chriſtiani Nazareni, quanquam per contumeliam dicti, ut Iulianus Imperator eos Galilæorum filios & Chriſtum Galilæum uocitabat. Alioqui ex Nathanaelis uerbis Ioan. 1. cap. colligitur non admodum integris moribus Nazarenos fuiſſe. Sed ne Iudææ quidem illo ſæculo quicquam integrum erat, ut merito Ioannes in initio ſui Euangelij,

Corazim.

Magdalum

Thabor.

Dalmanutha.

Nain.

Cana.

Nazareth.

in propria ueniſſe Chriſtum, & à ſuis non receptum fuiſſe conteſtetur. Et *Chriſtus neminem prophetam in patria acceptũ eſſe palàm monuerit.* Proinde in totũ *nihilo eſt deterior electorum cõditio quæcunq; demum nota de communi hominum culpa illis aſpergitur, modo ipſi ſeſe malorum conſortio non inuolue*rint, & proba durent conſcientia. Zabulon non tribus modo, ſed & oppidi nomen, Neronis ætate munitiſſimi, de quo eſt apud Ioſephum. Memoratur et Sion inter Galilææ loca, & Sephoris minime obſcura ciuitas. Trans lacum autem, primæ laudis ager eſt Geneſareth dictus, qui lacui dedit nomen, aliquot ſtadijs iuxta ripam expanſus eximia fertilitate. Cuius oppida, Gamala aſpero & munitiſſimo ſitu, & Gadara, à qua Gadareni dicti. Marci 5. Venerunt traiecto mari in regionem Gadarenorum, &c. Luc. 8. Nec longe diſtans Gergeſa, quæ & Geraſa dicta, unde & Geraſeni & Gergeſeni nominantur. Matth. 8. de Chriſto qui à Capernao in diuerſam ripam nauigauerat, Et cum ueniſſet, inquit, ad ulteriorem ripam in regionẽ Gergeſenorum, &c. Iuxta Gadaram lacus eſt Straboni aquæ adeò noxiæ, ut potum in eo pecus, & ungues & pilos amittat. Zieglerus minime leui coniectura, ſues illas quas legio dæmoniorum inuaſerat, eum in lacum præcipitatas fuiſſe annotauit. Eſt eodẽ in tractu Amathus thermarum ſalubritate famigerata, cui

Zabulon. **Genezareth.** **Gadara.** **Gadareni.** **Geraſeni.** **Gergeſeni.**

ta,cui ab aquis nomen eſſe Ioſephus tradit. Sed abundat præ cæteris Syriæ locis calidæ aquæ fontibus Palæſtina. Remotior autem à lacu, & iam in Arabiæ deſerta inclinans Pella, & clariſſima urbium Philadelphia & Scythopolis, à Scythis Syriã aliquando ingreſſis dicta. Nec tacendum oppidum Abila, Eliſæi prophetæ patria, & Theſba, à quo Theſbiten Eliam dictum conſtat. Sunt & Giſcala Galililææ municipium, quo à Romanis capto, parentes Pauli Tarſum migraſſe in Catalogo Hieronymus aſſerit. Idem author & Paulum Giſcalis natum & Tarſum cum parentibus ueniſſe, neſcio quid ſecutus, prodit, cum ipſe tamen Paulus toties admoneat nõ Giſcalis ſe ſed Tarſi natum. Et de Palæſtinæ quidem locis hactenus.

PHOENICIA.

A Cæſarea uenientem Iudææ oram, urbs Dora excipit, inde littoribus magno flexu ad Boream uerſis Carmelus imminet mons celſus et ſcripturæ etiã celebris, à cuius uertice ampliſſimus in mare proſpectus eſt. Tacitus lib. 17. inter Syriã & Iudæã Carmelũ poſuit, puto quia Phœniciã Syriæ annumerat. Maritima autẽ fermè regio eſt Phœnicia, contigua Galilææ quoad uſq; Libano mõti approximat. Quin Libanus Syriam à Cœle & Galilæa gentium

Phœnicia.

ęditiſsimis iugis diſterminans, Phœniciam *&* *oram eam quæ* Tyrijs *adiacet, demiſsior iam & minus arduus ingreditur*. Trans Libanum *quicquid* Phœniciæ *eſt*, Syria *circumfundit, eoq́; terrarum confinio factum, ut qui iuxta habitant uoce compoſita* Syrophœnices *dicti ſint, perinde ut alijs locis ſæpe, ut* Celtiberi *in* Hiſpania, *in* Aſia Gallogræci, *in* Africa Libyæthiopes, *&c. Sed &* Syrophœniſſæ, *ut arbitror, ab hoc loco nomen fuit cuius meminit* Marcus VII. *capite. Prima urbium celebriorum, &* Iudææ *proxima* Ptolemais *colonia, maritima, amœno montium iugo clauſa, cum amne* Belo, *lente meante, limoſoq́;, & inſalubrium aquarum, ſed celebri tamen ob arenas quas tot retro ſæculis uitrarijs officinis exhibuit: quarum fine trigeſimiſexti libri* C. Plinius *meminit. Hæc ciuitas* Paulum *ex* Aſia *regreſſum cum ſuis excepit, die uno apud fratres moratum*, Act. XXI. *Deinde promontorium* Album *dictum, & mox ſplendidiſsima quondam* popul. Rom. *colonia* Tyrus, *ſeptingentorū aliquando paſſuum interuallo remota à littore, et plane inſula, antequam eam* Alexander *aggere immiſſo continenti adnecteret*. Ioſephus CC. XL. *annis ante templum* Hieroſolymitanum *conditam putat. Certe mentionem eius in libro* Ioſue *ſcriptura facit, ut facile inde uetuſtatem æſtimare liceat.* Huius rex olim Hiram *ille, ſiue (ut* Ioſephus *uocat)* Iromus, *qui* Salomoni

Syrophœniſſa.

Ptolemais.

Tyrus.

ni Cedros et Abietes in Libano cæſas, pro tẽplo ædifi cãdo ſummiſit. Vetus hiſtoria Tyrũ ut multarũ urbiũ parentẽ celebrat: in primis autem Leptis, Vticæ, Carthaginis, Gadium, ut docet Plinius. In illa urbe Paulus ſeptem diebus cum fratribus commoratus, ſed & commonefactus ne Hieroſolyma peteret, nihil minus profectus eſt. Hieronymi uero ætas in Syriam profectis locum monſtrauit in littore, ubi ipſe cum fratribus ad nauim deductus oraſſet. Hodie nec obſcura eſt nec infrequens, ſed ante omnia clara ſepulchro Friderichi Sueuorum ducis, & Imperatoris Romanorum, quem Itali Barbaroſſam cognominant. Princeps ille maximus & ſplendidiſſimus, & tum animi tum corporis ſummis uirtutibus clarus: dubium, ſuo ne conſilio, an aduerſariorum magis inuidia ad opem Syriæ, quam nuper ceperamus, ferendam adactus, ingenti exercitu Germanicæ maxime militiæ comparato, primũ Conſtantinopolim, dein Boſphoro traiecto Aſiã ingreſſus, tanto Sarracenis & Turcis terrori fuit, ut totis horũ caſtris trepidaretur. Nec dubiũ quin eius auſpicijs & ductu partis uictorijs cõſtabiliri per Aſiã res Chriſtianæ potuiſſent, niſi aliter diuinæ prouidentiæ fuiſſet uiſum. Iam ille minorẽ Armeniã ceperat, & uictor imminebat Syriæ, exercitu & impedimentis per Taurũ in Ciliciam traductis, quo in loco dum à uenatione æſtuans cum paucis in amne quodam,

1. Regum 5. 2. Para. 2.

Actorum 21.

more Germanis uſitato, lauat & natat, undis arreptus mergitur, tanto omnium mœrore, ob caſum cum rarum tum inopinatum, ut uix fidem capiat ulli unquam Principum tantum lachrymarum fuiſſe. Ibi Fridericus filius chariſsimi parentis corpus undis extractum & loculo inditum, Tyrum pertulit, qua in urbe eximio funere & publico omnium luctu demum ſepulturæ traditum eſt, anno imperij eius XXXVII. Anno à nato Chriſto, M. C X C. Tantum abfuit ut noſtram eſſe Syriam cœleſtis illa Pronœa uoluerit. Id qua cauſſa factum ſit ipſa nouit, quæ nihil non nouit. Suſpicamur autem auaritiam quorundam obfuiſſe conatibus, quā indignam iudicarit diuina iuſtitia cui ſuccederet. Succeſsit quidē aliâs, ſed extrema dies hāc haud dubie ſagenā diſcutiet. Nūc ad inſtitutū reuertendum.

Matth. 13.

Sidon. Trans Libanum in littore Sidon iacet, Metropolis quondam celeberrima, & ducentis ſtadijs à Tyro remota, in qua uitrariæ officinæ quondam plurimæ fuerunt, arenis Beli amnis eò tranſuectis, quibus fuſis terſiſsimum uitrum conflabatur: de qua re eſt apud Plinium, & Strabonem libro decimoſexto. Sed & Matthæus teſtis eſt Chriſtum in harum urbium fines ueniſſe, capite decimoquinto, Marci ſeptimo. Et Paulus iam catenatus Sidoni applicuit, Actorum uigeſimoſeptimo.

Sarepta. Iiſdem locis Sarepta fuit ciuitas inter Tyrum & Sydonem ſita, cuius illa uidua memoratur,

ad

poeta. hisce commendat versibus. Vina mihi non sunt Gazetina: Chia: Phalerna. Quęque Sareptano palmite missa bibas. Meminit huius 3. Regum ca. 17. Luce. 4. Abdię. 1.

ad quam Heliam *ueniſſe Chriſtus* Lucæ IIII. *memi-nit.* Notandum autem Decapolim *proximam* Galilææ *gentium fuiſſe, uocabulo à decem urbibus impoſito, cuius in hoc tractu* Plinius *quinto libro meminit.* Clariſſime *autem* Marcus *ſeptimo capite, quum inquit,* Et *rurſum egreſſus de finibus* Tyri & Sidonis, *uenit ad mare* Galilææ *per medios fines* Decapolis, &c. Puto *autem & illum* Decapolitanum *fuiſſe, quem* Chriſtus *legione liberatum, ad ſuos ire iuſſit,* Marci *quinto.* Poſt Sidonẽ Berytos *eſt, haud procul ab* Lyci *amnis oſtijs, quam hodie* Barutum *uocãt omnium eius littoris, nundinario mercimonio clariſſimam.* Deinde Byblos *eſt pariter clara, &* Tripolis, *à trium urbium obtentu,* Tyriorum *ſcilicet* Aradiorũ & Sidoniorum: *quanquam* Pomponius *trinum locum ſingulis ſtadijs interuenientibus* Tripolim *fuiſſe tradidit. Sed* Plinio *magis acceditur, qui & hoc ipſo loco* Dioſpolim *cenſet, alijs diuerſo loco ſitã. Sed meminiſſe oportet quod* Hermolaus *admonet, frequenter accidere ut eadem à diuerſis, modo in* Phœnice, *modo in* Cœle, *modo in* Palæſtina *referantur.* Fluuiorum *huius littoris clariſſimi ſunt,* Adonis *proxime* Byblum *mare ingreſſus: & iuxta* Aradum Eleutherus, *toto illo tractu* Conchylio *& purpura tingendis uelleribus laudatiſſima.*

Decapolis.

SYRIA RELIQVA.

Syria.

Hinc iam proprie Syria eſt, & à Gabale promontorio Laodicea uinetis clara, libera quondam quum res Romanorũ incolumes eſſent, ex qua Pamphylus ille presbyter fuit uir magna doctrina & pietate, quem ſupra Cæſareæ coronatum martyrio diximus. Scripſit eius uitã Euſebius. Huius Laodiceæ epiſcopus fuit Apollinarius ille doctus homo, patre presbytero genitus, cuius Hieronymus meminit. Interiora ad Arabes Scenitas & Palmyrenum tractum abeunt. Proxime autem Galilæam & Libanum illum ex quo Iordanis naſcitur, Damaſcus iacet,

Damaſcus.

urbs præter uetuſtatem Pauli etiam ad Chriſtum conuerſi memoria nobilis, Actorum nono. Hieronymus innuit ætate ſua metropolim eam Sarracenorum fuiſſe, adeo iam tum imperij perrupto limite, ut externarũ nationibus tantæ urbes patuerint. Damaſci lapis Alabaſtrites naſcitur, adeo tractabilis, ut ad uaſa unguentaria excauetur,

Alabaſtra.

Alabaſtra dicta, ut Plinio XIII. lib. cap. II. unguẽta optime ſeruantur in Alabaſtris. Eſt et aliã Laodicea haud longe Damaſco, quã Seuerus Imperator Coloniæ iure donauit: ut Vlpianus Tyrius in titulo de cenſibus tradit: quanquã corrupte in eo titulo, ut alia quoq; locorum uocabula, eius urbis nomen in uulgatis exemplaribus legitur. Plinius eam ad Libanum cognominat, ad maritimæ uidelicet differentiam

tiam

tiam. Eodem loco & Chalcis eſt in fertiliſſima Syriæ parte condita, & proxime eam Abila quæ & Lyſanium Ptolemæo: unde Abilatæ dicti & Abilene Tetrarchia, quam Ptolemæum Minæi tenuiſſe dum uiueret Auguſtus, deinde Lyſaniæ filio relictam ante diximus. Sunt & aliæ clariſſimæ, ſed præcipua Palmyra, ſitu diuitis ſoli, & aquarum amœnitate ſpectabili, quanquam uaſto undiq; ambitu arenis includitur. Conditam eſſe à Salomone ſcriptura memorat, à Damaſco XXVII. millibus paſſuum, à Babylone uero ſex dierum itinere remotã, quam hodie uulgari eius gentis lingua Thadamum uocari aiunt. Citra quam Apamia fluuio, quem Plinius Marſain uocat, appoſita, ager eius eximia fertilitate laudatur, & ferũt quidam ab Alexandri ſucceſſoribus prius Pellam, ſequuta ætate Apamiam nuncupatã. Emiſa ciuitas nota eſt, à qua Emiſeni & Emeſeni dicti. Harum epiſcopus Euſebius ille fuit Emeſenus, cuius lucubratiões aduerſus Iudæos & Gentes, etiam Hieronymus laudat. Heliopolis præterea & Berœa, à qua Berœenſes Plinio, maxime autem mediterranea Hierapolis, quæ alio nomine Bambice, alia ab Aſiatica illa, de qua ſuo loco dicetur. Ab Ortu uero & Septentrione ripariorum Euphratis celeberrimum eſt Zeugma, cum ponte memorabili, & tranſitu in Meſopotamiam trito, diſtare eam ab intimo ſinu Iſſico CCCC. ſtadijs Strabo tradit. Sunt

Abilene tetrarchia.

Supra pagina .2.82.

2. Para. 8.

Marſia,

& Samoſata non incelebria, unde Samoſateni dicti, quo nomine Paulus ille fuit Antiochiæ Epiſcopus, uaniſſimæ ſuperbiæ homo, qui Chriſtum purum hominem eſſe nugabatur. Longe diuerſus ab horum ſententia, quos audio alicubi in hoc eſſe, ut credamus uidelicet cœleſtem quandã carnem Chriſtum aſſumpſiſſe: nec tam uere hominem fuiſſe quàm creditur: quorum peſſime locatum otium curioſa illa uanitate non aliud magis aſſequitur, quàm ut offenſis perculſiſq; optimorum animis, non ſe ſolũ ipſos, qui uiri boni habiti ſint, ſed etiam doctrinam pietatis ſobriã nuper tanto ſucceſſu poſtliminio reſtitutam, & ab illis tanta cum aſſeueratione defenſam, uel hoc nomine ſuſpectã reddãt, quod in iſtam uertiginem tam fœdam, demum ſtudijs illis ſuis, uelut ad errorem natis, adigantur. Hæc certe non fierent, ſi tam uenerabũdi ex ipſis adytis ſcripturarum oracula ſenſuum auferremus, q̃ arroganter et curioſe noſtros illis plerunq; ingerimus. Porrò Samoſatenum & Lucianũ illum fuiſſe conſtat, qui ob contemptum religionis ἄθεος dictus eſt, cuius decantatiſſimi dialogi ſub Traiano ſcripti circũferuntur. Comagene ad Amanum & Taurũ immittit, non magna regio, & Auguſti primum ætate prouincia facta, in qua caput Samaſata, de qua iam dictum, & Germanicia clara ciuitas à Germanicianis, id eſt, his qui ante in Germania militaſſent, ut uidetur, dicta, non autem

à Ger-

à Germanis: quanquam Germanos, ut antea quoq; in Macedonia ſub Dictatore, ita & in Syria ſtipēdia meruiſſe ſub regibus etiam Iudæorum, Aquilaſq; populi Romani in Meſopotamiam et Perſidem ſequutos eſſe cõſtat. Fuit olim Germaniciæ præclare inſtituta eccleſia, ſicut & in reliquis per me hactenus memoratis Syriæ urbibus. Sed ad maritima reuertendum, & à Laodicea quidem digreſſis mons Caſius fit obuiam, fama notior quàm ut multis referre ſit opus. Iulianus Antiochiæ hyemans eum aſcendit quo Solem ſecundis gallicinijs per tenebras orientem contueretur. Aſcenderat ante eum & Adrianus: ambitus ad cacumen XIX. millium paſſuum eſt, Plinio. Hinc Orontis oſtium eſt amnis ab Antiochia uenientis, quem inter Libanum & Antilibanum in Cœle oriri Plinius & Strabo authores ſunt. Ipſa Antiochia rerum aduectitiarum copia celebris, CXX. ſtadijs abeſt à mari, à quo & nauigia aduerſo amne intrant. Vrbem Orontes mediam diuidit, ponte ampliſsimo impoſito, & utraque in ripa urbes uelut geminæ ſuis diſcretæ mœnibus, quas demum ſolidus murus longo ambitu claudit. Condita exiſtimatur à Seleuco illo primo Syrorum rege, dein ampliatam ab Antiocho, nomen eius retinuiſſe. Ioſephus Seleuciam, Pellam, Laodiceam, Apamiam, Emeſam & Berœam, Seleuco conditori tribuit. Iuxta

Antiochia.

uu 4

Antiochiam Daphne *eſt, amœnum & ambitioſum ſuburbanum, ut uocat* Ammianus. Orontes *ipſe aliquando* Ophites *dictus, & etiam* Typhon Straboni. Nomen *datum ei ab* Oronte Cambyſæ *filio in eo merſo quidam tradunt: alij ab eo qui amnem ponte primum obduxerit.* Certe *& urbem* Orontin *aliquando dictam fuiſſe conſtare uideo.* Sed *hæc grammaticis relinquenda.* Noſtris *ſemper hæc urbs magno in honore fuit ob ueterem apoſtolorum memoriam, &* Sauli *ac* Barnabæ *uocationem, & quod prima* Syriacarum *urbium à* Damaſco, *quæ poſt digreſſos* Hieroſolyma *diſcipulos,* Chriſtianam *religionem tanta cum ueneratione exceperit.* Sed *&* diſcipuli Chriſti *hac primū urbe* Chriſtiani *dicti,* Luca *teſte* Actorum XI. Et *doctrinam* Euangelij *primū* Antiochiæ *à legis ceremonijs &* Phariſaicæ *iuſtitiæ ſuperſtitione uindicatam conſtat.* Diſſenſione *enim exorta, & conuentu* Hieroſolymis *habito, traditio* Pauli *& prophetarum qui* Antiochiæ *docuiſſent, nō recepta modo, ſed & defenſa, & contra iactatam operum iuſtitiam, magno apoſtolorum conſenſu uindicata eſt.* Antiochiæ *autem &* Petrus, *ſi* Euſebio *credimus, multis annis epiſcopus præfuit.* Et Lucas Medicus Euangeliſta, *diſcipulus & comes* Pauli *patria* Antiochenus *fuit, cuius* Euangeliorum *duo libri extant.* Vt *non ſit dubium principem quondam illam* Apoſtolicarum *eccleſiarum, & inter*

Christiani.

omnes

omnes Orientis ſummam fuiſſe. Habuit & Ignatium Epiſcopum, apoſtolici pectoris uirum, qui non dubitauit omne ſibi ſuppliciorum genus imprecari, tantum ut Chriſto demum frui liceret, cuius magna cum laude Hieronymus in libro illuſtrium eccleſiæ uirorum meminit. Mirum autem urbem à mari remotam adeò obnoxiam terræmotibus fuiſſe, ut nec bella, nec incendia frequentius nocuerint. Iuſtinianus Imperator ætate ſua concuſſam, quum reſtauraſſet θεόπολιν uelut auſpicatiore nomine uocauit. Eſt et principum inſidijs petita, Iuliano autē adeo exoſa, ut ſumma arte in illam calamū ſtrinxerit, hodieq; extet aduerſum Antiochenſes elucubrata oratio. Qui de moribus eius urbis meminerunt, aiunt paulò profuſiores in luxum & uoluptatem fuiſſe, præterea dicacitate quadam intempeſtiuiore principibus detrahere ſolitos, qua una re Iulianus offenſus, hoſtis factus fuerit, qui antè amicus fuiſſet. Noſtri quoq; quatuor retro ſæculis cum reliquis quibuſdam Syriæ locis, etiam Antiochia potiti erant, ſed et hanc (ut omnia) breui poſt tempore, maiori cum clade amiſere, quàm cepiſſent. Haud longe uerò ab ornatiſſima illa ciuitate, in prominente littore Seleucia ſita eſt, Pieria aliquando cognominata, ex qua in Cyprum commodiſſimus traiectus erat. Luc. 13. Et ipſi quidem emiſſi à ſpiritu ſancto abierunt Seleuciam, & inde nauigauerūt in Cyprū.

Seleucia.

Hæc eſt Syria, celeberrima terrarum, quam totã olim Dauidi Hieroſolymorum regi paruiſſe conſtat. Diuiſo autem Iudæorum regno, in manus Aſſyriorum uenit, & à Parthis, Medis, Perſis, Macedonibus, poſtremo uerò et à Romanis gubernata, ad extremũ in Sarracenorum poteſtatẽ peruenit. Proximis autẽ annis, Selinus Turcarum imperator ingenti expeditione in eã ſuſcepta, pulſo Sarraceno aut in deditionẽ accepto pleraq; omnia eius loca ſuæ ditionis fecit. Vrbi etiam Hieroſolymæ fœdus Mahometi ſectator præſidet.

MESOPOTAMIA.

VLtra Syriam, Meſopotamia iacet, latiſſime patens regio, neq; ſolis amnibus Euphrate et Tigri clauſa (quanquã ea parte proprie Meſopotamia eſt) ſed in Aſſyriam quoq; & Chaldæam, translato nominis uſu, ob amnes quibus itidem hæ terræ alluuntur. In Transtigritana enim regione ex Armeniorum & Medorum iugis, clari amnes in Tigrim ueniunt, Licus, Caper, Zerbis. Sed & Chaldææ magna pars non circumfluos modo maximos illos amnes Euphratem, Tigrimq;, uerumetiam irriguos habet & altero Euphratis alueo media finditur. Inde à Plinio dictum lib. 6. cap. 26. Meſopotamia tota Aſſyriorum fuit, uicatim diſperſa, præter Babylona &

Meſopotamia.

Ninum,

Ninum, &c. Quo loco has urbes in Meſopotamia cenſet, quarum tamē illa, cis confluentem Euphratis, hæc trans Tigrim, in parte Aſſyriæ poſita eſt. Vnde & à Stephano ea pars Chaldææ in qua Vr oppidum erat, Meſopotamia dici potuit, Actorum 7. de Abraham. Cum eſſet (inquit) in Meſopotamia, priuſquam moraretur in Charran. Inquit enim paulò infra, Tunc exijt è terra Chaldæorum & habitauit in Charran, uelut innuens illis locis commune Meſopotamiæ nomen fuiſſe. Porrò uocatum eſſe in Chaldæa à Domino Abrahamum, palàm illa conuincunt, quæ Geneſis XI. cap. ad finem ſcribuntur. Ea enim cauſſa Thare cum filio, nepote, & uxoribus de Vr profectus in Haran uenit, ut iret in terram Chanaan. Id ſi ſuopte conſilio, ac non uocatus Thare inſtituiſſet, profectò euileſceret uocationis myſterium. Ergo in Meſopotamia id eſt in Chaldæa uocatum, Stephanus indicat. Meſopotamia autem tota illa laxitas terrarū dicta, hoc eſt, Interamna. Ita enim μεσοποταμίας uocabulū reddidit Seuerus imperator corā ſenatu, ſi Lampridio credimus, his uerbis: Terras Interamnas Meſopotamiæ neglectas ſcilicet, ab impura illa bellua recepimus. Strabo author eſt, ab Euphrate illi latitudinē eſſe per Tigrim duorū milliū quadringentorū ſtadiorū, hoc eſt, trecentorū millium paſſuum. Vbere quidem in totum ſolo, ſed qua parte amnes irrigant, longe omnium

Vr Chaldæorum.

Vr interpretatur ignis, ſiue lumen, quod Chaldei ignem adorarent.

De uocatione Habraami a Domino ſcribitur Gene. 12.

Orientis terrarum fertiliſſima. Taurus *eam ab* Arme*nijs ſummouet, cætera amnes, ut dixi, determinant.* Ipſe Euphrates *ex* Armenia *maiori ueniens, per aſperrimas* Tauri *anguſtias duodecim millium interuallo eluctatus campeſtria Syriæ alluit, diuq́; recta in* Auſtrum *fertur aduſq; montana* Babyloniæ, *à quibus retro in* Boream *flexus uago procurſu, uelut* Tygris *alueum ueſtigaturus, incedit.* Demum *iuxta uicum quem* Maſſicen Plinius *uocat, duobus alueis non amplius coituris ſinditur.* Et *læuo quidem* Seleucia *præterita multis paſſuum milibus emenſis, in* Tigrim *influit: dextro uerò in meridem uerſus* Babylonem *delabitur mediam quondam urbe diuiſa, nunc ſolitudo eſt, quam perfluit, nec multo poſt foſſis in riuos deductus paludibus abſorbetur.* Plinius *ſcribit fuiſſe, qui* Cobarim *præfectum* Meſopotamiæ, *alueo manufacto,* Euphraten *in* Tigrim *abduxiſſe tradiderint, ne præcipiti curſu* Babyloniam *infeſtaret.* Diuerſo *à latere* Tigris *in eadem* Armenia *conſpicuo fonte ortus, non findit* Taurum *ut* Euphrates, *ſed ſubterlapſus, eo rurſum latere ubi* Aſſyria *eſt, emergit.* Eundem *autem eſſe illud argumento eſt, quod illic demerſa, hic egerit, ſummaq́; aquarum celeritate uectus, & alicubi etiam uadoſus, mox receptis amnibus auctus, diſpaleſcit ſæpe, grandes inſulas amplexus, poſtremo in meridiem recto curſu conuerſus haud procul* Cteſiphonte Euphratem

tem recipit, atq; inde ingens inter Chaldæam & Perſidis partem quæ Suſiana dicitur, in ſinum Perſicum duobus grandibus alueis euoluitur. Tigris ob uelocitatem dictus à Medis & Perſis, hoc nomine ſagittam appellantibus. Cuius rei Plinius et Curtius teſtes ſunt. Conſtat uerò utrunq; amnem poſt æſtiuum ſolſtitium increſcere & rigare proxima, ut in Aegypto Nilum, niſi quod neuter limum deuehit, aut aruis inducit, ſed undis tantum uterque fœcundus eſt. Strabo lib. 16. id fieri ob niues in Armeniæ montanis eo maxime tempore liquefactas aſſerit, Euphrate plerunq; ob nimias undas damnoſo. Proinde id ſtudium accolis eſt, ut prææaltis aggeribus alueum communiant, foſſasq; quàm longiſsime ab amne in plana diducant, itidem uallatas, ut cum libuerit, aut contineant meatibus obſtructis (quos Cataractas Marcellinus uocat) aut iiſdem laxatis in plana emittant. Idem & ad Tigris alueum fieri aſſolet, qui & ipſe adinſtar Nili ad Canis exortum tumet, de qua re lib. 25. Marcellinus. Tanta igitur in illis locis fertilitas eſt, ut exiles agri quinquageſimum, cultiores etiam centeſimum fœnus reddant, Plinio. Summa autem fœcunditas iuxta Seleuciam, terris ipſos inter amnes iam anguſtis & uelut in mucronem faſtigiatis. Interiora alicubi & deſertis ſqualent, multisq; in locis ingens aquarum penuria eſt, quod mirari ſubeat in tanta amnium frequentia. Sed & fon

tes rari,quos condere accolæ,exterarum gentium in-curſionibus,aſſolent,quo longius hoſtem penuria fatigatum,arceant.Sed & æſtus interdum tantus in Me-ſopotamia eſt,Curtio teſte, ut pleraq; animalia nudo ſolo deprehenſa interimat. Alit & leones, quemad-modum & Syria,qui cum brumæ tempore mites ſint, æſtate ferociunt. Ammianus id muſcis & œſtris tri-buit,quibus in calore incitati ſæuiant. Oppida Meſo-potamiæ plurima, ſed omnium, quæ meminiſſe refe-

Charran. *rat,Charræ præcipuum, iuxta quas M. Craſſus,gurges ille auaritiæ interijt. Nobis Abrahamo omnium credentium patre celebris eſt,qui uocante Deo, Chaldæa digreſſus Charris cum ſuis habitauit. Scriptura*

Haran. *Geneſis XII. Haran uocat id oppidum, Stephanus Charran Actorum VII.ſicut & quinto capite Iudith Charran legimus.Haud procul ea Niſibis eſt clariſſima quondam urbs,quæ & Antiochia dicta, & My-gdonia cognominata quibuſdam, ab interfluo amne Mygdone.Sed Plinius eam Meſopotamiæ partẽ à Macedonibus Mygdoniam dictam ob ſuæ Mygdoniæ ſi-militudinem,tradit, unde etiam Niſibi cognomentum ſit datum. Habuit hæc Conſtantino imperante Iacobũ Epiſcopum uirum doctiſſimum, qui Nicenæ Synodo interfuit.Sed æque clara Edeſſa fuit, frequente quon-dã eccleſia, et Effremo Diacono,qui Syra lingua ſcripſit,nobili. Meminit eius Hieronymus, qui & uolu-*

men

men eius de Spiritu ſancto in Græcam linguam tranſlatum, legiſſe ſe ait. Vicus Arbela *trans* Tigrim *eſt, inde famigeratus quod* Darium *ſupremo* Alexander *illic uicerit.Etiam ſi non iuxta* Arbela,*ſed ad* ~~Gaugamelem~~ Gaugamela. *obſcurum antea locum,* Darium *debellatū eſſe* Strabo *tradit.*Fuit *&* Cercuſium *iuxta* Xaboretorā *clara ciuitas, quam* Diocletianus *mœnibus turribuſq; fortiſsimam fecerat,ut perfugio eſſe* Romanis *poſſet.* Nicephoriū *uicum iam olim* Alexander *in memoriā uictoriæ munierat, poſtea à* Conſtante Cæſare Conſtantia *appellata eſt.*Zaita *item locus celebris,in quo* Gordiani *tumulus ille fuit,tot inſcriptus linguis,quē* Licinius *poſtea bonorū omniū hoſtis, confregit, cuius antea in* Idumæa *meminimus.* Fuit *&* Singara *proxime* Tigrim Romanæ *militiæ nota urbs, infra quā diuerſa in ripa* Ninus *quondā ſtetit, infra à nobis dicenda.*Sed *&* Amidæ *&* Miſabdæ *rerum* Perſicarū *ſcriptores ſæpe illo tractu meminere.* Notandum *uerò* Aſſyriæ *&* Babyloniæ *nomina haud raro confundi ſcriptoribus,ꝓpter uices regnorū,& alternata dominia, fuit enim tota* Meſopotamia *aliquando* Aßyriorū. *Cōtra &* Babyloniæ *tanta claritas fuit, ut &* Aſſyria *et reliqua* Meſopotamia *inde* Babyloniæ *nomē acceperit.*Neq; *iſtud tranſmittendū,præter* Arabias *ſuperius à nobis memoratas aliā in hac regione ſtatui,* Pli. Curtio,Herodiano,Solino,*cæteris* Merorū *cognominatā,*

quanquam alijs quoq; locis Meſopotamiæ, alijsq́; nominibus interim cognominati Arabes colunt. Sed illa memoratur præcipue ob fertilitatē (triceſimum enim fœnus reddit) in qua Charras & Edeſſan Plinius ſtatuit, & odoriferam etiam iam citati authores prodūt. Curtij hæc uerba ſunt: Euntibus à parte læua Arabia odorum fertilitate nobilis regio campeſtris intereſt, inter Tigrim & Euphratem iacens, tam ubere & pingui ſolo, ut à paſtu repelli pecora dicantur, ne ſatietas perimat. Cauſſa fertilitatis eſt humor, qui ex utroque amne manat, toto ferè ſolo per uenas aquarū redundante. Hæc Curtius. Neſcio autem an indiligentia lapſus, an uerò quenquam ſecutus, C. Solinus in beatæ Arabiæ relatione, inter flumen Tigrim & Euleum, illam ſtatuit, quanquam ſuſpicer eum locum inſigni menda non carere, qui tamen ex 26. cap. 6. lib. Plinij, ubi Characis fit mentio reſtitui poßit. Hieronymus author eſt Chriſtianorum ſolitariorum magnā olim frequentiam in Meſopotamia fuiſſe, quod haud dubie ſoli fertilitas, ut in Aegypto effecit, & quod in Meſopotamia maxime mediterranea ſeceſſus ſunt non pauci ſabuloſa ariditate clauſi, ſicut in Libyægypti ora Abaſes illæ, quarum libro ultimo meminit Strabo.

CHALDAEA.

Hanc ſequitur Chaldæa ab Occaſu & Septentrione, præterea & ab Ortu Euphratis ambitu

Chaldęorū regio ad orientem [illegible] inter Babyloniam et Arabiam Tygrim et Euphrate. [illegible] quia Plinius li. 6. ca. 28. Strabo li. 16. Volater. li. ii. Geographię. Abam. i. Hesaię. 5. 13. 43. Hie. i. Chaldei Hebręis Casdim dicuntur. Hesaię. 13. Danielis. i. e quibus fuit Habraam. Actorum. 7.

bitu terminata. Oram reliquam Orientis Tigris à Suſiana diſterminat. Meridianam partem ſinus Perſicus excipit. Plagam occidentalem montana illa à deſertis Arabiæ ſummouent, quæ à Ptolemæo Babylonica cognominantur. In ea, præter ſummam fertilitatē, Chaldæi quondā ſyderalis ſcientiæ præſtantia laudati, quorum oppidum Hipparenum fuit. Sed ante omnia celeberrima urbs Babylon Chaldaicarum gentium quondam caput, & quam ſummam in toto orbe claritatem obtinuiſſe aliquando, etiam Plinius affirmat. Porrò ueteres trium clariſsimarum urbium hoc tractu meminere, uidelicet Babylonis infra Euphratis in Tigrim perducti foſſam ſitæ, & Seleuciæ quæ interamnis fuit, & Nini, quæ in ora Aſſyriæ Tigridis ripæ impoſita fuit, Plinio, ita tamen ut Seleucia inter hanc & illam propemodum medio ſitu fuerit. Memoratur & Cteſiphon recentior quidem, ſed par & magnitudine & munitionibus Seleuciæ. Ninus ſanè uetuſtiſsima regum Aſſyriorum regia fuit, quam ſcriptura Niniuen nominat Ionæ prophetæ claram uaticinio, unde Niniuitæ dicti, de quibus Chriſtus Matth. XII. Condiderat eam primus Aſſur, à quo Aſſuria, ſeu quod idem eſt Aſſyria circumiacens regio uocata eſt. Deinde Beli filius Ninus maritus Semiramidis ampliauit, clariſsimis ædificijs auctam. Primus quidem ipſe, omnium qui in Aſia imperarunt. Enimuero haud aliud à diluuio, aut

Babylon.

Ninus.

Niniue.

uetuſtius aut celebrius regnum memoratur ſcriptoribus quàm Aſſyriorum. Conſtat autem & ſub Nino, uel Euſebio ſuffragante, natum eſſe Abraham, tanta illius urbis uetuſtas eſt. Sed & poſteriores reges Aſſyriorum ſeu Medorum, Iudæorum maxime cladibus notos, Ninum tenuiſſe, Hieronymus tradit, ut Phul, Teglatphalaſſar, Salmanazar, Sennacherib, quorum armis Samariam exhauſtam, & decem tribus Iſraël in Aſſyriam & Medos translatos fuiſſe diximus. Nino mortuo Babylon à Semiramide condita, & ampliſsimis operibus ornata, communitaq; eſt, tantumq; potentiæ & dignitatis acceſsit urbi, ut poſteris ſæculis etiam regno fuerit exaltata, & Ninum urbem, resq; Aßyriorum afflixerit, neque leuis cauſſa fuerit, translati imperij Aſſyriorum ad Medos, id quod annis nonaginta plus minus ante captum Iſraëlem factum legimus. Florentiſsimum autem fuit Babyloniorum regnum ſub Nabuchodonoſore illo qui Syriam maximo exercitu ingreſſus, Iudæam ſæuiſsima captiuitate exhauſit. Plinius ſexto libro, Vrbem ſexaginta millia paſſuum amplexam fuiſſe tradit, muris ducenos pedes altis, quinquaginta latis in ſingulos pedes ternis digitis menſura ampliore quàm noſtra, interfluo Euphrate, mirabili opere utroque. Hæc eſt Babylon illa decantatiſsima prophetis, & Danielis in primis uaticinio memorabilis

Tranſmigratio in Babylonē.

lis. Quam ad ſummum dignitatis, potentiæ, ſplendoris & diuitiarum prouectam, ubi luxu & libidine diffluere & uoluptate perditis regibus parere cœpiſſet, diuinæ iuſtitiæ ultio in manus Medorum & Perſarum contradidit. Capta eſt enim à Cyro Perſa & Medo Dario, Balthaſſare Nabuchadnezaris nepote interfecto, regnoq; ad Medos prius, mox & ad Perſas translato: de qua re eſt apud Danielem. Si cui uacat legat Herodotum libro primo, qui & urbis ſitum & hiſtoriam captiuitatis abunde eſt proſecutus. Mirum autem, urbem adeò potentem, ut uel orbi admirationi fuerit, ita ſubuerti diruiq; potuiſſe, ut Hieronymus alicubi tradat, ſua ætate, id eſt, Honorio imperante uix è ruderibus loci deſerti incultiq;, ueſtigia extitiſſe quæ urbis ſitum indicarent. Notum autem & Alexandrum Macedonem poſt uictum Darium & regnum Perſarum in ſe translatū, Babyloniæ mortuum eſſe anno ætatis trigeſimoſecundo, à cuius obitu diuiſo inter duces regno, cum Ptolemæo Lagi Aegyptus, Macedonia Philippo, Aſia Antigono ceſſiſſet, Seleuco, qui & Nicanor cognominatus eſt, Syria & Babylon, & reliqua Orientis pars obuenit. Qui haud multis annis à morte Alexandri Seleuciam illã à ſe nominatã, hac maxime cauſſa condidiſſe fertur, ut uicinitate Babylonẽ exhauriret, & ſui potius nominis memoriæ cõſuleret. Breuiq; obtinuit,

Danielis. 5.

ut non ſolum frequentia uicerit mox paulò Seleucia, ſed & nominis partem in ſe Babylonis tranſtulerit, Babyloniam enim uocatam eſſe eam, etiam Plinius prodit. Adeò nec regnis, nec urbibus quicquã uſpiam aut ſtabile aut diuturnum eſt, ſi laxatas ambitioni habenas permittas. Enimuero rebus Macedonum in Oriente collapſis, quum Arſacæ uirtute Parthi rerum eſſent potiti, Cteſiphon ad exhauriendam itidem Seleuciam (Parthi ambitioni etiam inuidiam coniunxerant) exſtructa, & regia Parthorum facta eſt. Hæc contra Babylonem in orientali Tigridis ripa uiſebatur, extima ferè (quod ſciam) urbium Orientis quæ ditionis Romanorum fuerit. Cæterum ut Babylonis memoria Chaldæam finiamus, uideo dubitari, ex urbe ne prior Petri Epiſtola, an uerò ex hac Babylone ad fratres per Aſiam diſperſos ſcripta ſit. Profectò Babylone ſcriptam uideri, ea uerba conuincunt quæ quinto capite leguntur, Salutat uos ea quæ eſt in Babylone ueſtræ conſors electionis Eccleſia. Hieronymus quidem in Catalogo ubi Marci meminit, Romam illius nomine figuraliter à Petro intellectam aſſerit. Sed & hanc noſtram Babylonem intelligi, nec à Petri ad circumciſionem uocati, miniſterio, neq; ab hiſtoriæ fide quæ tot annis in Syria eum egiſſe comprobat, neq; plane à literæ ſenſu alienum eſt. Neq; ambigo illic congregationem aliquam credentium fuiſſe,

Babylon apud Petrum.

cum

eum in uicina Arabia, & ipſa Meſopotamia in qua et Babylon Plinio cenſetur, præterea ultra Babylonem in ipſa Perſide celeberrimæ Eccleſiæ fuerint. Neque ignoro & in Aegypto Babylonem fuiſſe, ſed ad illam ueniſſe Petrum equidem libenter crediderim. Liberũ aũt eſt Lectori, ut in re contrauerſa, ſequi quod ſimilimum uero iudicauerit.

in finibus Arabie in terra Heliopoli. a Aphrosiopolim. Arabum lingua Chayrum dictam. nunc Alkayr vocatur. Sultani sedes. Hec a Ptolomeo tabula. 2. Aphrice ca. 5. Babylon adpellatur. De hac Raphael Volater li. 12. a Josephus li. 12. Antiqui. Iudai. ca. 13. De hac urbe dum Petrus priore suam scripsit Epistola ad Christi fideles (sparsos per Pontum: Galatiam: Cappadociam: Asiam: a Bythiniam.)

CARMANIA.

A Babylone læuorſum ad oram Perſici ſinus iacentium terrarũ prima Suſiane eſt, dein Perſis, inde Carmania. Nos uerſo ordine ꝑpter Perſicũ ſinum, de Carmania primum, hinc & de alijs ordine dicemus. Habet hæc ab Ortu Gedroſiorũ tractum ad Indos uſq; immittentem. Meridianũ latus Indicum pelagus alluit. Perſis ab Occaſu, à Septentrione Parthis coniungitur, à quibus eam & Gedroſijs altiſſima Caucaſi montis iuga alijs atq; alijs nominibus uocata dirimunt. Neq; uſquam deſertior eſt quàm ubi illis approximat. Maritimã frontẽ Oceani, celſum promontoriũ finit, inde ſenſim cedentia littora amplũ ſinum recipiunt, inſulis aliquot diſtinctũ. Inde peninſulæ forma procurrens uenientibus ex aduerſo Arabiæ montanis ita adproximat, ut fretũ intermediũ quo ſinus Perſicus funditur, nõ amplius quinq; millibus paſſuum latũ ſit, authore Plinio. Gentiũ extimam oram

habitantiũ, præcipuæ Chelonophagi & Ichthyophagi dictæ Macedonibus, quod teſtudinũ piſciumq́; Oceano captorum carne uictitent, & etiam pecori paſtum ex piſcibus parent Strabone authore lib. 15. Illarum tantam in Indico mari magnitudinẽ eſſe, Strabo & Plinius tradunt, ut ſingularum ſuperficies habitabiles caſas integant, atq; inter inſulas rubri præcipue maris his nauigent cymbis. Pomponius libro tertio Carmanos ſine ueſte ac fruge, ſine pecore ac ſedibus eſſe, & piſcium cute ſe uelare tradit. Quarum gentium & Hieronymus libro contra Iouinianum ſecundo meminit. Interiora & iam Perſici ſinus littora paulò cultiora ſunt, nec marinis tantum opibus, ſed & ære & ferro illis locis abundant. Oppida eorum plura, quorum præcipuum Alexandria, ab Alexandro conditum, quem & cultiores reddidiſſe illos & à pertinaci piſcium eſu coërcuiſſe, hiſtoriæ memorãt. Ptolemæus & Carmanam metropolim mediterraneã facit. Inter amnes primæ claritatis eſt Hytanis aurum trahens. Andanis item & Corius in eundem Perſicũ ſinum elapſi. Sophronius author eſt, etiam illi genti Thomæ prædicatione Chriſtum innotuiſſe, apud quẽ tamen niſi fallor mendoſe γερμανοῖς pro καρμανοῖς legitur. De Germanis enim inter Perſas, Parthos, Medos & Hircanos, nulla, quod ſciam, ſcriptoribus mentio, ſed de Carmanis tantum, quos Perſis & Par-

Thomas cognomento Didymus (quod geminus interpretatur) unus e numero duodecim Apostolorum a Christo ad predicandum Euangelium emissus. Matth. 10. Marci 3. Luce 6. Qui manibus suis cicatrices Christi a mortuis excitati palpavit. Joan. 20. Cuius quoque fit mentio Joan. 11. 14. 21. Actorum 1.

this

this proximos, notius eſt omnium conſenſu, quàm ut aſſertione ſit opus.

PERSIS ET SVSIANE.

INde Occaſum uerſus Perſis eſt, fertilis iam & culta, & regno quondam omnium Aſiæ maximo & potentiſsimo, nobilitata. Quippe non contenta in Syriam, Aegyptū, Aethiopiam, Aſiam, Pontū, Armenias, & regna Parthorum uſq; in Indiam ditionem propagaſſe. Europam etiam perculit, pontibus per maria ductis. Nec enim petituri Macedones Perſidem uidebantur, ni priores Perſæ Græciam prouocaſſent. Hæc gens, ut tradit Plinius, ſemper Rubrum mare accoluit, propter quod & ſinus Perſicus ab eis dictus, quem perpetuo tractu à Bagrada fluuio uſque ad amnem Oroatin tenuere, Ptolemæo. Inde uerò ad Tigrim, Suſiana eſt, utranq; ab Auſtro Rubrum pelagus finit, à Chaldæis Tigris, à Medis Caucaſia iuga diſterminant. Regni caput olim Perſepolis iuxta Araxem fluuium procul à mari condita, quam Alexander orbis terrarum ſpolijs refertam cepit & diruit, multis auri talentorū milibus receptis. Ex maritimis urbibus Cyrus frequens quondā, quā Plinius Cyropolim, Stephanus à Perſis Cyrechatā uocatam ait, in qua Epiſcopus fuit Theodoretus ille uir doctiſsimus, cuius Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lucubrationes extant, præterea

Theodoret Epus

pro fide noſtra contra Gentes libri duodecim, quos ipſe Sermões appellat, nuper à Zenobio Acciaolo Florentino in gratiam Leonis Pontif. Latinè uerſos. Fuit & Laodicea in Perſide ab Antiocho condita & Paſſagarda Magorum caſtellum, in quo Cyri ſepulchrũ fuit, Plinio. Magi Perſis magno in honore & ueneratione fuere, ut nec publica ſine eorum conſilio adminiſtrarentur, nec legitime factum uideretur quod horum ſententia non approbaſſet. Porrò Magi apud ueteres non malefici modo, ut uulgus hodie nominat, ſed artium rerumq; in naturæ uarietate eximiarum cognitione præſtantes dicebantur, quos Græci honeſta prorſus appellatione Philoſophos, Latini Sapientes uocabant. Ad quẽ modũ de Magis locutus Plinius libro uigeſimoquinto cap. 2. Pythagoram & Democritum de naturis herbarũ ſcripſiſſe tradit, peragratis prius Perſidis, Arabiæ, Aethiopiæ, Aegyptiq; Magis. Præcipue autem Perſici diſciplinã futura præſentiendi ſibi uendicabant, translatam aliquando ab Hiſtaſpe Darij ſuperioris patre à Brachmanis Indiæ ſapientibus, quos & Apollonium adijſſe Philoſtratus ſcripſit, quam poſteris deinceps illi ceu per manus tradiderint. Hi ſunt illi Magi qui ſtella ducente Chriſtum recens natum adierunt, & muneribus oblatis adorauerunt. Ab Oriente enim ueniſſe eos Matthæus teſtatur, nominatim autem è Perſia Chryſoſtomus.

Magi.

Diuus

Diuus Hieronymus Commentario in Iſaiam ſeptimo tradit illos admonitos à dæmonibus, uel inuitis Chriſtum confitentibus, qui regnum eorum eſſet extincturus. Quædam & Auguſtinus libro de Dæmonibus ad eum modum retulit. Profecto tantæ rei ſacramentum tam diſerte à prophetis prædictum, in ipſo natiuitatis filij ſui articulo, ne ſapientiam quidem & potentiam mundi huius cælãdum deus noſter duxit, æditis etiam prodigijs, quibus intelligerẽt ſupra naturæ uires eſſe quod ageretur: ſicut et paſtoribus miraculo Chriſti natiuitas angelis annuntiantibus reuelata, Lucæ 2. cap. traditur. Veriſimilius autẽ mihi uidetur Magos à domino ſancto ſuo ſpiritu pro gentiũ uocatione coram Iudæis conteſtanda, ad Chriſtum quærendum excitatos, quàm admonitos à dæmonibus. Quanquã palàm eſt, ne hos quidem illius aduentũ latuiſſe, qui ſcriptura teſte toties eum filium dei ſunt confeſſi. Sed diuerſa de illis ut ſentiamus, niſi fallor, cum ſtella admonet noua & miraculo ædita, tum etiam oblatio munerum & prona adoratio quã Chriſto exhibuerunt. Quanquam autem conſtat tranſlatitium eſſe Perſis hoc modo reges ſuos adorare, tamen hoc nouum fuit, quod nato puero, non ſuo in regno, ſed & paucis cognito, & longe diſtante regione, præterea non in arce aut aula, ſed humili hoſpitiolo hoc honoris tribuendum duxerunt. Certe & oraculum, quo per ſomniũ ſunt

admoniti palàm cõuincit, deo noſtro illos curæ fuiſſe. Plauſibilius uero quàm uerius, quod hodie uulgo creditur, reges eos fuiſſe, nõ philoſophos, cum diuerſum uel ipſa Euangelij hiſtoria innuat. In urbe etiam uictrice gentium Roma prodigia extiterunt, quæ de rege illo Gentium admonuere. Suetonius in Auguſto ex Iulij Marathi authoritate tradit, ante paucos quàm Auguſtus naſceretur menſes, prodigium Romæ factum publice, quo denũtiabatur regem populi Romani naturam parturire, Senatum exterritũ cenſuiſſe, ne quis illo anno genitus educaretur. Eos uero qui grauidas uxores haberent (quod ad ſe quiſq; ſpem traheret) curaſſe ne Senatus conſultum ad ærarium deferretur, &c. Quod prodigium Marathus & Suetonius ad Auguſtum retulere, uelut nouum foret, regem naſci populo Romano, qui Syllas iam & Marios pertuliſſet, & quorum regnum non Auguſtum, ſed Cæſarem Dictatorem cum ingenti reipub. clade exorſum eſſe conſtat. Sed & ciuiũ uana ſpes erat, liberis ſuis ea cauſſa præ Senatuſcõſulto timentium. CHRISTVS erat quem parturiebat naturæ prouidentia, qui ſub Auguſto natus eſt, cuiq; Romani Imperij magnitudo ceßit, Imperatoribus etiam regem illũ agnoſcentibus, qui antea τοῖς ἰδώλοις ſeruiiſſent.

NVNC ad Suſianen ueniendũ, quæ ab Oroati fluuio ad Tigrim trium millium ſtadiorum longitudine

in ora

in ora ipſa panditur. Habet autem nomen à Suſis metropoli, & ueteri regũ domicilio, quam Memnonem condidiſſe iuxta Coaſpem fluuium cum ponte, Strabo tradit. Plinius ab Dario Hiſtaſpis filio, cuius arcem Euleus fluuius circumeat CCL. millibus paſsibus à mari. Mediterranea Suſarum aſperrimis & difficilimis aditu montibus, præterea & latrocinijs infeſtis à Perſide ſummouentur. Per quæ loca Alexander non ſine periculo poſt Suſa capta direptaq; ſuorum copias traduxit. Curtius in Suſiana Satrapenam ſtatuit nobilem regionem proxime Suſa. Amniũ autem Suſianæ, clariſsimus Euleus eſt, uel hoc nomine celebratus ſcriptoribus, quod Perſarum reges quibus rarus alioqui uſus uini eſt, eius undas propemodũ ſolas bibere conſuerint, quia cæteris leuior puriorq; exiſteret. Notandum autem Elimaidem in Suſiane eſſe, μεγάλην, id eſt, Magnam cognominatam regionem, ad eius differentiam quæ in Media eſt, à quibus Elimaitæ & Elamitæ dicti, à Luca etiam inter peregre profectos cenſi, Actorum ſecundo. Plinius Suſianam ab Elymaide Euleo diſterminat. Proximi autem Tigri, ſunt Characeni itidem in Suſiana, Ptolemæo, quorum oppidum Charax clariſsimum, in intimo ſinu Perſico & etiam Italiæ notum quondam, Arabicarum mercium Emporiũ, Plinio. Vt ridiculi ſint, qui ex Arabia hac cauſſa reges ad CHRISTVM profectos putant,

Elamitæ.

Aurum. Thus. Myrrha. quoniam auri, thuris & myrrhæ Euangeliſta meminerit. Quaſi uero ditiſſima Perſis hiſce rebus tanta copia à uicinis Arabibus importatis caruerit, cum Plinius tamen libro VI. tradat Arabes Parthis uendere ſolitos, quæ è mari aut ſyluis caperent, nihil autē contra redimere. Ex quibus uerbis intelligimus eam Perſarum (quos & Parthorum nomine Plinius comprehendit) fuiſſe opulentiam, ut pretioſas illas Arabum merces non ullius rei permutatione, (nulla enim egebant Arabes) ſed numerata tantum pecunia comparaſſe. Locus autem Dauidis Pſalmo 70. quo abutuntur, nō ad magos, ſed reges attinet, qui in Salomonem liberales eſſent futuri. Tropologia autem ad Chriſtū, quem uel gentium principes honore eſſent proſecuturi. Supra Characen Coſſei memorātur latrociniis infames, & quoniam aſperis locis habitant, terræ cultura neglecta, rei militari & merendo æri magis dediti ſunt. Prodiga gens animæ, ut Silij uerbis utar. Nec Elamitæ huius ſceleris ſuſpicione uacui quondam, de quibus Strabo meminit. Fuerunt & Lazi, & ſupra Perſidem Vxij bellicoſi & Mardi, proximi iam à Septentrione Medorū tractui, de quo infra. Dignum autem memoria quod libro 4. Q. Curtius ſcriptum reliquit, Perſas regum arcana incredibili fide cælare, non metum, non ſpem elicere uocem qua occulta prodātur, ueteres reges diſciplinam ſilentij uitæ periculo ſanxiſſe,

xiſſe, & linguam grauius fuiſſe caſtigatam quàm ullum probrum. Qua cauſſa Alexandri conſilia ſæpe perplexa impeditaq; fuiſſent, quod eorum omnium quæ apud hoſtem gererentur eſſet ignarus. Inter ſuppliciorum autem genera excoriationem Perſas habuiſſe Marcellinus libro 23. tradit, pœnam ſine dubio uicinis etiã gentibus cognitam, ut uериſimile ſit, quod de Barptolemæo Orientis apoſtolo excoriato, proditum eſt. Nec tacendum Xerxis facinus plenum humanitatis, qui cum exercitum ſuum innumera hominum Aſiaticorum multitudine congregatũ ex ædito quodam loco conſpicatus eſſet, memor mortalitatis, illachrymari cœpit, quod poſt centum annos nemo ex illo ſuperuicturus eſſet. Hoc factũ libro IX. Valerius illi uitio uertit, uelut uitæ immodicæ cupido, ego contrà laude dignum puto, ac mirandum etiam quod regi & potentia & felicitati maximo hoc in animum incidere inter uictorias potuit, ut ſe ſuosq; mortales eſſe fateretur. Frequenter enim in proſperis rebus fragilitatis humanæ obliuiſcimur.

ASSYRIA, SITTACENA, ADIABENA.

Aſſyria Tranſtigritana eſt, & Armenia maiori à Septentrione, ab Ortu Media, à Meridie

Suſiana (*immanibus montium iugis interuenienti-bus*) *clauditur.* De hac & *in* Meſopotamia *dictum eſt.* Eius regio, qua *Suſianæ imminet*, Sittacena *dicta*, et *iam extra ambages amnium poſita, cui nomen* Sittaca *urbs dedit à* Græcis *condita, proxime montẽ* Zagrũ *ex* Medis *unientẽ*. In quo et Cteſiphon *illa cuius ſupra quoq; meminimus.* Ptolemæus *ſupra* Sittacenen Apollomiatẽ *regionẽ ſtatuit, dehinc & interamnem* Arbelitin, *de qua ante dictum eſt.* At Plinius VI. *libro confuſis nominibus eandem* Arbeliten, Paleſtinen & Sittacenen *uocat.* Strabo *eandem* Sittacenen & Apollomatem *ab* Apollonia *dictã.* Ita *fit ſæpe, ut locorum uicinitas ipſa etiam nomina communia habeat.* Sittacenam *ab* Occaſu *finit* Tigris, *tot iam fluminibus auctus, quem accolæ à* Borea *reflexum* Paßitigrim *nominant, teſte etiam* Curtio, *apud quem tamen* Phaſim Tigrim *pro* Paßitigrim *mendoſe legitur.* Inter *flumina autem ſita* Adiabene *nomen à tranſitus difficultate ſortita eſt, ferè enim tot amnibus diuiduæ terræ pro incerto uarioq; auctu curſuq; fluuiorum difficulter permeantur.* Διαβαίνειν Græcis *tranſire ſignificat, unde* ἀδιάβενκῦ α *priuatiua, ipſa regio dicta.* Quanquam Ammianus *qui his locis ſtipendia meruit à fluminum nominibus, prouinciæ datum nomen fuiſſe autumat, confeſſus interim hanc, quam diximus, ueteribus uiſam nominis cauſam.* Idem *author* Oſrobenos *illi aßi-*

li aſsignat, & horum municipium Ecbatanam facit, alia haud dubie à Medicis Ecbatanis, de quibus ſuo loco dicetur. Conſtat Oſrohenos bellicoſos homines eſſe, & ſagittandi peritiſsimos, quorum magnum numerum Alexāder Seuerus poſt deuictos illis in locis Parthos, Romanæ militiæ adſcripſit, & poſt eum Galerius Maximinus cōtra Germanos eduxit, utiliſsimam eam militiam ratus aduerſus nuda & procera Germanorū corpora. Tantæ molis erat Germanos uincere. Sed et illud non indignum relatione eſt, Romanos haud unquam longe ultra Cteſiphontem in Ortū progredi auſos, nec impune feciſſe, ſi qui tentaſſent, neq; unquam, quod ſciam aut Medorum aut Perſarum ſedibus horum ſigna illata fuiſſe. Traianus quidem feliciſsima in Parthos uictoria potitus hoſte repreſſo limitē reſtituit, Cteſiphonte, Babylone, Seleucia et Edeſſa, claris urbibus ab hoſte receptis, præterea maiori Armenia, Aſſyria & Meſopotamia in prouinciæ formam redactis. Poſt enim & Galerius Maximinus proſperrime geſtis rebus, quinq; Tranſtigritanas prouincias ſtatuit, quarum eius ſæculi nomina erant Aſarzamena, Mozena, Zabdiena, Rheumena, Carduena, quas Iouinianus Imperator poſt Iuliani caſum turpi ignominioſoq; fœdere cum hoſte icto, omnes reſtituit. Incertus igitur Imperij limes Tigris fuit, nec diu retenta ſunt, quæ ultra eius ripam Romani ce-

piſſent, ſæpe ita amiſſa, ut præſtiterit non fuiſſe capta. Proinde prudenter Adrianus promotum à Traiano limitem ipſe coërcuit, Euphrate contentus, quo dubiam fortunæ aleam declinaret. Nunquam enim inulta ceßit Romanis uictoribus Parthorum tentata libertas, neq; ulla alia gens, exceptis Germanis, illata damna ſeuerius uindicauit. Quippe qui à Lucullianis Pompeianisq; expeditionibus poſt Armenias & Syrias occupatas, ad uſq; caſum & interitum Imperij, Conſularibus & Patritijs ducibus cæſis non ſeſe modo ipſos, ſed & prouincias quas eis Romanæ uictoriæ abſtuliſſent aſſeruerint. Nunc ad propoſitum reuertendum. Nec tacenda naturæ in Syria opulentia, multis in locis liquore, quem Naphtam uocant, extante, quo non alius citius pertinaciúsue conceptum ſemel ignem fouet aut retinet. Ammianus picea eum ſpecie & glutinoſa, & bitumini perſimilem eſſe tradit, neque alia re ulla extingui flagrantẽ, quàm iniecto puluere. Similis naturæ limus eſt Comagenes ſtagno quodam effuſus, Maltham uocant accolæ, quem accẽſum terra tantum extingui tradit libro 2. Plinius. Bitumen quoq; & Aſſyria & Chaldæa tanta copia reddit, ut in Babyloniæ muris condendis pro cemento ipſum fuiſſe conſtet. Limus eſt (quod miremur) aquis extractus in Aſſyria iuxta lacum qui Ammiano Soſingites dicitur, in Iudæa uero è lacu, qui ea cauſa Aſphaltites

Gene. 11.

dictus

dictus eſt, quod cætera ſterilis hunc unum lentorem ædat, qui mortalibus in uſu ſit. Aſphalton enim Græci bitumen uocãt, et Piſſaſphalton, quod liquidius eſt, authore Plinio, quoniã ad picis naturã accedat. Curtius quoq; iuxta Menniũ oppidũ Chaldææ fontẽ eſſe tradit, qui ingentem bituminis uim effundat. Mirum autem in undis tam aduerſo incendijs elemento, materiam inueniri adeo amantẽ ignis, ut ardore eum complexa undas ita reſpuat, ut affuſis ardeat magis. Eſt & in hominũ ingenijs mirandum, quod Plinius prodidit iuxta alueũ Tigris oppidũ eſſe Babytacen CXXX. millium paſſuum à Suſis, cuius incolæ aurum odio habeant, & conquiſitum defodiãt, ne quo cui ſit in uſu. Quàm diuerſis illi à noſtris moribus diſſentiunt? Noſtrum enim illud Ouidianum eſt primo Faſtorum,

Aurea nunc uere ſunt ſæcula, plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.

Sed & in Sittacena eccleſias Chriſtianorum fuiſſe, notum eſt, ac ne nunc quidem liquet an deſierint, quum ſit certum hodieq; apud Indos frequẽtes eſſe Chriſtianos. Legimus tamen ſub Conſtantino in Simeonẽ Cteſiphontis Epiſcopum clarum uirũ, & multos ſuarum eccleſiarum fratres à Sapore Perſarum rege ſæuitum olim eſſe. Et extat Epiſtola apud Theodoretum Conſtantini ad Saporem pro fide Chriſtiana tuẽda, quam ille antea eſſet perſecutus.

MEDIA, PARTHIA, HIRCANIA.

Plinius li. 6. ca. 11. ca. 26. Iosephus li. 1. antiquit. Iuda. ca. 14. refert Mediam a Madai Iaphet filio esse adpellatam. Strabo vero li. 11. a Medo Medeæ filio. De hac Ptolomeus li. 6. ca. 2. Hieronymus ipsam inter flumina Indum et Tigrim collocat. Hiere. 25. Huic provinciæ adiudicatur Aracusiana Araniam: Parthiam: Assyriam: Persidam.

MEdia, inquit Plinius, ab Occaſu tranſuerſa, oblique Parthiæ occurrens utraq; regna includit. Habet ipſa ab Ortu Caſpios & Parthos, à Meridie Sittacenen & Suſianen, & Perſida, ab Occaſu Adiabenen, à Septẽtrione Armeniã, &c. Includere dixit utraq; regna, quod à Caſpio pelago longo introitu ad uſq; Carmaniæ deſertæ immittit, et ceu cuneo quodam Parthiam à Perſia diuidit. Sed in occidua quoq; parte Caſpios, Pomponius & Ptolemæus locant, amnibus claris Cambyſæ & Cyro proximos, ut ſit ueriſimile toto eo littore hoc nomine authoribus uocatas fuiſſe gentes quæ accolunt. Porrò Caſpium ſinum & portas Caſpias Plinius ab his qui ad Ortum habitant, dictas tradit. Iuga uero montium illic interrupta opere manufacto, ut uix ſingula plauſtra meare poſſint. Portæ dicũtur nomine Tauri montis anguſtijs admodum uulgari. Medorum caput, Ecbatana ſunt, urbs maxima, quam Seleucus condidit amœniſſimo in loco, aëreq; æſtiuo in primis ſalubri. Aeſtatem enim Ecbatanis Medorum principes, hyemem Seleuciæ Meſopotamiæ tranſigere ſolebant. Eſt & Apamea Medorum inter inſignia oppida præcipuum. Hæc eſt Media fortiſſimarũ gentium, in quam Iudæos poſt captam Samariam translatos fuiſſe, ante

De Ecbatanis videatur Iudith. ca. 1.

2. Regum. ca. 17. et 18.

ex Eu-

ex Euſebij authoritate diximus. Multis iſta annis Aſſyriorum regibus paruit, ac deinde à Sardanapalo effœminatiſsimo principe defecit, Arbacto præſide eius, ad regni culmen euecto, à quo uſque ad Aſtyagen illum, qui Cyri Babyloniæ domitoris maternus auus fuit, florentiſsime regnatum eſt annis plus minus CCCL. Hinc ad Perſas ſumma Imperij Orientis peruenit, Aſtyage à nepote ſuo Cyro capto & Hircanis impoſito, uelut libro primo tradit Iuſtinus.

Medorum reges Babyloniam devastarunt iuxta prophetiam Esaie 13. Hiere. 51. Ezechie. 1. ra.

PARTHORVM tractum Caucaſus ramis ſuis ut brachijs complectitur, cætera planum & deſertis etiam alicubi ſqualentē: plana eius æſtiuus maxime calor, montana uiciſsim brumæ frigus infeſtat. Proinde per uices in æſtate ſub montanis locis potiſsima amœnitas, in hyeme clementius per plana cœlum eſt. Parthis uicinæ gentes ſunt, à Meridie Carmani per deſerta ſparſi, à Septentrione Hircani, ab Ortu Arij, ab Occaſu, de quibus iam dictum eſt, Medi. Plinius ſexto libro ſemper fuiſſe Parthiam in illis montium radicibus tradit. Primi autem hoc nomine dicti quoniam exules eſſent, quos Parthos ſua lingua Scythæ uocant. Caput horum Hecatompylos urbs regia, quam CXXXIII. millibus paſſuum à Caſpijs portis abeſſe tradit Plinius, alicubi teſtatus in media eam Parthia ſitam eſſe. Memoratur & Choara locus amœniſsimus Parthiæ,

Chaana à Ptolemæo dicta, diuerſus ab illo quẽ libro XLII. Iuſtinus Daran ſiue Daſan nominat, authore Hermolao: ab rege Arſace in præruptis montiũ conditum, circumq́; affluẽtiſsimæ fertilitatis. Sed non eſt inſtituti noſtri, Parthorum loca, quæ plurima feruntur, referre, ſicut nec aliarum regionũ. Quid enim hoc aliud eſſet, q̃ actũ (quod dicitur) agere? monendus tantum, ut in feſtinato opere & in tranſcurſu Lector, quo locorũ cõmemoratione iuuet memoriã, & quod nobis duntaxat adumbrantibus intelligit, hoc ipſum apud ueteres ſcriptores diligentius perquirat. Plinius Arſaciam inter potiſsimas Parthiæ urbes enumerat, & iuxta Niſæos equis nobiles campos, præterea Parthiænen regionẽ & Alexandropolim conditore Alexandro, qui hæc loca cultiora frequentioraq́; reddidit: quanquam ne ſic quidem admodũ per initia profecit. Tradit enim Iuſtinus, Alexandri ſucceſſoribus quũ Orientis regna diuiderentur, adeo contemptui Parthiam fuiſſe, ut externo eam ſocio Stenagori gubernandam tradiderint. Poſt rebus felicius auctis ita creuit præter omniũ expectationem genus illud hominũ ad bella haud dubie natum, ut cum Romanis ceu diuiſo terrarũ orbe, de imperio magna gloria certarit. Paruerũt illi ab initio regni, Medis & Aſſyrijs, dein & Perſis. Macedonibus etiam ſeruierunt, quorũ uexatis & per Aſiam imminutis rebus, occaſione diſcor

die

De Parthia vide Plinium li. 6. ca. 25. Ptolemæi libro 6. ca. 5. Strabone li. 15. Habes eius mentione Arto ... ca. 2.

Justin li. 41

Stenagori

diæ inteſtinæ, fratrum Antiochi & Seleuci, ſuperioris Antiochi nepotum, primo bello Punico, L. Manlio & Attilio Regulo COSS. *defecerunt. Mox ab Arſace, obſcuro quidem, ſed magnanimo induſtrioq; homine, regni fundamentis iactis, intantum creuere, ut Trogo teſte, non minus Arſaces eis memorabilis factus ſit, q̃ ante Perſis Cyrus, Macedonibus Alexander, Romanis Romulus fuerit. Sed & memoriæ beneficentiæ eius hic honor tributus, ut omnes ex inde reges ſuos Arſaces nuncuparint. Inde res illorum indies magis ac magis creuere, ſed florentiſſimæ poſt Augusti exceſſum uiſæ ſunt, quo tempore inter eos & Romanos, ceu æmulos gloriæ, uincendi ardor palàm erupit, neq; ulla partibus quies fuit, ſubinde alternantibus uictorijs, donec Roma Imperio prorſus exuta eſt. Potentiæ hoc uel unum magnum argumentum eſt, quod Marcum Antonium triumuirum ſedecim ualidiſſimis legionibus Syriam ingreſſum, multis prælijs illorum attritum, demum fuga ſibi conſulere coëgerunt. Bello cauſſam præbuere auxilia Caſſio & Bruto in Thraciam contra Auguſtum & Antonium miſſa, præterea & dolor de Craſſo, quem haud multo antea Herodes rex deprehenſum interfecerat. Mirum autem ad eum modum illis gentibus regnum conſtitiſſe, ut toties uelut per uices mutatum, nunquam tamen interierit. Eripuerant Macedones, ſed Parthi uen*

dicarunt. Hodieq; Perſæ retinent auitam dignitatem regni. Porrò ipſa ſucceßio ad hunc modum habet. Primi Aſſyrij rerum potiti à Nino, ut ante dictum, Medis ceſſerunt Arbacto transferente, inde Cyrus ad Perſas tranſtulit, Alexander Perſis domitis Macedonibus ſuis reliquit. His Arſaces Parthis eripuit, multis ſæculis deinde ab his regnatum ad uſque Alexandrum Seuerum, annis poſt natum Seruatorem noſtrum ducentis, quo tempore ~~Artabanus rex ab Artaxerſe Perſa uictus, ad Perſas rurſum regni apicem tranſtulit~~. Inde ad Sarracenos, Turcarum mercenario milite, qui ex Scythia ſe receperat, adiutos, Perſicum regnum peruenit, haud multo ante Heraclium Imperatorem Orientis, maximoq; Chriſtianæ pietatis caſu. Ex eo enim tempore Turcæ per Aſiam celebres eſſe, & uictoriarum ſucceßionibus elati, aſpirare ad regnum cœperunt, breuiq; omni Aſia ſunt potiti. Sed aſſeuerat tamen non ita pridem Perſis regnum ſuum Tamberlanes ille, qui captum Turcarũ principem Pazaiten in cauea aureis catenis ligatũ, ad mortem ~~seu~~ [seu] uſq; uiſendam beſtiam circumduxit, exercitu eius ad internetionem cæſo, in quo ducenta millia hominum periſſe recentior hiſtoria prodidit. Id uero contigit Anno Domini, M. CCC. XCVII. Bonifacio IX. Romano pontifice. Hodie in hoc totus

Artabano rege ab Artaxerſe deuicto ad Perſas rurſus regni apex translatus eſt.

Tamerlanes rex Tartarorum gloriatus fuerat se esse iram dei in correctione hominum. Quem cum quidam suorum non infime sortis homo amice argueret quia purpuratos dignitatesque corpore innocentem turba equitibus suis promirandos obiecisset, respondisse fertur. Putasne me hominem esse? maxime erras. ego sum ira Dei correctioque hominum Caue ne posthac huiusmodi dictis aures obtundas meas.

tus eſt Pſophis Perſarum rex, ut auitam gloriam ſuis aſſerat. Nunc ad Parthos reuertendum, ac de moribus quidem eius gentis, ſi quis noſſe pluſcula uelit, legat librum quadrageſimumſecundum Iuſtini. Vino ferè factitio ex palmis utuntur in potu. Sed tanta illis bibendi auiditas, ut certent etiam, & gloriæ loco ducant, ſi quis potando quàmplurimos uicerit. Quem morem iam olim à Carolo alijsque Franciæ regibus ſublatum, nuper iterum Germaniæ noſtræ luxus militaris intulit, peſtem bonorum morum, & quo non aliud ullum uitium diſciplinæ etiam militari magis noxium aduerſúmque exiſtat. HIRCANI inter Parthyænen & Caſpium pelagus ſiti ſunt, gens ad arma nata, & quæ laboribus periculiſq; militiæ indurata, alacritate quadam prælia ineat. Clauditur ab Ortu Occaſuq; & Meridie Caucaſi iugis, quarto latere, in ipſo Caſpio littoribus tranſuerſis inter ortum Solſtitialem & Boream uſque ad Margianam procurrit. Metropolis Hircanorum Hircania dicitur, amnis clarus Sibaris, quem Q. Curtius libro quinto Sioberim, Diodorus libro decimoſeptimo Stioberim, paucis, ut ſæpe fit, literis mutatis, nominant. Multus eſt in eius deſcriptione Curtius. Ab his Caſpium mare Hircanum quoque appellatum, atrox, ſæuum & importuoſum, raris inſulis,

quarum potiſsima Talca contra Hircanorũ littus poſita. Illius aqua longe dulcior quàm reliqua marina, quod propter magnitudinem amnium, qui circumquaque magno numero Caſpium ingrediuntur, accidere non dubitat Plinius. Veteres regnum Hircanorum dixerunt, neque aliter quàm uice regni ab Alexandri ſucceſſoribus eſt adminiſtrata: quod ideo annotandum duxi, ne quis anguſtam eſſe eam regionem ſuſpicaretur. Hircanis et Parthis Thomam apoſtolum Chriſtum prædicaſſe Sophronius tradit.

SATRAPIAE CITRA INDVM.

INter Parthos Carmanosq; & Indiam terræ iacent altiſsimis montibus incluſæ, quas Satrapias, hoc eſt, Præfecturas Plinius uocat. Perſæ enim Satrapam Præfectum nominant, ut inde intelligatur, Perſarum Parthorúmque ditioni eas attinuiſſe: quanquã idem author alicubi Indiæ partem eas à quibuſdam creditas eſſe innuit. Sed probabilis mihi M. Agrippæ ſententia eſt, capite 27. ſexti libri relata, Plinio. Quæ Mediam & Parthiam & Perſiden ab Oriente Indo, ab Occidente Tigri, à Septentrione Tauro Caucaſo dicto, à Meridie Rubro mari, hoc eſt, Perſico ſinu terminat, &c. Quo loco Agrippa nõ ſedes ipſas gentium,

gentium, ſed regni limites deſignauit, ad quos Parthorum Perſarumq́; nomen pertigerit. Satrapiarum nomina ſunt, Aria, Paropamiſſus, Arachoſia, Gedroſia. Gentes, Arij, Paropamiſſadæ, Arachoſij, Gedroſij. Ptolemæus Drangianam Arachoſiæ adijcit ab Occaſu, & Carmanis finitimam. Plinius certe his locis Drangas cenſet, ſicut & Strabo lib. 15. Dignum autẽ relatione, quod Plinius annotat, Parthorum duodeuiginti regna (ſic enim diuidunt prouincias) inter duo maria uidelicet Rubrum à meridie, & Hircanum à Septentrione fuiſſe, quorũ undecim ſuperiora, à confinio Armeniæ Caſpijsq́; littoribus aduſq; Iaxartem & Scythas numerata, reliqua ſeptem meridiem uerſus inferiora appellata fuerint. Equidẽ arbitror, Margianam, Bractrianã & Sogdianã ex ſuperioribus regnis ad Parthos attinuiſſe. Et æſtimari haud dubie Parthici ſiue Perſici imperij magnitudo inde poteſt, ut nõ ſine cauſſa Romanum imperium omnium potentiſsimum indignum duxerint cui parerent. Enimuero illis ceu domeſticis uiribus Scytharum auxilia, cum quibus ex æquo (ut ait Plinius) uiuebant, acceſſerant, neq; horum ſolum, ſed & Sarmatarum Aſiæ. Perſis enim ne Albani quidem euocati opem denegarunt, & à Tanai profectum militem affuiſſe illis ſatis horum ſcriptorum fide conſtat qui res Perſarum in literas retulerunt. Singularis autem Parthorum in de-

uinciendis Scythis prudentia extitit, nam cum terram fertilem poßiderent, & immenſi reditus regnorum eſſent, ſuſpectum autem haberent Scytharum robur ſtudiumq; militiæ promptum & exercitum, præterea ardore merendi ſolicitari ſe abs quouis domino, & mercede conduci paterentur, priores ipſi Scythas multa amicitiæ ſpecie, ſed & donis, pollicitationibus ſuos fecere, ut quoties res poſtulaſſet, numeroſa illi auxilia ſummitterent. Inde *geminus fructus* Parthis *erat, & quod tuendo limite & hoſte arcendo, obiectare Scytham periculis licebat, utpote conductum & magnis ſtipendijs excitatum, quæ alea eis non ſine multo ſuorum caſu ludebatur.* Et *quod iugi militiæ moleſtia, fracto conſumptóque eius gentis robore, hoc minus rebus nouis ſtuderent, aut* Parthorum *regno quacunque cauſſa prouocati, damnoſi eſſe pergerent.* Nec *male locata ea pecunia uidebatur, quæ tanto cum fœnore ad creditorem rediſſet.* Tradit Iuſtinus *Scythas à* Parthis *contra* Antiochum *aliquando ſolicitatos, quum confecto iam bello ſuperueniſſent, calumnia tardius lati auxilij mercede fraudatos fuiſſe.* Contra *uerò* Scy*thas tantum ſibi itineris fruſtra emenſum, queſtos, ſtipendium pro uexatione uel alium hoſtem popoſciſſe.* Demum *ſuperbo reſponſo offenſos* Parthorum

Iuſtinus libro 42.

fines

fines uaſtare cœpiſſe. Ea re Phraharton regem expeditione in eos ſuſcepta, prælio uictum & occiſum fuiſſe, quod exemplum haud dubie Parthos admonuit, ne quid ſimile deinceps in Scythas committerent, ſed induſtria illa, quam diximus, obſeruarent. Nunc reliqua adijciemus. Paropamiſſus oppida habet Cartanam & Alexandriam præcipua. Amnes claros Ochum in Caſpium exeuntem, & Choem in Indum. Infra enim Arachoſia, in qua alia Alexandria amnis Arachotus ingens in Indum egreſſus ingenti prius lacu fuſo. Eſt inibi & Arachoſia oppidum Plinio, quod Ptolemæus (niſi ſit corruptus codex) Arachotum nominat à Semiramide illa Babylonica, quæ et ipſa Indos petijt, conditum. Supra eam in Occaſum æſtiuum Ariana regio ſparſis ſedibus incolitur, ob interuenientia deſerta, & pleraque loca feruoribus ambuſta. Habet amnem clariſſimum Arium & iuxta ab Alexandro itidem conditam Alexandriam. Infra quam ad Auſtrum ſiti Drangæ, dein Gedroſi, quorum pars Pandi & Arbi, frequentes populi. Amnis item maximus, & ſuo alueo Oceanum ingreſſus, Arbis Plinio & Ptolemæo authoribus dictus, cum oppido eiuſdem nominis. Sunt alij quoque Gedroſorum amnes, qui in Indum ſeſe exonerant. Plinius nono libro, de Indici

maris beluis locutus tradit Gedroſos Alexandri claſſium præfecto prodidiſſe in domibus ſe fores maxillis beluarum facere, oßibus aũt tecta contiguare. Quod ſanè minime fabuloſum exiſtimandum eſt, ea oſſa contemplantibus, quæ uel à Mediterranei maris beluis allata in templis, etiam dicata conſpiciuntur.

SATRAPIAE AD Caſpium.

SVnt iuxta Caſpium ſinum regiones trans Caucaſum Parthorum imperij, quas & ipſas Satrapias uocare libuit, quod horum præfectis paruiſſe eas conſtet. Hæ ſunt Margiana, Bactriana, quibus finitimæ, ſed magis orientales Sogdiana & Sacarum regio, ſui quidem iuris quondam ut tradit Curtius, ſed Perſis haud incognitæ. De Margiana ſic Plinius lib. 6. Sequitur regio Margianæ, appricitatis inclytæ, ſola in eo tractu uitifera, undiq; incluſa montibus amœnis, ambitu ſtadiorum mille quingentorum, difficilis aditu propter arenoſas ſolitudines per centũ uiginti millia paſſuum, & ipſa contra Parthicum tractum ſita, in qua Alexander Alexandriam condiderat, qua diruta à Barbaris Antiochus Seleuci filius eodem loco reſtituit Seleuciam. Hactenus Plinij uerba recenſuimus, qui eodem in loco urbem ſeptuaginta ſtadiorum amplam, & Margo claro amne qui in Oxum influit,

influit, perfluam, poſtremo & Antiochiam appellatam ſcribit. BACTRIANA iuxta iacet, meridie Caucaſijs montibus ab India & Paropamiſſo ſeiungitur, ab Occaſu eam Ochus amnis, ab Ortu Oxus includit. Media ipſa Bactro ſecatur præcipue claro, unde Bactrum dictum conſtat, oppidū eorum quod ante Zariaſpe uocatū eſt. Bactri horrendis ingenijs ſunt, multum à cultu Perſarum alieni, rapto uiuere & in armis eſſe aſſueti. Magna illis frumenti ubertas, cuius grana tantæ magnitudinis ferunt, ut ſingula (inquit Plinius) noſtras ſpicas æquent, condere illud aſſolent foßis in terram ductis, Syros uocant Barbari, quas ita ſolerter abſcondunt, ut niſi qui defoderunt inuenire non poßint. Similem uſum aſſeruandi frumenti Pannoniæ habent. Curtius lib. VI. Bactrianæ, inquit, terræ multiplex & uaria natura eſt, alibi arbor & uitis largos miteſq; fructus alit, ſolum pingue, crebri fontes rigant, quæ mitiora ſunt frumento conſeruntur, cætera armentorum pabulo cedunt. Magnam deinde partem eiuſdem terræ ſteriles arenæ tenent, &c. Et paulò infra, Qua mitior, inquit, terra eſt, ingens hominum, equorūq; multitudo gignitur. Itaq; Bactriani equites triginta millia expleuerant. Ipſa Bactra regionis caput ſita ſunt ſub mōte Paropamiſſo. Bactrus amnis præterit mœnia, is urbi & regioni dedit nomē. Hactenus Curtius. Non tacendum autem Bactrianis

camelis præſtare, præſtantioribus quàm Syria gignat, de quibus eſt apud Plinium. Cæterum & regni & rerum geſtarum gloria hæc regio à ſcriptoribus memoratur. Nec obſcurus eſt Eucratides rex, qui à Demetrio aliquando Indorum rege obſeſſus trecentis militibus ſexaginta millia hominum aſsiduis eruptionibus uicit. Paruerunt poſt Alexandrum & Macedonibus Bactriani, deinde uarijs bellorum caſibus agitati, non regno ſolum ſed & libertate amiſſa in Parthorum poteſtatem uenerunt, authore Iuſtino. Trans Oxum fluuiũ SOGDIANA eſt, in quorum ultimis finibus Alexander oppidum de ſuo nomine Alexandriã uocatam condidit: quanquam Ptolemæus alia quoque parte contermina Sacis Alexandriã diuerſam ab illa ſtatuit libro ſexto. Oxus ipſe proxime Caucaſum è lacu defluens Bactrianam longo tramite alluit, deinde flexus in Occaſum tendit, tanto auctu confluentium amnium, ut alicubi ſeptem ſtadiorum latitudinem habeat, Straboni. Recipit autem ferè inter poſtremos Margum ex Margiane uenientem, inde magna ui undarum in Caſpium ſinum euoluitur. Turbidus autem Oxus & potu inſalubris eſt. Proditur & Sogdianam multis in locis harenis ſterilem & ſqualidam, aquarum penuria cultorem non admittere, quod ſanè multis locis, Orientis præſertim & Auſtri, alioquin fertiliſsimis accidit, neque ſolis duntaxat ardor

Vide Iuſtinu libro 41.

eius

eius rei cauſſa eſt, de qua fortaſſe in India dicemus. Finis Sogdianæ à Septentrione illa Scythia exiſtit, quæ Iaxartæ amni prætexitur. Iaxartes omnium Caſpium intrantium fluuiorum haud dubie maximus, Sacharum primum finibus naſcitur, multisq; in ſe receptis amnibus decurſu ambitioſo utrinque habitantibus colonis ſeſe præbens, procul oſtijs Oxi Hircanum ingreditur. Strabo author eſt ex India ſeptimo die merces ad Oxi alueum prouehi poſſe, quæ inde in Caſpium, inde aduerſo Cyro amne in Armeniam & Pontum expedito itinere importari queant, quod ipſum & Plinius ex Varronis authoritate capite decimoſeptimo libri ſexti confirmat. Si cui uacat legat Strabonem libro undecimo. Hæc eſt Sogdiana quæ aris Herculis, Bacchi, Cyri, Semiramidis, Alexandri, onuſta eſt, ambitioſo nimirũ uictoriarum cõmento, ut quantum gloriæ uincendo illi eſſent aſſecuti, poſteritas cerneret. Cæca mortalitas his modis affectat æternitatẽ, cũ ſolam animi bonitatẽ æternam eſſe conſtet. SACHARVM regio extrema proximaq; in Scythiã conuerſo Caucaſo, nemoroſa, & paſtu q̃ frugibus uberior à Maſſagetis, Comarisq;, & iuxta agentibus Eſſedonibus incolitur, paruiſſe illos Perſis Curtius tradit. Sed et Solinus colliminiũ Perſici regni & Scytharũ iuxta Iaxartẽ ſtatuit. Memorabiles aũt Plinio Dahæ, & ab eo dicti Sacæ, etiãſi Per

ſæ Scythas in totum Sacas uocant, authore Herodo*to, tamen priuatim* Ptolemæus Sachis *eam partem tribuit, à quibus montana* Caucaſi *tranſgreßis diues illa* India *conſpicitur, de qua iam nunc dicemus.* Sachis *autem & uicinis populis* Chriſtum *dominum* Thomæ *miniſterio prædicatū fuiſſe,* Sophronius, *& ante eum* Euſebius *ſcriptum reliquerunt.*

INDIA, SCYTHIA, TAVRVS.

HInc *iam procul à ſinibus* Caſpio *&* Perſico, *digreſſa* Aſia, *in* Ortū *abit,* Tauriq́; *altißimi montis iugis diſtincta in duo latera, longe lateq́; expanditur. Tribus eam à partibus* Oceanus *finit: qua* Septentrio *eſt,* Scythicus: *qua* Ortus, Eous *&* Sericus, *à meridie* Indicus *uocatus, immenſo littorum procurſu, ut non dubium ſit, longitudine ex fide tabularum, &* Coſmographica *ſupputatione ſumpta, reliquæ* Aſiæ *parem eam, magnitudine autem ſeu latitudine longe ampliorem, totamq́; ferè ſolidam eſſe, et æquali littorum margine, niſi ubi* Indicus *eam* Oceanus *uno alteroúe ſinu ab* Auſtro *lancinat.* Sed *neque his, utcunq; alte ingredientibus, ita ſtringitur, quin occiduam* Aſiam *latitudine exuperet.* Pars *huius* Auſtralis, *ab* Occaſu Indo *amne,* Borealis *freto, quo* Caſpius *ſinus funditur, terminum habet.* Sunt *item par-*

tibus

tibus ſua nomina innumeras gentes complexa, quod enim à Tauro in Boream iacet Scythia, quod in Auſtrum, India dicitur, præterea mediam hanc Ganges fluuius interſecat, mons illam Imaus diuidit, proinde intra Imaum & extra Imaum Scythia dicta, ſicut diuerſo à latere intra Gangem & extra Gangem, India. Nos quo diſtinctius accipi ſingula & intelligi queant, primum de Tauro tot gentium arbitro, ſecũdo loco de India, poſtremo de Scythia dicemus. Breuiter quidem de omnibus ut in opere conciſo, & præcipuis tantũ indicandis ſuſcepto, quod ad reliqua perquirenda lectoris animus adduci uia compendiaria poſſet. Montes Aſiatici cohærentes ſibi, qua ad Tanaim & Aſiam Syriamq; pertingunt, in totum Tauro ſcriptores terrarum attribuunt, quem Macedones Alexandrum ſecuti, Strabone authore, Caucaſum dixerunt. Gentes quæ accolunt alijs atque alijs ac ſubinde nouis nominibus uocant. Proprie tamen Taurus eſt ubi à Medis Aſſyrijsq; ueniens Armeniam atque Aſiam inter maria iacentem ingreditur. Huius initium ab Eoo littore Plinius auſpicatur, finem autem in Pamphiliæ promontorio Chelidonio etiam Strabo determinat. Illinc ſenſim molliterq; exurgens, repente fit celſus atq; ingens, perq; mediam illam incedit Aſiam, & donec Gangem findit, fermè integer & ſolidus eſt, fit quidem uno al-

teró ue cornu meridianus, uelut Indiam *prætentans, tamen nuſquam ample ingreditur, ſed cœptum ſeruat limitem, & à fontibus primum* Gangis *ad* Septentriones *&* Oceanum Scythicum *diſpaleſcit, nihil minori altitudine quàm in* Indiam *erat ingreſſus. Sed & iugis porrectus ceu brachijs in* Scythiam *immittens ſupra* Caſpium *grandibus ſyluis opacat terras & amnibus rigat, uelut ſenſu quodã captãdæ gloriæ, quam tamen haud alia ex re ambit, quàm ut quàm plurimis ſeſe impertiat.* Nam *& ad* Auſtrum *digreſſus primum* Arianen *&* Paropamiſſum *antea à nobis memoratas Satrapias cingit, inde ne à deſertis quidem & caloribus abhorrens, ad rubrum uſque* Oceanum *ingreſſus* Carmanos *à* Gedroſijs *ſummouet.* Cæterum *ubi* Indum *fluuium ædit, præ altitudine etiam æſtiuis menſibus riget, nec alio in tranſitu eius grauius periclitatum fuiſſe* Alexandri *exercitum legimus.* Inde Perſis, Parthis, Medis, Aſſyrijs *multipartitus imminet, largiſſima ſui copia facta, & quanquã altrinſecus abit in latera, tamen medium interim curſum pertinaci iugo dirigit, adeò ut* Tigrim *&* Euphraten *in* Armenia *ortos amnes, uelut inuitus tranſmittat.* Poſtremo *feſſus demittit ſeſe humiliori iam inceſſu uagus, pelagoq; demum quod* Aſiæ *minori præiacet, excipitur.* Plura *eius nomina memorantur, nec mirum in tantis terrarũ ſpacijs & gentium, quas*

luſtrat

luſtrat numeroſitate, cum unius frequenter loci plura nomina audiamus. Vbi incipit, Imaus eſt, ea uoce, uelut indicat Plinius, niuoſum accolis ſignificante. Inde Hemodus & Paropamiſus, inde magis in occaſum progreſſus Oroates, & illa rurſum parte, qua immani ſua altitudine in Boreã & Scythicũ Oceanũ excurrit, Imaus dictus Ptolemæo. Inter Parthos uero & Perſas Choatras, Aſſyrijsq; imminens Zagrus, citra autẽ etiã Parachoatras. Ad initia Meſopotamiæ Niphates, ἀπὸ τοῦ νείφειν, ut Hermolaus Venetus teſtatur. Qua Mediam ingreditur, Caſpius: Antitaurus autem in Armenijs iam mediterraneus & regionem Sophenen dictã, ab Auſtrinis partibus ſummouens. Haud procul inde Maſius dictus, enimuero & Gordyus Armeniæ, unde in Tigrim amnes defluunt, & Abus qui Euphraten & Araxem fundit, Tauri eſſe ramenta uidentur. Moſchicus eſt à Septentrione. Pariedrus autẽ ab occaſu, Armeniam finiens. Supra Colchos Coraxicus & Heniochius, ab iuxta colentibus Heniochis, dicitur. Sed & Gordiſci nomen in minori Armenia profert. Supra Albanos autẽ ubi portæ ſunt Gordyæus, & haud procul diſsitis iugis Poliartes. Proxime autem Cilicum mare, Amanus. Inde Ciliciam Pamphiliamq; à Cappadocicis Galaticisq; populis diſterminans, qua Aſiæ iam proprie dictæ incumbit iterum Taurus, Celenius, Cragus. Atq; hæc

quidem cohærentium ferè iugorum nomina. Extant *ſparſim per* Ioniam, Lydiam, Phrygiam, *&* Troadem *inclyti montes,* Tauri *ut uidetur pars, quorum nomina ſuis locis reddẽtur.* Plinus *author eſt* Scythas, *ſuas terras ingreſſum,* ~~*Graucaſum uocare, quoniam niue candeat*~~*. Simul autem atque frangi cœpit & innumeras obire gentes,* Ceraunius *in uniuerſum uocatur, etiam ſi nominibus populorum per quos meant laciniæ, diſtinguuntur. Quod ipſum ſuis in* Plinium *caſtigationibus uir diſertiſsimus* Hermolaus Barbarus *adnotauit. Quantus autem incedit, clariſsimorum amnium fœcũdus & genitor & altor eſt, admirabili etiam hac in parte prouidentiæ artificio, quæ montes planiciei non hac ſolum cauſſa impoſuit quo mortalibus donari amnium perennitas poſſet, uerumetiam ceu de induſtria ſublimes, ad ſolem & æſtus expoſitis partibus, hoc eſt* Indiæ *&* Aethiopiæ *prætexuit, ut niuium capax altitudo magna illas copia reciperet, nec facile dimitteret, ſed aſſeruaret æſtibus, ut gelidus & in ſublimi retentus humor, appetente primum ſole, in tanta imbrium penuria, ſqualoreq́; arenarum & ſiccitate colliquatus, alimẽta præberet amnibus, ſitimq́; ceſſantium terrarum riguis incrementis dilueret. Creſcere enim etiam* Indiæ *flumina æſtate, & proxima rigare inſtar* Nili, Euphratis *&* Tigris, *certum eſt,* C. Plinio *eã cauſſam inter alias fertilitatis* In-

Caucaſum ([illegible]) montem. [illegible] Graucaſum uocant.

dicæ

dicæ in primis reddente. Quod ad Indiam attinet, primus eam Alexander Macedo cum exercitu ingreſſus mortalibus aperuit pleniore notitia. De Herculis enim & Bachi geſtis rebus non modo incerta fuere à Græciæ ſcriptoribus, ſed fabuloſa etiam pro ſua illa ad nugandum procacitate prodita, nullum apud eos tam „ impudens mendacium eſſe," quod teſte careat. Iidem Plinius dixit. incompertã Septentrionis oram, quæ ſupra Mœotim eſt, Griphium & Arimaſporum, ſed & Hiperboreorum, commentis aſperſerunt, æditis etiam uoluminibus. A quo uanitatis genere ne hos quidem qui Alexandrum comitati ſunt & Indiæ res literis mandarunt, in totum abſtinuiſſe, Strabo grauis in primis author indicat. Conſtat tamen propè omnium conſenſu, & recentiſsima etiam experientia, plurimis illam gentibus pro magnitudine habitatam, inter quas tamen deſerta exuſtaq; ſolibus loca, ſed & beſtijs alicubi infeſta, & ſyluarum uaſtitate inculta iaceant. Latitudo eius à Caucaſo ad Oceanum, hoc eſt, à Septentrione ad meridiem inæqualis eſt. Nam quæ citra Gangem terra iacet, minus abit in Auſtrum, atq; ea re ubertate ſoli temperieq; cœli maiore eſſe creditur, certe plures eam amnes rigant, quàm illã Eoam quæ ultra Gangem dicitur, tranſit tamen parallelum Tropicum æſtiuum, ferè undecim graduum diſtantia, & ad duodecimum gradum latitudinis ora litto-

ris penè media attingit, Ptolemæo. *Quæ ultra Gangem eſt, quanquam inter* Taurum *&* Oceanum *anguſtis lateribus extat, maxime ubi ſinibus inuaditur, tamen ultra æquatorem circulum etiam* Ptolemæo *nouem minimum gradibus procurrit.* Et *ſi nuperrime comperta ſequimur, ad* Brumalem Parallelũ *extima immittit.* Ganges *fluuius omnium toto orbe maximus creditus, ab* Imao *delapſus decem & nouem fluminibus, hiſq; magna parte nauigabilibus receptis, uaſtus incedit, & alicubi lacus uerius quàm fluuius, latitudine centũ ſtadiorũ pateſcit, nuſquam anguſtior* VIII *mille paſſuũ, nec minore uſquam altitudine q̃* XX *paſſuũ, authore* Plinio, *qui &* Indum XIX *amnes recipere prodidit, cæterum aquarum modeſtia quadam nuſquam latiorem quinquaginta ſtadijs, aut altiorẽ quindecim paßibus.* Igitur India *quæ inter hos amnes iacet mercium diues, omniumq; illius oræ partium fertilißima eſt, quippe illi etiam hyems fructus edit, omniaq; in totum in ea regione grandiora procerioraq; proueniunt, quàm alijs terris.* Plinius *tradit* Indos *prope gentium ſolos nunquam emigraſſe finibus ſuis, quod haud dubie ſoli ubertatem arguit.* Migrationes *enim ſponte ſuſceptæ haud alia magis cauſſa fiunt, quàm ut mutatis ſedibus meliora cultioraq; occupentur.* Animalium *maximũ apud illos elephas, uſu eius adeò uulgato, ut iunctis illis etiã arent*

&

India regio latissima ad orientem sita. [illegible] persarum Ahasueri temporibus. Esther .1. alias Hodu. Hem la a Chinis appellata. De qua vide Strabonem li. 15. Geographie. Plinium li. 6. natu. histo. ca. 16. Ptolomeum li. 7. ca. 1. 2. Pomponium Melam li. 3. De Indicis foeminis vide Valerium Maximum li. 2. ca. 1.

& inuehant. Arbores multis locis liniferæ: gemmarum & margaritarum magna copia. Piper ſola mittit, reliqua magna parte cum Arabicis & Aethiopicis littoribus cõmunia habet. Mirum autem in tanta laxitate terrarum & montium, quæ aurum tamen & argentum ferat, neque æs illi neque plumbum gigni, quod ueteres modo prodiderunt, ſed margaritis illa permutari. Deſerta eius dracones habent, tantæ magnitudinis ſerpentes, ut elephantes, cum quibus eis perpetua diſcordia eſt, circũflexu facili ambiant, nexuq́; nodi perſtringant, ut libro octauo ſcribit Plinius. Megaſchenes prodidit ſexaginta amnes Indiæ numerari, Gentes centum uigintinouem, quarũ multa regna exiſtant. Ciuilioribus autem populis multipartitam uitæ rationem degi, alijs tellurem exercentibus, militiam alijs capeſcentibus, multi merces ſuas euehunt, res externas inuehunt. Reſpublicas optimi & ditiſſimi temperant, iudicia reddunt, regibus aſſident, quintum genus horum, celebratæ illic, & propè in religionem uerſæ ſapientiæ deditum, ut ait Plinius, uoluntaria ſemper morte uitam accenſo prius rogo finit. Duplex eorum genus eſſe, quorum alterum intra nemora & ſyluas degere traditur, nõ diſſimili ritu Eſſænorum Syriæ, Bragmanes & Gymnoſophiſtæ uocantur ſcriptoribus, præcipue autem Straboni & Philoſtrato. Dicuntur & Samanæi qui car

Esseni inter Iudeos philosophi fuerunt, et primarie heresecos autores. isti ad deum multa redigunt, immortale animam dicunt, non celebrant in templo sed seorsum sacrificia omnia [illegible] [illegible] non ducunt neque seruos [illegible] festinant, multasque alias superstitiones alunt. qui adnotavit Josephus li. 18. iuda. anti. ca. 2. et libro 2. belli Iudaici ca. 7.

nibus ueſci nephas habent, panis tantum & publico Orizæ farinæq; cibo aliti, ceu lib.2. contra Iouinianũ ex Bardeſane tradit Hieronymus. Ante autẽ dictum à nobis coloratos eſſe Indos, uerum non tam exuſtos, quàm ſunt Aethiopes. Plinius 19. cap. ſexti libri ſcribit à Gange uerſa in meridiem plaga tingi ſole populos, quantumq; ad Indum accedant, tantum colore præferre ſydus. Quod ſanè admiratione dignum eſt, cum Indus amnis exitu ſuo in rubrum mare, haud ita multum trans Parallelum æſtiuum abeat, & Orientis pars quæ ultra Gangem iacet, ad æquatorem etiã attingat: præterea Claud. Ptolemæus in extima Sinarum regione in qua Cattigara oppidum eſt, Aethiopes Indiæ ſtatuat, coloris, ut uidebatur imitatione ita dictos. Sed fortaſſe de Indis qui citra Gangem ſunt Plinius eſt locutus. Quanquam manifeſtum eſt nigroris cauſſam ex toto ſolem nõ eſſe, alioqui candidi naſcerentur Indorum infantes, quod Strabo negat, ſed calorem corporum & ſiccitatem, præterea & ſanguinis aduſtionem, ingeniumq; ſeminis unde fœtus concipitur, pariter ad hoc facere, ut hæ gentes atrore ſint infectæ. Qua de re Albertus Germanus in libro de natura locorũ tradit. Sed & ſolis ardor quamuis uehemens, æqualitate tamen noctium cum diebus illis in locis temperatur, & Luſitana maxime nauigatio prodit quantum ueterum quidam errarint, qui intra

tropicos

tropicos habitari terras negarũt. Sub æquatore enim dies perpetuo non longior duodecim horis eſt, breuiaq́; illic dilucula & crepuſcula ſunt, propter ſectionem horizontis cum æquatore angulis rectis, nec uariat uſque adeò declinatio Tropici, *iuxta quẽ dies plurimum ſeſqui hora noctem ſuperat, quin ſi aliæ caloris aucti cauſſæ non acceſſerint, temperata etiam & commoda illis in locis habitatio eſſe mortalibus queat.* Ad *hunc modum* Archite*ctus cœleſtis, in ſuo illo creationis opere, duabus potißimum rebus, & uices temporum digeßit, & tenebras noctium ardoribus oppoſuit, longiusq́; ad latera ſummotis, longiorẽ lucis præſentiam impartitus eſt, uidelicet rotunditate terræ, & obliquo illo meatu ſolis à* Tropico *in tropicum, æquinoctij circulo obliquis angulis interſecto, quem nos ex circuli imaginarij obſeruatione, in ſtelligero cœlo, diſtributo deſignatoq́; ſyderum habitu, deprehendimus.* Inde *omnis dierũ noctiumq́; & partium anni uariatio manat, fitq́; diuino munere, ut æſtatis tempore hoc longior dies ſit incolis regionũ, quo longius ab æquatore illi abſceſſerint, atque hoc modo ſolis diſtantia lucis diuturnitate compenſetur.* Neque *nobis tantopere dißitis ab æquatore, hybernarum noctium moleſtia inique ferenda, qui ſciamus alijs quoque diuerſo in latere poſitis tunc luminis caloriſq́; beneficentiam impartiri, qui & ipſi ſole ad*

nos redeũte, ſuã hyemem tanta tenebrarũ lõgitudine, ex æquo ferũt, quo æſtatis munere nos perfrui queamus. Sane nec hyems extra naturã eſt, & ex niuibus magna cõmoditas deprehẽditur, obtectis uidelicet uehementi in frigore aruis, radicibusq́; & ſeminibus à gelu, ne prorſus enecet tantiſper deſenſis, donec ſerenitas adueniat, quæ & niuẽ diluat deriuetq́;, & luce terras foueat. Sed ut redeam unde cœperã, adeò nota tritaq́; nobis hodie India *facta eſt, ut eam nullo nõ anno ingrediamur, & homines* Indos *etiã* Germania *uideat, nec miretur amplius.* Proinde *in ſpem adducor fore ut propediem eius quantũuis remotæ, pleniorem notitiã habituri ſimus, modo ſint, qui regum animos ad honeſtiſsima illa gentium perquirendarum ſtudia excitare non deſinant. Illud interim gaudio eſſe pijs debet, quod in his remotiſsimis regnis ſunt, qui Chriſtum* IESVM *nobiſcum confitentur, & quibus magnus quoque honos habetur.* Sophronius *tradit* Barptolemæum *Indos primũ erudijſſe. Sed &* Thomam *in* Indiam *ueniſſe idem hoc ipſo innuit, quod* Calaminæ *illius ciuitate obdormiuiſſe eum tradit.* Quod *ipſum &* Hieronymus *cõfirmat de* Panteno *ſcribens in catalogo, qui ſub* Caracalla *imperatore, &* Demetrio Alexandriæ *epiſcopo, legatis* Indiæ *poſtulantibus, miſſus fuerit.* Meminit *&* Rufinus Meropij *cuiuſdam philoſophi, qui* Conſtãtino *imperãte* Indiam

ingreſſus

ingreſſus, occaſionem augendæ illic religionis noſtræ haud paruam præbuerit. Poſtrema terrarum & ſub axem iam uergentia, diuerſo à latere Caucaſi SCYTHAE tenẽt per gentes innumeras ſparſi, quarum nulla tamen exiguo ſuorum numero clauditur. Mons Imaus Caucaſi ramentum, quem & Graucaſum accolæ, id eſt niue candidum uocãt, duplices facit, ut ante dictum eſt. Atque horum quidẽ qui extra Imaum in ortum iacent, præcipui memorantur Seres, Plinio, Solino, Marcellino, maximis amnibus ex Hemodis, ſed & interius domeſticisq; montibus exortis, longe lateq; diuidui. Horum Syluæ lanam ædunt, quam aqua perfuſam ex arborum frondibus depecti & colligi ueteres prodidere. Proinde & Sericã dictam à gente, neque alia precioſiora cenſeri ueſtimenta ſolita, quàm quæ de huius lanuginis filis texta ſunt. Porrò conſtat eam telam differre à Bombycina, quæ multis iam à ſeculis uulgatiſſima eſt, uermiculis eam ædẽtibus, qui Mori folijs paſſim, & iam nunc etiam in Germaniæ locis aliquot ad eum uſum nutriũtur. Dubium uero an cœli & loci ingenio lanam illam à Seribus miſſam ſpõte arbores ædant, an animalcula ſint, quæ more aranearum eam texant. Iulius Pollux à uerme procreari ait, qui σὴρ dicatur. Vnde & Seribus nomen eſſe uideri poſſit. Certe Apollinari Ser dicitur ſingulari numero illius loci accola, ut pluratiuo Se-

res, de quibus iam diximus. Nec ſat ſcio an probe Ser*uius, qui confuſis lanæ generibus,* Apud Indos, *inquit, ſunt quidam in arboribus uermes qui* Bombyces *appellantur, qui aranearum more tenuiſsima fila deducunt, unde eſt ſericũ, nam lanam arboreã nõ poſſum accipere quæ ubique procreatur.* Hactenus Seruius. *Ipſe* Plinius *receptus in primis author ſeorſim & lanæ meminit* Bombycinæ *& lanuginis ſericæ, quam & caniciem uocat libro ſexto, neq; uermium in eius relatione ulla mentio eſt, cum* Bombycinã *tamen uermibus tribuat, lib. 11.* Et Marcellinus *non uermium ſed arborum fœtum uocat lanam ſericam.* Vetus *autem fama eſt has gentes à reliquorum mortalium conſuetudine abhorrere, ſua tantum uendere non emere peregrina, ac ne linguæ quidẽ illis cum aduenis cõmercium eſſe, ſed rerũ precia oculis æſtimari.* Pomponius *lib. tertio tradit eos rebus in ſolitudine relictis, abſentes peragere.* Vnde à Marone *dictũ uideri queat,*

Ignoti facie, ſed noti uellere Seres.

Ex quibus *omnibus intelligimus haud infelices illos eſſe, quippe qui paucorum indigent, commendantur enim à frugalitate, & apud ſe natis contenti uiuere dicuntur.* Feliciſsimi *autem quod propè ſoli* Scytharum, *armorum uſum ignorant.* Parcis *eorum opibus nemo inuidet, & quoniam proximis iniurij non ſunt, raro etiã iniuriam patiuntur.* Sed *nec terra horum maligne cul*

toribus

toribus reſpõdet, & eſt cauſſa cur ſoli agere, & ſuis rebus perfrui uelint. Gentium ſecundum Seras præcipue Eſſedonum, Tocharorũ, Phrynorumq́;, quarum Plinius, Dionyſiusq́; meminere. Sed & Atacori finitimi Seribus memorantur, ab omni noxio flatu collibus ſecluſi, eademq́; qua Hyperborei aëris temperie, ceu Plinius libro ſexto tradit Oceanũ Eoum & Sericum circum nauigari aſſerens. Præterea etiam Scythico emenſo, Seleucum & Antiochum reges per fretum ſupra memoratum in Hircanũ mare & Caſpium ueniſſe, præfecto claſsis eorum Patroclo. Vt nõ dubium ſit fabuloſa eſſe, quæ de imperuio illo ſupremi ſyderis gelu & glacie antiquitas nulla fide prodidit. Citra Imaum feræ gentes & bellicoſæ reliquam Scythiam amne Iaxarte, Oceanoq́; & freto Caſpij maris clauſam diſsipatæ, & per ſolitudines habitant, de quibus quum Parthorũ faceremus mentionem, ex parte meminimus. Poſt arma potiſsimum illis uenationis ſtudium eſt, nam & ſyluis immanibus clauduntur, quarum tam uaſtam alicubi ſolitudinem eſſe ferunt, ut in prouerbium etiam abierit, & Scythica dici cœpta ſit quæuis ſolitudo paulo aſperior ampliorq́;. Sed & ferarum nullis gentibus maior aut numerus, aut uarietas, ut de magnitudine taceam. Habet quidem Africa præter ferocia, uenenataq́;, etiam uaria, ſed quæ in totum magis ad admirationem ædidiſſe uideatur natu-

ra, quàm ad uſum. Scythia illa ferè noxijs uacat, nec niſi ab irritatis læditur, & magnũ ex omni uenatione emolumentum eſt. Et ſi Rutenis & Moſcouitis, quibus plurimũ cum noſtris commercij eſt, credimus, exuuiæ murium & in totum ~~pelliſicum~~ illud nobile Mardrorum & Zobellorum (ut uulgo uocant) magna parte Scythiæ illi, cuius in præſentia mentionem fecimus, debemus. Nihil enim diuerſa eſt hæc regio Scytharum, ab illa quam uulgus Mercatorum hodie magnam Tartariam uocat. Quod ad mores attinet, raro illis ad luxũ quicquam, rarius ad molliciem admittitur. Aduentitiarum rerum nulla admiratio, ac ne uſus quidem eorum, quæ luxare uires aut ſubuertere animum, & illaqueare noxiarũ rerum deſyderio poßint. Proceris ſunt corporibus, uigore artuum eximio, & pro cœli aëriſq; natura fortitudine ſingulari. Quo dono, quanquam haud cõparabili cum animi bonis, tamen per ſe etiam laudabili & eximio, gentes ab æſtu & ſolibus ad Septentrionem remotæ præcipuæ excellunt. Quanquam citimis, nec ad eum modum à Phœbi ſemita remotis locis, hoc idem montana & ædita accolis præſtant, ob altitudinem uidelicet loci habitati, quod Septentrionalia propter latitudinem habent peculiare. Cuius rei cauſſas euidentes afferunt authores, qui de rebus in natura inſignibus ſcripſerunt: præcipui autẽ ex Græcis Ariſtoteles

pelliſinium

&

& Alexander, ex noſtris Albertus Germanus, uir modis omnibus magnus, ſi in meliora tempora incidiſſet. Porrò Scythæ ferēdis laboribus, iniuria cœli toleranda, perferenda fame, non ipſi modo ſe aſſuefaciunt, ſed & iumenta ad eum modum indurant, ut inſueta etiam alijs pabula petant, nec raro arborum folijs & fruticum ſurculis ſaturentur. Inde fit, ut militiæ tempus minimo illis ſumptu, pluſculo autem compendio peragatur. Neque alia gens uſpiam, quæ breuiori tempore longiora itinera perficiat, aut militet tam peregre. A Tanai & Riphæis iugis Perſarū opes militiā conſcribere ſolitam, ante monuimus. Par illis & in caſtris uelocitas, quum procul abeſſe credūtur, proximi ſunt, & improuiſi obruunt: quum paratū accinctumq; hoſtem intelligunt, eadem qua uenerant ſeſe uelocitate ſubducunt. Iterum in aquatione & frumentatione coërcenda, & intercipiendo commeatu ſolertiſſimi. Sanè nec pugnāt cominus, niſi multis à cauſſis de uictoria perſuaſi, atque hoc conſilij ſemper primo loco habent, ut uexatum incurſionibus hoſtem, præterea fame, uigilijs, ſtationum moleſtia premant, tædioq; militiæ afficiant, ad copias transferendas, & caſtra mouēda impellant, ut ponè ſequēdo adoriri ſparſos, & conficere imparatos queant. Quibus artibus graues populi Romani legiones, haud raro in Oriente magnis cladibus affecerunt. Nunquam uero plus

Interim.

damni ab illis eſt, quàm cum in planis locis bellum trahitur, & omnia uagis excurſibus patent. Memorabile autem, quod libro 11. Strabo ſcribit. Haud ſcire ſe à quoquam in literas relatum, quod in horum fines unquam quiſquam cum exercitu ſit ingreſſus. Quod ipſum ſeu metu, ſiue ſolitudinum & aſperi cœli horrore factum eſt, profectò cauſſa fuit, ut Scythiæ tractus diu incognitus, ne nūc quidem aliter quàm finitimarum gentium commercijs, aut horum relatione qui inde in alias terras ſunt egreßi, patuerit. Sed & Seleuci & Antiochi regum diligentiæ aliquid gratiæ deberi ex his quæ Strabo & Plinius prodidere colligitur. Scythæ porrò perinde atq; Parthi & Perſæ, inter maſculas uirtutes taciturnitatem habent, & ad faciendum quàm dicendum promptiores ſunt. Mirum autem hanc illos conſtantiā retinere poſſe, quos conſtat interim ebrietate uinci, cuius propè indiuiduus comes eſſe loquacitas aſſolet, ut uere ſit ab Horatio dictum: li. 1. Epiſtolarū. epiſtola. 5. ad Torquatū.

Fœcundi calices quem non fecere diſertum?

Sed hoc maiori laude digni habentur, quod ne ebrij quidem effutiant ſecreta, & malefido arcanorum cuſtodi uino, frena inijciunt. Iuſtinus ſecundo libro & de uetuſtate illos gloriari ſolitos, cumq; Aegyptijs antiquitatis præcipuis iactatoribus contendiſſe, & uiciſſe tradit. Sane & Hieronymus Queſt. in Geneſim

originem

originem eorũ ad Magog Iaphet filium retulit, cuius Geneſ.10.cap.fit mentio. Gentes referre haud attinet, cum quia plurimæ, tum etiam quia uagæ, neque uno tantũ loco celebres. Vnnos libet memorare, quorum inter Scythicas gentes etiam Plinius meminit lib.6. quanquam Thunnos eos nominat, ſed rectius Vnni ſine th, quemadmodum ex Euſtachio Hermolaus docet. Vnnos etiam Dionyſius poëta uocat. Extimos aliquando eorũ qui ad Cronium oceanum & Caſpium fretum habitarunt, quorum originis eos Vnnos eſſe creditur, qui poſtea circa Mœotim coluere, demum Longobardis in Italiam ingreſsis, Pannonias occupauerunt, hodieq; uoce uetuſta Vngari dicti, bellicoſa gẽs, & quæ ſub Lhudouuico Arnulfi Francorũ regis filio Imp̃atore, annis à nato Chriſto D CCCCIX. Toxone patre & Geyca filio ducibus, uniuerſam ferè Germaniam atrociſsima uaſtatione perculit, Rhetico agro, & patria noſtra Sangallo, urbeq; inſigni Baſilea, direptis, & magna parte incẽſis. Eodem tempore & in Gallias irruperunt. Poſtremo & in Italiã, neque hanc ſolum, ſed & Germaniam, ut in terrore & trepidatione tributariam ſibi fecerunt, quanquam haud diu ea gloria freti. Porrò neque ingenia literis & artibus capiendis nata Scythiæ defuere. Anacharſis philoſophus notus eſt, quem Athenæ inſtituerant, uir non eruditione ſolum, ſed & continentiæ quadam

ſingulari, qui apud Ciceronem in quinta Tuſculana: Mihi amictui eſt, inquit, Scythicū tegmen, calciamentum ſolorum callum, cubile terra, pulpamentum fames, lacte, caſeo, carne ueſcor. Hic eſt Anacharſis, qui à quodam interrogatus, an in Scythia eſſent tibiæ? Ne uites quidem, inquit: ſubindicans tibijs & ſaltationibus facile carere poſſe, qui uino nō madent. Item rogatus, quo pacto quis abſtemius fieret? Si turpes tibi ebrioſorum, inquit, motus ob oculos ponas. Idem, ut prodit Diogenes, tres uuas uitem ferre dixit, primam uoluptatis, ſecundam ebrietatis, tertiam mœroris. Innuens modicum uſum uini ſalutarem eſſe, & ad hilaritatem etiam attinere, immodicum morbos & dolores parere. Sophronius & ad Scythas Chriſti Euangelium per Barptolomæū & Andream prædicatum fuiſſe, indicat: nec de hoc dubitandū, cum prophetia teſtante, in omnē terram ſonus Dominici uerbi exierit. Hoc ipſum mox paulò clarius oſtēdemus.

SARMATIA ASIATICA.

Reliqua terrarum laxitas qua citra fretum ad Rhipæos montes Tanaimq; qui paludem Mæoticam excurrit, Sarmatiæ Aſiaticæ tribuitur, Scythiæ uidelicet pars, eiusq; incolæ Scythæ Sauromatæ dicti: ab occaſu quidem Tanai claro amne quem ab accolis Silin uocari Plinius prodidit, Europea Sarmatia diſcreti; à parte autē meridiei à Colchi de

de, Hiberia & Albania, ſummoti Caucaſijs mõtibus: qui hoc à latere etiam ſeipſos altitudine uincere dicuntur. Illis propemodum ex æquo uita degitur. Deſerta tamen & neglecte culta ferè magis quàm urbes aut opulentos agros ſequuntur. Pars eorum uaſtis ſolitudinibus inſident, neque certis ſedibus plerique manent. Gentium eius tractus ipſe Plinius libro ſexto, ſed & Pomponius primi libri fine, & in libro tertio ubi de Scythia, diſerte meminere. Non tacendum Rhipæos montes etiam alpiũ nomine cenſeri quibuſdam, & Inalpinos accolas eius dictos eſſe, quorum & Tibullus meminerit, Ianus Parrhaſius haud incelebris ætate noſtra Grammaticus adnotauit. Secundum Tanaim maximus amniũ Sarmaticorũ memoratur Rha, qui multis alijs receptis magna ui undarum in Caſpium pelagus profluit. Iuxta eum radix illa medica memoratiſsimæ ſalubritatis, quã Rha ſeu Rheon Barbarum uocant, naſcitur. Porrò Ponticum Rha, alius generis radix, quàm Rheon Galenus & Paulus. Cornel. Celſus, ſi Hermolao credimus, radicem Ponticam uocauit. Supra Boſphorũ Cimmeriũ, ut lib. I I I. Dioſcorides author eſt, prouenit. Dubitat autem Marcellus interpres eius eadẽ ne ſit, quam Barbarã & quam Ponticam hodie medici dicunt, an diuerſa? Hermolaus Corollarij tertio libro palàm ſeparat, longè preciosiorem faciens Barbaram illam, quæ Reu uulgò di

Ianus Parrha ſius gramaticus

lago

citur, quàm Ponticam, cuius ſolius meminiſſe Dioſco rides uideatur. Marcellinus libro 22. quanquam non indicato diſcrimine de Mæoticis & Tanai locutus, Huic, inquit, Rha uicinus eſt amnis, in cuius ſupercilijs quædam uegetabilis eiuſdem nominis gignitur radix, proficiens ad uſus multiplices medelarum. Sunt alij quoq; haud ignobiles Sarmatiæ fluuij in Mæotin exeuntes, quorum præcipui Lagous & Antacites, haud longè Tyramba oppido, à quo Antacæi piſces, quos & in Boryſthene capi Herodotus tradidit, pro oßibus cartilaginem habẽtes. Sed Antacæorum præſtantißima ſalſamenta quotannis à Mæotica palude in Adriam uſque inuehi ſolitum, Hermolaus aſſerit. Sũt igitur Antacæi, qui & Iſtrum aduerſum ingreßi è Ponto Pannonia inferiori menſibus, maxime Octobri & Nouembri capti, clarißimæ urbi Viennenſi magna copia inuehuntur. Ipſi uidimus pleroſq; magnitudinis pondo CCCC, minimos quinquaginta, frequentem numerum circiter pondo centum, ducenta, trecenta, plus minus, quorum magna pars ſalſamentarijs cedit. Sed & recẽter coctis eximia ſuauitas, & negant horum lactibus quicquam in cibo aut dulcius aut delicatius reperiri. Miror autem hac quoque in parte naturæ uim, ut nõ minus in undis piſces quàm in terris uolucres aut feræ migrent, centum quinquaginta minimum milliaribus Germanicis ex Euxino mari

Antacei piſces pregrandes quos Latini Thinnos. Itali Thunninos. Germani Hauſen adpellant.

mari in eum uſque locum Pannoniæ ubi illorum eſt captura, aduerſis, ſuauibusq; undis innatantibus. Et memoria teneo Antacæum duobus milliaribus ſupra urbem inclytam Viennam captum piſcatoribus magno miraculo, paucos annos antequam illuſtris princeps Cæſar Maximilianus ex humanis excederet. Porrò peculiare iſthoc habent amnes Scythici, ut præ cæteris piſcoſi exiſtant. Sed & ferarum ingens, ut alijs itidem Scythis copia eſt Sauromatis: canesq; non robore ſolum & magnitudine, ſed & ferocia admirandi, quorum uſum nõ in uenatu ſolum aduerſum quantumuis immanes feras, uerumetiã in bello contra hoſtem præcipuum eſſe, memoratur. In hac Scythiæ parte Turcæ Pomponio & Plinio poſiti, quorum originis exiſtimantur, qui hodie in Aſia & Europa latiſſime dominantur, poſt Macedonas & Romanos haud dubie potentiſſimi, & Patriarcha ille Aquilegienſis, ſuis in Plinio caſtigationibus tradidit, quod ſanè hoc certius eſt quo maior illis ab huius morte, gentium, urbiũ, terrarumq; acceſſio facta eſt. Annus enim iam quadrageſimus agitur ex quo Barbarus immatura morte, & ætate etiamnum florida, nec leui literarum iactura Romæ deceſſit. Sed redeo ad Scythas, qui licet ſæuas fermè frigore & niuibus hyemes habeant, tamen haud eſt illis adeò aſſidua cœli tamq; inimica ſemper inclementia, quin contra æſtiuos menſes &

temperie aëris eximia & ubere rerũ prouentu peragant, ut parum æque quidam ueterum ſcriptorum eam partem orbis ceu damnatã, & frigoribus quaſi perpetuis infamem traduxerint, ut ſinamus interim modeſtiæ gratia inexcuſſum, quod tantopere diſſentiunt, quæ prodidere. Enimuero *ſi ſereno cœlo ſoloq; fertili* Hyperborei *ad extimum* Septentrionem, *illorum teſtimonio, remoti fruuntur, ſi tam clemẽs* Arimphæis, *& ipſis in penitiſsima Scythia locatis, aër eſt, ſi tanta rerum ubertas quantam illi prædicant ſponte etiam enaſcentium: quid oro cauſſæ ſit, cur minus fertilibus alicubi locis agere, Sauromatis & Scythis uideri debeat? qui tot tamen parallelorum interuentu ſoli magis adproximent?* Præterea *experientia conſtet,* Prutenorum *&* Liuonorum *(ut hodie uocant) maritimam oram, quorum paralleli ad ſexageſimum tertium gradum latitudis abeunt, uel negligentiori culturæ benigniſsime frumentum reddere ſolere, & intimus interim angulus* Mæotidis *ubi* Alopetia *inſula prætenditur, quinquageſimumquintũ gradum latitudinis ab æquatore circulo nõ excedat: citra quem tamen maior frequentiorq; Sarmatiæ, cuius modo facimus mentionem, pars iacet, ut dubitari nequeat nihil obeſſe, quin illi ut auſtro ſunt & ſolis uiæ propiores, ita quoque temperiem cœli haud minus commodam habeant, atq; illi habent, qui propius* Axem *habitant.*

habitant. Sed omnem ambiguitatem Maximiliani Imperatoris ad Moſcos nuperrima legatio ſuſtulit, nihil horum agris, quæ modo ad commodam uitæ alimoniam attinent, deeſſe confeſſa. At uero indubium eſt illorum ditionem ultra Hyperboreos patere. Ne hoc quidem prætereundũ Sarmatas cum Europeos tum Aſiaticos, & confuſas illis Mæoticas gentes, incantandi præſtigio, alijsq́; id genus magicis artibus fuiſſe notatos, quod manifeſte docent ex Græcis Dionyſius poëta & interpres eius Euſtathius, Latinorũ autem Pomponius Mela, & Auguſtinus. Sed & Flaccus in Scythicarum gentium Catalogo libro quinto: Centoras, inquit, & diros Magico terrore Choatras. Fuiſſe & Amazonum turbã illis in locis magno conſenſu traditur, Sauromatidas dictas ueteribus, propter Sauromatarũ uidelicet & Geloſcytharum connubia, & ideo γυναικοκρατουμένους dictos, quoniam uictricibus illis paruerint, & ad ſobolem procreandam fuerint obſecuti. Profecto non in Scythia ſolum, ſed & in Aſia, & Aethiopide, & India Gynæcocratias fuiſſe ſcriptoribus memoratas, alio loco monuimus: ſed ciuilius his, honeſtiusq́; imperitandi genus in ſuos, quàm Scythicis illis Viraginibus in Scythas fuerit. Etenim & noſtra ætas habuit principes alicubi fœminas, tãtæ prudẽtiæ (quanquam id rarum in hoc ſexu eſt) ut uiris etiam admirationi fuerint,

inter quas præcipue laudatur Eliſabetha, Ferdinandi Hiſpanorum regis, qui ob pulſos Saracenos, Catholicus uocatus eſt, coniunx, auia materna Caroli & Ferdinandi principum, qui hodie rerum potiũtur.

PARADISVS.

POſt Indiam & Scythias commemoratas libuit pauculis & de Paradiſo dicere: ſuſpicatus parum æque laturum lectorem, ſi tot terris, gentibusq́; peragrandis, nuſquam eius loci qui maxime quæritur, meminiſſem. Scripſi quidem iam olim ea de re cõpluſcula in Apologia qua doctiſsimo uiro D. Ioanni Camerti Theologo reſpondi, ſed ad paucorum fortaſsis manus illa peruenerunt, proinde quando me prioris ſententiæ non pœnitet, repetam breuiter, præforq́;, quod antea quoque teſtatus ſum, nihil me præfractius aſſerturum, neq; præiudicaturum ullis, ſeu ueteres aut mediæ ætatis Commentatores ſequi lubet, ſeu recenter prodita quæ meliora certioráue duxerint, recipere. Haud neſcius hoc nos honoris ac uenerationis diuinæ ſcripturæ debere, ut quæ parum in ea perſpicua eſſe uidentur, ita ceu ſuſpenſo gradu tractentur, ut neque nobis arrogantius tribuiſſe, neque aliorum iudicijs, ſeu, ut Paulus ea uocat, prophetijs. fidentius, quàm Chriſtiana modeſtia ferat, detraxiſſe uideri queamus. Igitur Geneſeos ſecundo capite ad hunc modum habet Moſes: Plantauerat autem do-

minus

minus Deus paradiſum in Edem à principio in quo poſuit hominem quem formauerat. Et paulò inferius: Tulit ergo dominus deus hominem & poſuit eum in Paradiſum uoluptatis, ut operaretur & cuſtodiret illum. Et in fine tertij capitis de Adamo iam in peccatum lapſo, locutus: Et emiſit, inquit, eũ dominus Deus de paradiſo uoluptatis, ut operaretur terram de qua ſumptus eſt, eijcecitq; Adam, & collocauit ante paradiſum uoluptatis Cherubim & flammeũ gladium uerſatilem ad cuſtodiendum uiam ligni uitæ &c. Ex quibus locis apparet παράδισον, id eſt hortũ illum in quo primi homines egerunt certo loco & priuato fuiſſe, qui Eden cognominatus ſit ob delitias loci, ſiue in Eden, id eſt in delicijs plantatus fuiſſe intelligatur, ut paßim exponit Hieronymus. Etenim probabile fit hoc ipſum, hac quoque cauſſa, quod à Moſe dicitur arborem uitæ in medio paradiſi, lignumq; ſcientiæ boni & mali Deum produxiſſe, præterea ſcaturiginem fluuij in quatuor capita diuiſi, paradiſon irrigaſſe, ſed in totum clariſsima uideri poſtrema tertij capitis uerba, quæ Adamũ emißum è paradiſo in terram ut operaretur eam, indicãt: ſed & clauſum eum locum & præmunitum cuſtodia, ne cui mortalium aditus pateret. Alio quoque in loco Sodomæ & Gomorrhæ tractus paradiſo domini cõparatur, ob fertilitatem, Gen. 13. ceu intelligi debeat, eum hortum ali

Eden plaga eſt ad orientem amplissima. ubi erat paradiſus. Gene. 2. 3. Ezechielis 27. 31: 32. 28. Heſaie. 30. Amos. 1.

Quid Eden.

cubi gentium etiamnum exiſtere. Quibus præcipue Geneſeos locis cõmota, ut arbitror, uetuſtas uarie de Paradiſo tradidit: alijs ut docet lib. octauo ſuper Geneſim Auguſtinus, Paradiſum ſola allegoria explicantibus: alijs nudam hiſtoriam ſequentibus, nec admittentibus Allegorica: tertijs, ita hiſtoriam tractãtibus de Paradiſo corporali ut interim myſticos & rerum ſpiritualium ſenſus non excludant. Quorum ſententiam idem author ſecutus palàm aſſerit, Deum ſine myſterijs rerum ſpiritualium corporaliter præſentatis, hominem in paradiſo agere noluiſſe, & in arbore uitæ, præterea in illa dinoſcẽtia boni & mali, non uitam ipſam nec dinoſcentiam, ſed ſacramentũ uitæ & dinoſcentiæ fuiſſe, quanquam re ipſa arbores illæ extiterint in horto quem ab initio Adam cum Hæua tenuit. Recte enim Hieronymus in Danielem ſcribẽs eorum deliramenta damnat, qui umbras & imagines rerum pro ipſis rebus ſequuntur, & flumina paradiſi arboresq́;, allegoriæ legibus ſubuertant. Nec uideo ab horum ſentẽtia diſſentire Ambroſium, quanquam ſtudioſum allegoriæ, ſed hiſtoriæ tamen fidem agnoſcentem. Cæterum, ubi ſit Paradſius aut fuerit, magna quæſtio eſt. Lactantius Firmianus proxime à me nominatis antiquior, decimotertio capite libri ſecundi tradit Deum hortum illum fœcundiſſimum & amœniſſimum in partibus Orientis omni genere li-

gni

Verba Lactantij de paradiſo.

gni arborumq; cōſeruiſſe, ſcriptura, ut arbitror, adductus Gen. II. Plantauerat autē dominus Deus paradiſum uoluptatis in Oriente, &c. Ad quem modum uulgatam lectionem uel ſua ætate habuiſſe palàm innuit, ſuis in Geneſim expoſitionibus Hieronymus. Citatur & Auguſtinus ad Oroſium ſcribens in eandem ſententiam, niſi quod ſeiunctum à terris Oceano, & ad Lunarem uſque circulum pertingentē paradiſum facit, dubium an Platonis, an ullius alius opinionem ſecutus. Ille enim in dialogo qui Phedon inſcribitur, Socratem in carcere, quum iam uenenum ſibi hauriendum eſſet, de animarum immortalitate diſputantem inducit, ubi terræ cuiuſdam ſublimis, & ſupra elementorum fines poſitæ meminit amœniſſimæ ſanè & iucundiſſimæ, ad quam iuſtorum animæ, uitæ longè præſtantiſſima commutatione facta, commigrent, & felix æuum degant &c. Etenim Auguſtinum Platonicæ philoſophiæ fautorem ne dicam admiratorem fuiſſe, ſatis multis è libris ſuis conſtat. Certe cum cæteris omnibus cum Cicerone prætulit, alicubi teſtatus haud aliena à Chriſtianiſmo interdum tradidiſſe, ut inde fortaſſe ueriſimile fuerit, hoc magis Socraticam diſputationem arriſiſſe uiro tanto, quod & Moſis hiſtoriam & Hebræorum libros legiſſe Platonem creditur. Nam hoc ipſum Euſebius Cæſariēſis libro præparationis Euāgelicæ undecimo & duodecimo mul

Paradisus pertingens ad circulum Lunarem

De Socrate,

Aug. fautor plurimum platonis,

Eusebius Caesariensis,

tis cōfirmat. Profectò & Tertullianus uetus author, in Apologetico aduerſus gentes, ſcriptores Ethnicos pleraque omnia à prophetis accepiſſe ſi quid recte tradidiſſent, quædam autem & tradendo uiciaſſe innuit, Paradiſi nominatim mētione facta, ex cuius amœnitate illi Elyſios campos, beatorū ſpirituum ſedem deſcripſerint. Sed ipſa Tertulliani uerba adſcribemus: Omnia, inquit, aduerſus ueritatem, de ipſa ueritate conſtructa ſunt, operātibus æmulationem iſtam ſpiritibus erroris: ab his adulteria huiuſmodi ſalutaris diſciplinæ ſuborta, ab his quædam etiam fabulæ immiſſæ, quæ diſſimilitudine fidem infirmarent ueritatis, uel etiam ſi poſſent, euincerent: ut quis ita non putet Chriſtianis credendum, quia nec Poëtis nec Philoſophis: uel ideo magis Poëtis & Philoſophis exiſtimet credendum, quia non Chriſtianis. Itaque & ridemur Deum prædicātes iudicaturum, ſic enim poëtæ & philoſophi tribunal apud inferos ponunt. Si gehennam comminemur, quæ eſt ignis arcani ſubterraneus ad pœnā theſaurus, proinde decachinnamur, ſic enim illis & Pyriphlegeton apud mortuos amnis eſt, & ſi paradiſum nominemus, locum diuinæ amœnitatis, recipiendis ſanctorum ſpiritibus deſtinatum, materia quadā igneæ illius zonæ à notitia orbis communis ſegregatum, Elyſij campi fidem occuparunt. Vnde hæc, oro uos, philoſophis aut poëtis tam conſi-

milia?

milia? Non niſi de noſtris ſacramentis, ut de priori-
bus. Ergo fideliora ſunt noſtra, magiſq; credenda,
quorum imagines quoq; fidem inueniunt de ſuis ſen
ſibus. Hactenus Tertullianus. Idem ſentiens cum Eu-
ſebio Græco authore & ſe iuniore, ſcilicet, Ethicos
mutuatos ex ſacris noſtris libris pluſcula, ſed uicioſe
detorta, quibus noſtra ut fideliora merito præiudi-
care debeant, atque hoc magis decere ut ueritatem
retineamus de ſuo fonte hauſtam, quo leuius Ethnici
deliris ſenſibus ſuis ad fabellas ad imponendum na-
tas accedunt. Igitur cum is author tam eruditus, quo
neminem alium præter Irenæum antiquiorem Lati-
norum Eccleſia habet, nihil diſsimulet Socratem ex
ſacris libris mutuatum, quæ de terra illa cœleſti di-
ſputauit, nō alienum uero fuerit, uel Auguſtinum uel
alium quempiam ueterum, ad eundem modum quo
ille de paradiſo, utpote intercluſo iam & cōmunito
à mortalium aditu loco, obiter ſentire uoluiſſe, quæ
boni conſulere nemo nequeat. Quanquam Tertullia-
num liquet, non de ullo horto terrarum, qui primos
noſtros parentes aluerit, ſed de cœleſti beatorum ſe-
de locutum eſſe. Locum enim definit ſanctorum ſpi-
ritibus deſtinatum, ſegregatum autem à communi or
be, zona ignea, hoc eſt, niſi fallor, ignis ambitu ex
regione, ut noſtri uocant, quam infra ſphæram lunæ
philoſophi collocarunt. Ad quem ſenſum ſi Augu-

Verba Euſebij

Cœlij Rhodiginj

ſtinus expoſuerit, nec de corporali terræ parentum primorum domicilio, ſed de cœleſti paradiſo ſenſerit, haud dubie uel Socratem commode, uel Tertullianum imitatus uideretur. Ait enim Euſebius etiam Socratem de cœleſti terra locutum fuiſſe. In carcere enim & in extremo ſpiritu de animarum migratione diſſerens, amicos ne illachrimentur admonet, lætandum eſſe non dolendum innuens, quoties conditio melior à deteriore ſecernitur. Nemo autem tam hebes animi puto, aut neſcius rerum eſt, qui animas corporis ergaſtulo liberatas ulla corporali uiſibilium rerum amœnitate capi, aut oblectari poſſe, ſibi perſuadeat: ſed norit oportere ſpiritale eſſe & extramundanum quo fruuntur. Proinde fateor admiratum me eſſe, quid nam Celium Rhodiginum recentiſſimum ſcriptorem, minimeq; indoctum hominem ad hoc impulerit, ut in uolumine illo ſexdecim librorum, quos Antiquarum lectionum inſcripſit, Socraticam ſentētiã, ad terreſtrem paradiſum primorũ hominum, ac non potius cum Tertulliano & Euſebio ſed & cum ipſo Socrate, ad beatorũ ultramundanam manſionem, referendam eſſe duxerit? At eſt in nobis natura comparatum, ut præiudicio caliginem oculis noſtris obturbante, plerunque in rebus haud ita obſcuris hallucinemur, & magnos errores magnorum uirorum authoriate perſuaſi, tranſmittamus. Beda

preſbyter

preſbyter Auguſtinum, ut arbitror, ſecutus haud diuerſum quàm ille tradiderat, prodidit, ad lunarem uſque globum altitudine paradiſum pertingere aſſerens: quod cum Thomæ Aquinati abſurdum uiſum eſſet, ita mitigat dictum à Beda, ut ſimilitudinẽ quandam temperiei aëris paradiſi, & eius quietis ſerenitatiſq;, quæ ſupra elementa eſt, ſecutus uideri debeat, non autem ſic accipi, quaſi re ipſa ullus terræ locus eò uſque pertingat. Mire autẽ opinionibus uariatum eſt à recẽtiſsimis gloſſatoribus Petri Lombardi Parrhiſiorũ epiſcopi, quem ſub Friderico primo annos circiter quadringentos ſeptuaginta poſt Bedæ tempora, ueterum aliquot ſcriptorum ſententias concinnaſſe & in quatuor libros diſtribuiſſe, ſatis conſtat, annis quinquaginta ferè ante Mendicantiũ (quos uocant) natos Ordines. Mox tanta Scriptorum multitudine, collectitiam eius farraginem, dubium exponentium ne, an implicantium, ut fidem uix capiat, ullum ab hominum memoria ſcriptorem, tot interpretes nactum, qui ipſe tamen haud aliud quàm interpres, & humanarum opinionum magis quàm diuinarum rerum ſarctor fuerit: etiam ſi fatendum eſt, nec indoctũ eum nec indiligentem uirum fuiſſe, ſed talem tamen, qui præter expectationem uel ſuam, uel aliorum ſui temporis, nouo & inaudito Theologiæ generi, à Catholica eccleſia mille & ducentis annis haud magno

diſpendio morum aut pietatis ignorato, feneſtram aperuit. Quam ſortem Gratiano quoque obtigiſſe uidemus, & ipſi nō indiligēti homini, ſed cui longe aliter ceciderit inſtitutum, quàm ſperauit. Voluit enim, niſi fallor, prodeſſe compēdio, in eo maxime ſæculo, quod librorū ſumma & penuria & raritate laborabat. At uero dum hoc agit, tantum pelagus induxit interpretum & commentariorum, ut ſatius fuerit, librarijs conductis, Pontificum reſcripta, Sinodorum decreta, ipſaq́; in primis ueterum authorum uolumina integra ædere, quo in multorum ueniſſent manus, quàm ad hunc modum à ueterū lectione, in tot quæſtionum, dubiorum, & nodorum deuteroſes, & prægnantium (ut uocant) difficultatū, anguſtias, amphractus & præcipitia lectorem præter etiam expectationem abducere, ut de ſcriptura interim ſileamus, quam conſtat, præ illorum tractatione, multis ſæculis ſi non contemptam, certe intermiſſam, à multis neglectamq́; fuiſſe. Sed redeo ad Lombardum, ſimilia paſſum. Qui libro ſententiarū ſecundo, diſtinc. XVII. & XXIX. citatis antiquorum, in primis autē Auguſtini ſentētijs, quum campum illum paradiſi haud longe, & leui paſſu ingreſſus eſſet, Interpretes longiſsime digreſsi magna diſſentione conflictati ſunt, alijs in ortu paradiſum, in occaſu alijs, multis intra torridam Zonam, nonnullis ſupra mediam aëris re-

gionem

gionem eam ſtatuẽtibus. Porrò & torqueri quoſdam obſeruatum, propter amnium tanto interuallo diſtantium, ortus, qui tamen è paradiſo ſcriptura teſte fluant. Pleroſq; ſuſpẽſos tenet uitæ lignum & dinoſcentiæ fructus, non paucos Cherub remoratur & Romphæa. In ſumma autem ambiguitate haud aliud frequentius perfugium doctioribus, quàm ut ſeſe alioſq; à decernendi temeritate coërceant, certi interim pro Auguſtini ſententia, Deum hæc & alia poſſe, etiam ſi animus humanus non aſſequitur. Hoc ſolo conueniunt fermè, quos equidem uiderim, quod priuatum locum, ſecluſumq́;, & à mortalium notitia remotum eſſe paradiſum definiunt. Quoniam hoc ipſum & Moſes ſenſiſſe uideatur ceu ante diximus. Nec aliud ab illis docetur, qui & ipſi poſt Lambardũ extitere Bibliorum interpretes, præcipuo autẽ Lyrano, quem uel ipſa tamen hiſtoriæ ſeries diuerſæ ſententiæ admonere potuiſſet. Enimuero ut mundũ ipſum ad conteſtationem potentiæ, maieſtatis, iuſtitiæ & gloriæ Dei creatum & productum eſſe recipimus: ita eius cauſſæ finem quendam, in homine ad ſimilitudinem Dei creato, ſitũ eſſe, & exinde omnia potiſsime propter hominem comparata fabrefactaq́;, ex hoc maxime intelligimus, quod Moſes poſt deſcriptam terræ aridæ ab undis ſeparationem, ſtellarumq; creationem à quibus terra illuminaretur, preterea omne genus

animalium productionem: dominum Deum ad hunc modum locutum tradit Geneſeos *primo:* Faciamus *hominem ad imaginem noſtram ſecundũ ſimilitudinem noſtram,* VT PRAESIT *piſcibus maris & uolatilibus cœli & iumentis, uniuerſæq; terræ, omniq; reptili quod mouetur ſuper terram.* Et *creauit* Deus *hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem* Dei *creauit illum, maſculum & fœminam creauit eos.* Benedixitq; *eis* Deus, *& ait eis* Deus, Creſcite *& multiplicamini,* ET REPLETE *terram, & ſubijcite eam, & dominamini piſcibus maris, & uolatilibus cœli, & uniuerſis animantibus quæ mouentur ſuper terram.* Dixitq; Deus, Ecce *dedi uobis omnẽ herbã afferentem ſemen quæ eſt ſuper faciẽ* OMNIS TERRAE, *& omnis arbor in qua eſt fructus arboris ſeminans ſemen, uobis erit in eſcam & cunctis animantibus terræ, omniq; uolucri cœli, & uniuerſis quæ mouentur in terra &c.* Quibus *uerbis teſtatur propheta, in uſum hominis creata omnia, eumq; ſolum ad imaginem* Dei *& ſimilitudinem conditũ: iam tum ſignificans longe aliam conditionem eſſe hominis, poſtremo creati, & ad imaginem conditoris, quàm reliquorum uiuentium quæ illius gratia condita uiderentur: quippe principem eum & dominatorem cæterorum in terris ſtatuit.* Factum *enim eſſe ait ut præſit, etiam piſcibus maris & uolatilibus cœli.* Item, *ut*

terram

, Tota terra Paradiſus,

terram non repleret ſolum propagatione cui benedictum eſt, uerumetiã ſibi eam ſubijceret, & omniũ animantium generi dominaretur. Hoc *ipſo enim quod dixit,* Replete *terram, dominamini uniuerſis animantibus, ſubijcite terram: clariſsime docet, totam terram extantem & omnigenis (ut tum erat) conſertum fructibus, ſedem & hortũ illum* Adæ *& poſteritatis futurã fuiſſe.* Tota *igitur terra paradiſus ille erat, ubertate, amœnitate, felicitate, circunquaque illuſtris, in quo nihil dum ſterile damnatũ aut noxium erat: nam ne mortem quidem guſtaſſet innocens iuſtaq; hominis cõditio, ſi ſerpens ille qui ab initio malus & mendax fuit ſimul homini non fuiſſet noxius.* Accedit *ad hæc quod* Adamo *in paradiſo poſito, omnis generis animalia* Deum *obtuliſſe,* Geneſeos *ſecundo cap. ſcribitur, uidelicet ut nomina illis imponeret.* Omne *igitur animalium genus paradiſus, imò uero omnia animalia, continebat.* Non *cõſequitur autem, ut, ſi demus locum illum in quem creatus* Adam *translatus eſt, eximie ac præ cæteris terræ tractibus amœnũ, præterea arboribus illis, uitæ & dinoſcentiæ, conſitum fuiſſe, ideo diuerſum eum, aut exemptum reliquis terris eſſe.* Etiam *ſi incertũ arbitror quo in loco primus parens nondũ patrata præuaricatione, aut ſolus ipſe, aut poſtea cum coniuge degerit, quis enim hoc in tanta regionum tractuumq; immenſitate indicet? præ*

Paradiſus Vniuerſ.

Gene. 3. Joan. 8.

ſertim quod hiſtoria Geneſeos aduſq; Noam & diluuium, nō niſi duorum locorum priuatim, quod ſciam, meminit. Enos ſcilicet urbis à Cain conditæ, & Eden, ubi paradiſus fuit, id eſt locus ille deſtinatus, quem primum duo homines, Adam & Heua incoluerunt. Cæterum ubi Enos fuerit, uideo quidem quoſdam indicare auſos, ſed ſine teſtimonio, authores enim qui ab illis citātur fluxæ maxime fidei ſunt. Nec me præterit quid de oppido Paradiſo cuius haud longe Damaſco, Mela, Plinius & Strabo meminere, multi ſentiant. Quid Iudæi de Chebron quæ Cariatarbe, id eſt quatuor uirorum urbs dicta ſit, referente etiam Hieronymo, quoniam Adam, Heua, Iſaac & Iacob illic ſepultos eſſe ſit creditum. Quod ſi maxime eſſet, ut aſſeritur, tamen ne ſic quidem notus nobis locus illæ primæ uoluptatis fieret, partim quod egreſſus illum Adam, poſt irrogatā terris maledictionē, alio in loco habitauiſſe ſcriptura teſte memoratur, partim etiā quod tot ſæculorū, quibus ille uixit, excurſu & in tanta prolis ſuæ ſuorumq; multitudine, uariari ſubinde & transferri ſedes potuerūt. In totum autem ſpacioſum & amplam regionem complexū fuiſſe locum illum uel primis parentibus attributum in Eden, cuius Moſes meminit, cum animalium mentio ſupra memoratorum, tum amnium paradiſum rigantium ſitus, hodieq; notus, conuincit. Quis enim, uel à limine ſalutatis Geographiæ

graphiæ

Gene. 4. Chebron alio nomine Hebron. Gene. 3. Gene. 2.

graphiæ ſtudijs ignorat, Aethiopiam & Aegyptum, per quas Nilus inceditur? quis Armeniam, Meſopotamiam, Syros, Arabas, Perſas, Aßyrios, per quas Tigris & Euphrates meant? Deniq; quis patentißimum Indiarum tractum neſcit, quem mediũ rigat Ganges? Quod ſi maxime dubitetur de quibuſdam amnibus, ut uideo de Gange & Nilo dubitari, illi ne ſint quorum meminit Moſes, an alij, tamen ex origine duorum fluuiorum Tigris & Euphratis, de quibus ut à Moſe nominatis, nemo unquam dubitauit, latum amplumq; fuiſſe locum Eden conuincitur. In Armenia enim quæ maior cognominatur, non Euphrates modo & Tigris, ſed etiã Araxes & Cyrus clarißimi amnes, haud ita procul dißitis fontibus meant, quod ſi & hos ipſos Propheta intellexiſſet, tamen nihil minus conſequens foret, amplißimo tractu locum delitiarum expanſum fuiſſe. Siue illorum ante diluuium certus aliquis fons fuerit unde laberẽtur, ſicut ueteres Caſpium ex Oceano defluentẽ, occultis meatibus diffluere crediderunt, ſiue fontem eum Oceanum ipſum intelligimus, qui liquorem his amnibus impertiat ut Damaſcenus exiſtimauit. Paradiſus igitur, ut ſummatim dicamus, nec diuiſus aut ſegregatus ab aliarum terrarum continente, nec inſueta eleuatus altitudine locus, ſed ipſa continens fuit terrarum, quatenus ab undis extitit, nec continens ſolum, ſed & inſulæ & quicquid ex decreto

Paradiſus ubi

creatoris exemptū undis fuit, ad ſedem & culturam humanæ propagationi paratum. Cuius partem fuiſſe intelligimus, hortum illum aut Orientis aut delitiarū, ſine dubio eximie ornatū & conſitum, in quem Deus factum de limo terræ primum hominem tranſtulit, dubium quidem quo loco, ſed in Oriente tamen haud dubie poſitum, quod palàm ex amnium paradiſi nomenclatura deprehenditur. In illo arbor uitæ fuit, æſu ſaluberrimo, præterea arbor uetiti fructus ſciētiæ boni & mali, quibus id nominis non hac quidem cauſſa datum eſt, uelut in arbore aut ex arbore, uita ulla interior, aut ſcientia eſſet, ſed quod hiſce externis ceu ſignis poſitis, & (ut Auguſtinus ea uocat) ſacramentis, primi homines de internis etiam & ſpiritualibus admonerentur. Etenim homo tueri ſeſe obedientia & uiuere potuiſſet, nec ueſci uetitis, ſed libertate in qua conſtitutus fuit abuſus, præbere aurem ſerpenti maluit, & legem creatoris uelut inuidentem & arcentem à melioribus non contemnere modo, uerumetiam prodere, ſublimia neſcio quæ & dijs paria ambiens, ſed & aduerſus Deum (ô facinus indignum) quaſi parcum remuneratorē, qui nihil tamen meritis ſuapte bonitate & uitam & felicitatem donauerat, intumeſcere, ſocius conſiliorum diaboli factus, & ob culpæ mox agnitæ reatum, in eadem mortis & damnationis uincula coniectus, in quæ ille antea ſuis itidem bonis

abuſus

abuſus inciderat. Hinc illa uiro & mulieri nuditas deprehenſa, quæ ante caſum induta innocentia latebat. Hinc mali ſcientia, quum Adam fugeret, cum puderet facti. Tergiuerſando enim hoc magis prodidit conſcientiā quo fucatius criminis cauſſam amolitur, reamq; agit cōiugem, cui quidem legem uiolanti, non obſequi ſed imperare debuerat. Miſer autem & mœſtus tandē uidit & cognouit, quod minime cognitum fuiſſe præſtitiſſet: nempe quàm bonū & exoptabile fuerit frui innocētia, parere Deo, diligere ipſum, eius uolūtati obſecundare, ab eo ſolo hærere, quod ipſum tamen de gradu iuſtitiæ detruſus, præſtare amplius nō poterat. Quid inquis? Neſcirêne præſtat quàm bonum ſit Deo credere & parere eius legi? Bonum eſſe non poſſe putabam, qui hæc ignoraret. Certe bonum eſt peccatori agnoſcere culpam, & dolere de peccato. Nec ſpiritu domini caret animus, qui talia non ſimulate præſtat. Neq; aliud hodie nobis per miſeram illam carnis ſeruitutem, maius aut tutius refugium, quàm quod à nobiſipſis ut reis mortis, dolore & deteſtatione mali, ad eum tendimus manus, cuius ſolius miſericordia ſeruari nos ſcimus. At quanto ſatius fuiſſet tueri innocentiam, & à uetito cibo abſtinere, quàm crimen tanto poſteritatis malo commiſſum deprecari, contráq; dominū & creatorem impia præuaricatione peſſum abitum eſſe fateri. Quottus autē

quiſq; eſt ex omni mortalium numero qui hoc ſenſu capiatur, ut errata ſua ſaltem intelligat, nedum ut doleat. Sed legem obijcis naturæ. At ea percellit conſcientiam, non tranquillat, & gratia animari nos ad pœnitentiam, non natura, theologi paulò ſaniores confirmant. Siquidem dura eſt doloris etiã iuſti conditio, quoq; magis æſtuat & animum affligit, hoc fœliciorem eſſe illum teſtatur qui quod doleat non commiſit. Quanquam noſmetipſos plerunque reſpicimus dolentes, nec æſtimamus quàm indigne egerimus, ſed quàm ægre illo quod amiſimus careamus. Ita dolent in ſeruitutẽ redacti, dum meminerũt libertatis, quam inſigni aliqua culpa amiſere. Sic mœrere decoctores uidemus dum diuitiarum quas poſſederũt, recordantur, & iam miſeri diſcunt quanto ſatius fuiſſet recte uti diuitijs, quàm indulgere uoluptati. Multos crapula grauibus morbis implicat, pleroſq; ob crimen paternis ſedibus exilia ſummouẽt. Dolent igitur, anguntur & mœrẽt, qui in has moleſtias incidêre. Sed quanto præſtabilius fuiſſet, illos uitæ parſimonia ſanitatem tueri, quàm ad eam ſic reſpicere, ut de recuperanda deſperent, hos autem uirtute & probe geſtis rebus patriæ frui dulcedine, quàm amiſſæ tanta animi perturbatione recordari? Breuiter infœlicitas eſt nouiſſe malum in quod incideris. Miſeria autem, ne dicam ſtultitia, deteſtari caſum cuius tute tibimet ipſe

author

author fuiſti. Vehementiſſimi enim ſunt arietes illi, qui ad hunc modū patrati ſceleris ream conſcientiam quatiunt: & hoc acriores eſſe tædiorum ſtimuli aſſolent, quo excellentius & præſtātius iudicamus quod amiſimus, ſed ſeruile quiddam ſecum & de felle magis præſentiū malorum quàm de æqui aut iuſti amore manant. Antea boni maliq; & mortis nomina tantū norat Adam, dum innocēs degeret, mox lapſus (ut in omni caſu) quid bonum fuiſſet, quid malum & mors eſſent, magno ſuo ſuorumq; malo didicit. Ita enim diminutus capite eſt, ut nec ſe aſſerere in priſtinam libertatem, nec aſſequi ipſe quocunque conatu dominicam legem potuerit. Hærebat iam uenis & medullis concupiſcentia, ſatanæ perſuaſio alte radices iecerat, originalem conditionem mortalis fragilitas extruſerat, atq; inde caro eſſe humanum genus cœpit, ſui amans, obtenebratum deſiderijs, nec ullarum minus quàm diuinarum rerum obſeruans. Ita enim malo præuaricationis uitiata eſt natura primorum hominum, ut cum antea pro uolūtatis & arbitrij libertate accedere ad Deū licuiſſet, poſt lapſum, ne uelle quidē carni remanſerit, dixit enim DEVS: Nō diſceptabit ſpiritus meus cū homine perpetuo, quia caro eſt: Gen. VI. A talibus igitur initijs, quum Adam ſeruus eſſe peccati cœpiſſet, non niſi ſeruos genuit: quæ ſanè conditio ex primis illis parentibus in omnem po-

trahunt.

Gene. 6.

mas

Vide. Ioan. 8.
Roma. 6.
2. Petri. 2.

ſteritatem traducta eſt. Vt omnino DOMINO opus haberemus, qui pro beneplacito uocationis ſuæ ſeruitute eximeret & donaret libertate in ſe cõſiſos & credentes, quando primi parentes hoc ipſo maxime deliquerant, quod ſeruaturo non credidiſſent. Is demum fuit DOMINVS ille cœlorum & terræ, Ieſus Chriſtus, iam tum quidem hoc ipſo adumbratus fidelibus, quod uenturum è mulieris ſemine, Deus prædixit, qui ſerpentis caput eſſet calcaturus. Cæterum teſtante Eſaia, aliunde ille quàm de cõtagione incarnatus genituſq; in mundum uenit, cuius quidem incomparabili uindicatione, ſic ſumus manumiſsi, imò uero nec manumiſsi, ſed redẽpti, ut nõ libertini (quod omnium tamen manumiſſorum eſt) ſed uere liberi facti in filios & cohæredes cœleſtium rerum, inenarrabili illa miſericordia interueniente ſimus cooptati. Inenarrabilem dico, quia nec bonitas & magnitudo illius qui præteritus & contemptus eſt enarrari, nec eius qui præterijt & contempſit ingratitudo digne unquam referri poterit. Vt ſileam interim quod leges raro benignæ ſunt admonitis, ſæpius parcunt his qui ignorãtes peccant. (Haud enim indignũ eſt commiſeratione quod à neſcijs cõmittitur.) At quum admoniti peccant, non animi ſolum inſolentiam leges ſed & faſtum & perfidiam æſtimant. Vt nimirum in primorum parentum delictum, hoc maior miſericor

dia

dia fuerit, quo indignior erat præuaricatio cui parceretur. Certe uim & magnitudinem eius hoc ipſo deprehendimus, quod non nos ſolum quos præceßit Chriſtus & qui ſecundarium eius aduentum è cœlis expectamus, ſed patres etiam noſtros qui multis annorum milibus priorem illum aduentum præceſſerant, ex anticipata ſpe & fide in eum qui uenturus erat, liberarit & ſaluauerit. Et hæc fuit illa CRVCIS potentia, quam ſcitißimis numeris Fortunatus epiſcopus, ad hunc modum complexus eſt.

Fortunatus Epiſcop9.

De parentis protoplaſti
Fronde, factor condolens:
Quando pomi noxialis
Morſu in mortem corruit:
Ipſe lignum tunc notauit
Damna ligni ut ſolueret.
Hoc opus noſtræ ſalutis
Ordo depopoſcerat,
Multiformis proditoris
Ars ut artem falleret
Et medelam ferret inde
Hoſtis unde læſerat. &c.

Enimuero ut aliæ cauſſæ ſint, quibus ad eum modum cœleſte illud arcanū diuinæ maieſtatis omnia diſpenſarit, tamen (quantum intueri in illa caligans hominis animus poteſt) iuſtitiæ eius fuiſſe uidetur, ut rationē

lem creaturam, prius quidam Angelicam, mox & humanam, ad imaginem ſuam conditam, libertati arbitrij relinqueret: ut, quoniã illæ uolentes tantis rebus abuſæ eſſent, non haberet ulla creatura quod reſponſaret, ſed ſemel mundo teſtatum fieret, ſolum Deum uere & ex ſe bonum eſſe, & æterna ſua libertate non niſi bonum conſtituentem extra omnem lapſus & erroris aleam conſiſtere, reliqua omnia ita infirma caducaq; eſſe, ut niſi ille uegetet & conſeruet peſſum abeant, ut hoc modo omnis gloria in Deum redũdet, per quem & in quo (ut inquit Paulus) omnia. Porrò & ſub peccatum omnia concluſa, ut miſericordia in omnes, agnoſceretur. Peccatum autem acceptum arbitrij libertati qua primi hominis abuſi ſunt, referimus. Homo non adactus, ſed uolens, quin & de lege ſeruanda cum pœnæ notificatione admonitus. Vt palàm iam iuſtitiæ diuinæ ſit, quicquid peccato irrogatur à Deo: contra uero miſericordiæ, quicquid uitæ aut ſalutis his quorum damnatio eſt, impertierit. Bonos condiderat primos homines Deus, bonos eſſe iuſſerat, donarat libertatem quo commendabilius obedientiæ ſtudium eſſet, & ut mandato fieret locus. Fruſtra enim illi mandatur, ut obediat qui non poteſt non obedire. Potuit igitur obedire Deo & auſcultare ſatanæ potuit. Hoc ipſo uero quod elegit, ſui mali fuit author, nec latuit dominum futurus caſus, nihil minus

Roma. 11.
Gala. 3.
Roma. 11.

nus

Adã et Eua lapsi, præsciente deo,

nus tamen cadere & præuaricari libertatis fuit. Sed præſcientiam diuinam obijcis quæ non fallitur, ut exinde labi primos homines oportuerit. Profectò lapſi ſunt, præſciente domino. Cæterum ut nec mandatum de non ueſcẽdo illos priuauit libertate, aut ad ſeruandum impulit, ita nec præſcientia. Impium enim eſt & ignorãtiæ plenũ putare, aut inducere in animũ, quod incolumi præſcientia non potuerit primos homines iſthac libertate donare dominus, cum idipſum palàm ſcriptura prodat. Quanquam diſpenſationem conſiliorum Dei ab æterno decretam, uel uno Chriſto domino teſte uideam. Video tamen certo ſua culpa primos homines peccaſſe, & abuſos libertate, qua bene uti potuiſſent. De hac enim, niſi fallor, ſcaturigine fontes illi incõprehenſibilis gloriæ, bonitatis, iuſtitiæ & miſericordiæ Dei, manãt, quocunq; animus cogitantis ſeſe uerterit. Arbor ergo ligni uitæ in horto illo ſtetit, pariterq; arbor ſciẽtiæ boni & mali. Sacramentis iam tum egit Deus cum homine & per externa, internorum admonuit, ſpiritaliaq; corporalibus adumbrauit, & nomina dedit rerum quarum admonerent, ut ferè ubique eum morem ſcriptura ſeruauit, & hodie regnum fidei, quod eſt regnum ſpiritusſancti, in omnium credentium cordibus, per ſacramenta & ſigna uiſibilia, Baptiſmum maxime, & Euchariſtiam in catholica eccleſia exercetur, quibus itidem

Gene. 3

Rgm fidei

rerum quas exprimūt quasq; offerunt animo, nomina impoſita ſunt: recte enim uereq;, id eſt ſecundū ſcripturam, aqua qua tingitur lauacrum regenerationis, & panis euchariſtiæ recte & uere corpus Chriſti, uinumq; recte & ſecundum ſcripturam ſanguis Chriſti dicitur. Horum enim conſecratione & uſu, certo ueſcuntur credentes & corpore uero & ſanguine uero Domini. Aliud tamen eſt quod ſenſus accipit oblatum, aliud quod mens & animus amplectitur. Hoc enim faucibus receptum uentriculo & aluo cōditur, illud cordi animoq; per fidem inſidet: nec dubiū quin ut uerus panis & uerum uinum eſt, quod conſecratur, ita uerum etiam corpus Ieſu, & uerus ſanguis in cruce fuſus pio animo ad fruendū, hoc eſt ueſcendum, obueniat. Sed longe aliud erat arbor uitæ quàm uita illa cuius admonebat, & longe aliud ſcientiæ arbor quàm ipſa ſcientia, ut ſupra ex Auguſtino dictum: ita longe aliud ſunt ſigna euchariſtiæ ab his quæ apprendit animus, & quibus cor per fidem ueſcitur. Arbitror autem & hæc myſteria paradiſi externis ſignis indicata, ut alia multa ueteris teſtamenti rerum mutatione inducta ceſſaſſe, quum uidelicet primi homines lapſi eſſent, & nō modo ſerpenti quæ crimen conflauerat, uerumetiam terræ toti quam incoleret poſteritas, maledixiſſet dominus, noxijsq; & damnoſis rebus orbē aſperſiſſet, ut mox paulò, nō mors tantū in noſtra

Ad Tim. 3. Matth. 26. Marc. 14. Luce. 22. 1. Corin. 11. Ge. 3.

Vox maledictionis / qd /

noſtra corpora pro ſuo iure ſæuiret, ſed beſtiæ quoq; & morbi diutini, inſuper & cœli & elementorum iniuriæ affligerēt. Nec aliud maledictionis uoce intelligo quàm mutationē primæuæ amœnitatis & ubertatis, in eum ſtatum quem hodieq; orbis retinet, hoc eſt laborioſum, mortalem, uarium, ærumnis plenum. Qui quidem diuinæ beneficentiæ moderatione, quanquam à primis illis delicijs & beata fertilitate degener factus eſt, tamen ſudori & laboribus ita ſufficit etiam ubertatem, ut terræ terris, & populi populis ex abundāti ſubmittere alimoniam poßint, unde & prima ueterum commerciorum & commigrationis gentium initia manarūt. Porrò quod fame, quod muſca, quod peſte, quod beſtijs affligimur, merito ueteris tranſgreßionis uelut nota quadam cenſoria admonemur, ne ſupinos nos efferamus, ſed extimulemur potius ad eum ſuſpiciendum qui noſtri eſt miſertus, cum damnare potuiſſet. Longe uero grauißimum eſt & plenum periculorum ſatanæ regnum, in totum pariter orbem ex prima illa ſerpentis impoſtura, cum humano genere propagatū, plenum inquam iniquitatis concupiſcentiæ & deſideriorum, quod ſoli inobedientiæ acceptum referimus. Etenim hoc magis noxium infeſtumq; intelligitur, quo præſtantior externis illis caducisq; rebus animus eſt, quem prope ſolū appetit. Porrò ut alia quoque huius immanitate de-

Fames: peſtis: gladius poenæ ſunt. quas minatur dominus his qui non ſeruant mandata eius. ſed quamuis hæc prædicta ſint et inculcata, non tamen uidemus, nec intelligimus, donec uenerint. [illegible] ... Vide Deut. 28. Leui. 26. Hiere. 15. 34. 42. Ezechielis. 5. 6. 14

uinci uaſtariq; demus, liquet tamen nullã quantumuis precioſarum rerum cladem tantam eſſe poſſe, quanta eſt animarum iactura, quæ cum orbis etiã interitu conferri nequeat. Enimuero Chriſtus unius animæ lucrum pluris quàm orbis fecit: ut liquida cauſſa ſit cur orare nos ne tẽtatione ſuccũberemus, iuſſerit. Et Paulus apoſtolus, ad externa illa incommoda patienter ferenda, & ceu irrogata à domino quæ feramus, hortatus, contra ſpirituum fallaciã, id eſt illud ipſum ſatanæ regnum, panoplia etiam fidei obarmat credentem, ne quod uulnus ab hoſte accipiat. Nouit enim quam ſæuus ille infirmis immineat, qui fortẽ callidus præcipitaſſet. Igitur ſacramẽtis illis paradiſi poſt uiolatam legem intermiſsis, & alia facie terris per maledictionem inducta, ipſum pariter decorem paradiſi terreſtris de medio ſublatum eſſe, hoc ipſo, ut arbitror, intelligitur, quod paulò ſupra ex ſcripturis terram totã primæuis illis delicijs ueſtitam fuiſſe demonſtrauimus. Nec nos remoratur quod ait Moſes, dominum Deum Adamum de paradiſo uoluptatis emiſiſſe ut terram operaretur. Intelligimus enim eum de conditione in conditionem, neque hoc fortaſſe ſolum, ſed & de loco in alium locum, ut exulantem, ne ubi præuaricatus eſſet, habitaret, emiſſum, atquæ hoc modo etiam eiectum fuiſſe, & ante paradiſum uoluptatis cherubim locatum & flammeum gladium uerſatilem

ad

ad cuſtodiendum uiam ligni uitæ circunductum &c. Hoc eſt, immortalitatis donũ ad cœlos receptum, uitam perpetuam mundo ereptam interpoſita Machera illa igneæ zonæ quam ueteres quoque ceu limitem quendam fecerunt rerum caducarũ & uariabilium: ut locus immortalitatis non amplius terrenus, ſed cœleſtis, à noſtro orbe latiſſime ſeparatus exiſtat. Ad quem modum uir doctiſſimus florens Tertullianus, idemq; author uetuſtiſſimus, interpretatus eſt. Vtitur plerunq; ſcriptura ſimplici rerum narratione, & in ſublimium arcanorum deſcriptione, ad noſtrum maxime captum ſeſe demittit, ut à figuratis etiam inuolucris uerborum & noſtræ imbellicitati maxime appoſitis, non abhorreat. Nec ſtatim eſt à literæ ſenſu remotum, quod de ſpiritualibus & inuiſibilibus traditur. Horum enim non minus eſt hiſtoria, quàm rerum corporaliũ, alioqui non niſi allegoria enarrari inuiſibilia poſſent. Quod non eſſe palàm primũ caput Ioãnis euãgeliſtæ, de uerbo per quod omnia ſunt creata conuincit, præterea & ſerpens hoc ipſo loco Moſis in quo non allegorice modo, ſed ex literæ hiſtoria ſatan intelligitur, eodem modo & cœli nomine, creati (ut in Geneſi ſcriptum eſt) angelicæ naturæ creationem uideo à doctiſſimis interpretibus intelligi, ut ad hunc modum Moſes nõ aliud indicare quàm cœleſtem paradiſum uoluerit. Quanquam nec allego

Examina tamen illa Verba

Gene. 1

riam admodum remoror, modo hoc mihi detur, ut neceſſariã eam, non aſcititiam, ad literæ ſenſum capiendum dicere liceat: & ideo his uerbis uſum Moſen, ut ex illis aliud intelligamus, quod proprium allegoriæ eſſe lib. 15. de Trinitate docuit Auguſtinus. Proinde & Chuonradus Pellicanus homo citra cõtrouerſiam & pius & eruditus, & cui in Bibliorum tractatione, ut peritiſſimo Hebraicæ linguæ interpreti, fidere poſſis: ſuis in Geneſim nuper æditis commentarijs de illo loco Moſi locutus, Picturatus, inquit, uidetur eſſe ſermo, ſignificans idem quod, Firmiſſime muniuit paradiſum contra homines, hoc eſt, facultatem ac ſpem omnem ademit feliciter ac perpetuo uiuendi & mortem euadendi in hoc ſæculo &c. Certe ſcriptura noui teſtamenti non alius uſquam quàm cœleſtis ac ultramundani paradiſi meminit. Chriſtus Lucæ 23. ad latronem, Hodie, inquit, mecum eris in paradiſo. Spiritus huius cum ſpiritu ſeu anima Chriſti futurus erat in gaudio, loco haud dubie ingentiũ deliciarum, ſed quas terreſtris paradiſus ſpiritui, ut ſupra eſt dictum, non exhibet. Paulus item in ſecũda ad Corinthios 12. in tertium ſe cœlum raptũ innuens, & in paradiſum raptum ſe tradit: licet uero dubitet in corpore ne an extra corpus raptus fuerit, tamen nõ dubitat Ambroſius Apoſtolũ exponens, in cœleſtẽ eum paradiſum eſſe raptum, nempe illum de quo Chriſtus latroni ſit locutus,

Chunradus Pellicanus

locutus, & ubi Hieruſalem, mater noſtra, exiſtat. In eum locum ſi ſint rapti Enoch & Helias, non refragatur Ambroſius. At in terreſtrem aliquem locum translatos, etiã Auguſtinus abnuit. In Geneſi quidem & epiſtola ad Hebræos Enoch raptus traditur, neq; ulla fit loci mẽtio ullius: nec aliud in Regum hiſtoria de Helia legimus. Ieſus quidẽ Naue in paradiſum raptum aſſerit, ſed cœleſtem illum intelligi debere, ſatis illa conuincunt, quæ ſecundo capite quarti libri Regum de Helia in cœlum rapto referuntur. Sunt planè præter iam memoratas, cauſſæ aliæ quoq; quæ æquo Lectori facile ſuadẽt, ut re propius inſpecta, colligere animo poßit, terreſtres delitias quæ innocentiæ paratæ erant, hoc eſt, conſitum illum paradiſum primorum parentum, deſijſſe. Quarum præcipua eſt, quod Moſes Geneſis 7. tradit terram totam & omnes montes ſub uniuerſo cœlo, aquis diluuij obrutos & merſos, ipſamq; continentem centum quinquaginta dierum ſpacio, durante diluuio, uaſtatam fuiſſe: quam ſententiam ut indubitatam Auguſtinus libro de ciuitate Dei 15. contra ueterum quorundam deliria, montes eximentium, magna aſſeueratione tuetur. Si igitur illuuie tam uehementi tamq; immenſa terrarum facies occupata eſt, orbe in uniuerſum merſo., quis credat hortum illum primis hominibus ad colendum datum, extitiſſe? Aut enim tota terra ſub undis non

ſuit, aut locũ paradiſi undis obruit diluuiũ. Prætereà Geneſis tertio capite ita ad Adam dominus locutus eſt: Maledicta terra propter te, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus uitæ tuæ, ſpinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. Quo loco ſimpliciter, ni fallor, terram uniuerſam intelligit. Indefinitæ enim locutiones (ut quorundam more loquar) plerunque in ſcripturis uniuerſalibus ſeu in genere enunciatis æquipollent: nec exemplis eſt opus cum id nemo neſciat. Quod ſi propter uiolatã ab inobedientibus legẽ ſplendor uetus terrarũ interijt, primigena illa uenuſtate ablata, certe ueroſimile non uidetur, eum locum in quo patratũ eſt crimen atq; unde maledictio telluri irrogata eſt, præterea labes & interitus reliquæ hominũ propagationi immiſſus, ſuum decorem retinuiſſe. Quin contra in ſcripturis uidemus pleraque loca flagitiorum parum honeſtis nominibus ceu inuſtis, notata eſſe, uidelicet ne memoria commiſſæ impietatis aut criminis intercideret, quanquam non loci, ſed hominum culpa fuiſſet, ut iſthæc ſubinde cogitanti ueroſimilius uideatur, aut exuſtũ ſolibus locum illũ, aut alijs cauſsis deſertũ factũ eſſe, ubi ſcelus tantum primi homines perpetrarunt, quàm aut habitari frequenter, aut ſua etiamnum florulentia durare. Quod ſi quis eſt, qui terreſtris illius adhuc amœnitatis ullum uſum reliquum indicare queat propter

Vt patet de quinque ciuitatibus ob peccatum Sodomitarum diuina ultione ſubuerſis. Genes. ca. 19.

quem

quem adhuc durare credi debeat, equidem lubens mu-
tauero ſententiam. Etiam ſi fatear hoc me non uidere,
ſed certus ſim ſpiritus bonorũ hominum, qui hac luce
defunguntur nulla amœnitate corporali capi poſſe.
Corpora autem reſurrectionis itidem ſpiritualia, nec
terreſtris ſed cœleſtis conditionis, Chriſto & Paulo Matth. 22.
teſtibus, futura eſſe, & ſi quæ iam ſint in gloria ter- Marc. 12.
reſtri amœnitate non capi. Ad quid igitur, oro, ter- Luce. 20.
reſtris amplius aut quæritur paradiſus aut intelligi- Ioan. 5.
tur? Finge autem ut ſit, ſicut eſſe cõtenditur, primum 1. Corin. 15. 13.
nobis mortalibus uia ad illũ præcluſa eſt, dein immor Vide Mar. 13.
tales facti ante diem reſurrectionis frui eo non poſſu Sapien. 3.
mus, ut antè eſt dictum. Vbi uero aduenerit dies ille Danielis 12.
qui animas corporibus & corpora animabus reddet, Hesaie. 65.
nihil terreſtre ſequemur, ſed erimus ut angeli Dei & Matth. 22.
uictores per Chriſtum, de ligno illo uitæ cuius Apo-
calypſeos ſecundo Ioannes meminit, ædemus, & ſpi-
ritalis ille cibus non corporalis erit. Non ſum autem
neſcius, præclarum authorem Lactantiũ Firmianum
paradiſi delitias in hoc aſſeruari tradidiſſe, ut iudicio
in terris facto, Deus iuſtos uiros & cultores ſuos in
eundem locum morte ſublata reuocet: ſic enim ſcri-
pſit libro diuinarum inſtitutionum ſecũdo. Sed memi
niſſe oportet, illorum errori inuolutum fuiſſe, qui pu
tarunt credentes poſt aduentũ Chriſti in terris mille
continuis annis ſuauiter acturos, antequam poſtrema

ſatanæ ex catenis dimiſſi rabies mundum quateret, ac demum regnũ illud cœleſte inciperet. De qua re com *pluſcula, de* Millenariorum *hæreſi (ita enim à mille annis hi uocati ſunt) prolata libro ultimo conſcripſit, ad quem* Lectorem *remittimus, ut nihil agãt, qui* Lactantium *tueri pergunt.* Porrò *ſi ulla de terreno regno inſtaurando ſcripturarum argumenta ſuppeterent, longè ſimilius uero eſſet, terram uniuerſam priſtina dignitate & amœnitate donatum iri à domino, ut hac quoque à parte auferretur maledictionis calamitas, quàm quod tractus ille duobus hominibus per initia attributus, tantam electorum frequentiam manere, uideri debeat.* Et *eſſent loci ſcripturæ ad hoc ipſum accommodi, ut ille* Petri *de nouis cœlis, & terra noua.* 2. Pet. *ultimo, niſi conſtaret* Milliariorum *uanitatem iam olim, nec ſtrepitu nec inuidia hominum, ſed ~~clariſſimis~~ ſcripturarum telis confoſſam, ut plura de ea referre opus non habeam.* Et *de paradiſo quidem hactenus.*

"parrium. "aptissimis

ALBANIA, HIBERIA, COLCHIS, BOSPHORVS.

SVpra dictum eſt à nobis, Sarmaticas gentes intra Mæotin & Rha fluuium diffuſas ab Auſtro Caucaſijs iugis finiri, citra autem in Caſpium, & Pontum inclinantes, hinc Albanos, illinc Colchos, inter utranque autem gentem Hiberos iacere, à qui-

bus

bus inter ſe perpetuo montium tractu diſcretis, ſua nomina etiam terris impoſita ſunt: & Albania inde, & Hiberia, & Colchis dicta eſt. Præcludit illas atq; excipit à meridie Armenia, maior cognominata & Moſchicis immiſſa montibus, de qua mox dicemus. Orientale latus quod Albaniæ eſt, ſinus ille Borealis Oceani, quem Hircanum & Caſpium adpellari diximus, terminat. Occidētale, qua parte Colchis iacet, pontus alluit Euxinus. Media ipſa Hiberia Caucaſijs & Moſchicis mōtibus, quæ Tauri pars ſunt, uelut ſeptis quibuſdam includitur. Terrarum illic anguſtia ſiue Iſthmus, qui duos illos ſinus intercipit, non amplior CL. M. paſſuum eſt, tam arcte rurſum Aſia, duorum occurſu marium premitur. Perfodere eam Seleucum Nicanorem cogitaſſe, Plinius ex Nepotis authoritate prodidit. Nec defuere ueterum quidā qui occultis meatibus in Pontum influere Caſpium putarunt. Conſtat enim, teſte etiam Plinio, Euxinum mare per Thracium Boſphorum ferè meridiem uerſus fluere, undarum uidelicet ui ac multitudine ſeſe in Propontida exonerante, quod ipſum ex amnium Mæotim & Euxinum ingredientium cum numero tum etiam memorata ſcriptoribus magnitudine accidere ueroſimile eſt. Nam quæ de Caſpio ab illis ſunt prodita, Strabo libro XI. ut indigna fide reſpuit. Plinius autem cap. 13. libro quarto, illa de cauſa à quibuſdam

creditum tradit Pontum caput & fontem reliqui ma ris eſſe quod terris interiacet, quoniã æſtus inde ſem per in Propontidem, nunquam reciprocantibus un= dis influant. Ipſa ALBANIA ſuperfuſa montibus Caucaſijs aduſq; Cyrum amnem ubi Armeniæ & Hi beriæ confiniũ eſt, deſcendit, clariſq; amnibus è Cau caſo uenientibus perfunditur. Primæ gloriæ Camby= ſes eſt, quem magnis aliquot fluminibus, inter quos Hi berus eſt, receptis, ſed & nauium patientem Cyrus excipit: à quo Cambyſena regio dicta. Secundũ Cam byſen maxime clari Caßius & Albanus memoran= tur Plinio. Terra non aëris ſolum ſalubris & ſereni, ſed eximiæ etiam fertilitatis eſt. Multis in locis ſemel ſata bis térue fructum reddũt, nouellæ uites in bima= tu feraces cernuntur, adultæ ferè tantum reddunt, ut pars maxima in palmitibus relinquatur, ſicut lib. XI. ſcribit Strabo. Paralleli latitudinis, ijdem Albaniæ, Hiberiæ, & Colchidi ſunt, qui Pannonijs, Datiæ, Mœ ſiæ, ut indigne eius terræ fertilitatem Aeneas uidea= tur admiratus, uelut remotioris à ſole & temperie, cum nec Pannonijs nec Datijs nec Mœſijs prædicata deſit fertilitas. Et ſatis cõſtet, ſuum quibusq; locis Ge nium eſſe, tractumq; Albanorũ non in ortum ſolum, uerumetiam ad Oceanum deuexa planicie conuer= ſum, præterea & à tergo altißimis mõtibus ſeptũ & multis magniſq; amnibus irriguũ, breuiterq; tali ſitu

eſſe

eſſe qualis fertilium locorum aſſolet. Oppida eius regionis plura, ſed ex ueteribus memoratum, Chabala. HIBERIA quo anguſtior eſt, hoc frequentius habitatur, ſed minus tamen memorabili rerum prouentu. Vrbium eius, celeberrima Harmaſtis, Plinio, quæ & Harmoſice dicitur Straboni. Difficiles autem ſunt aditu Hiberi, propter montium quas diximus anguſtias, & itinera alicubi etiã manu exciſa. Quanquam in totum uix alijs in locis difficilior eſt tranſitu Caucaſus, quàm ubi Hiberos & Albanos à Scythis Sauromatis diſterminat. Pilæ illic ſunt ſeu portæ Sarmaticæ & Albaniæ Ptolemæo, Plinio Caucaſiæ dictæ, & inter ingentia naturæ opera relatæ, montibus repente interruptis, adeoq; ad tranſitum permittendũ inuitis, ut qua iter eſt, fores etiam ferratis trabibus obdantur, & orbis terrarũ eo loco portis (mirũ dictu) diſcludatur. Haud longè & Armenicæ pilæ ſunt, nihil æquiores tranſeuntibus, ut magnæ Pompeio gloriæ fuerit ingredi cum exercitu ad Hiberos auſo, tametſi poſt deuictum Tigranen nihil illi imperuiũ uidebatur propter famam uictoriarum, quæ fortibus etiam & inaceſsis terrori eſſe conſueuit. COLCHIS extima eſt occaſum uerſus, & nobis proxima, regio nõ hiſtoria modo celebrata, ſed & fabula, Medeæ ſcilicet & Iaſonis, & aurei illius uelleris fama, quæ unde locum habuerit, & unde Poëtis nugandi occaſio data ſit,

abunde explicuit libro XI. Strabo. Conſtat hodieq́; eum tractum auri & metallorũ eſſe diuitem, ſed gentium haud dubie mutatione facta. Veteres enim Colchos origine Aegyptios fuiſſe, atque his demum locis conſediſſe, quum Seſoſtres potẽs Aegyptiorum rex, poſt Europam inuaſam & tentatã Scythiam, partem exercitus apud Phaſim fluuiũ, dubium an data opera, an itinerum & militiæ perteſam, reliquiſſet. Vnde & illud Valerij Flacci lib. Argonauticωρ quinto, ubi Iaſonem inducit Templi picturã conſiderantem,

Cunabula gentis
Colchidos hic, ortusq́; tuens, ut prima Seſoſtris
Intulerit rex bella Gethis, ut clade ſuorum
Territus, hos Thebas, patriumq́; reducat ad amnem,
Phaſidos hos imponat agris, Colchosq́; uocari
Imperet &c. Et mox pauló:
Et iam Sarmaticis permutant carbaſa braccis.

Quod ideo dictum uidetur, quia Colchi, ſicut libro 2. tradit Herodotus, linificio haud abſimili Aegyptiaco celebrantur, ut intelligamus linum Sarmatis pro pellibus è quibus Braccæ & Rhenones fierent in mercatu aut negociatione permutare conſueuiſſe, ſed & è lino Carbaſa eſſe notũ eſt. Herodotus Sardonicum Græcis dictum fuiſſe, Colchicum illud linum teſtatur, "magis nec "minus inter indicia ueteris originis refert linificium Colchorum, ceu ab Aegyptijs inductum, quàm circun=

circunciſionem, qua & ipſa uſos ſua ætate Colchos fuiſſe tradit, perueterem eum morem Aegyptijs fuiſſe affirmans, etiam ſi authorem ut ~~gnarus~~ ignarus propheticæ ſcripturæ non indicat. Amnium eius tractus maximus & clarißimus eſt, Colchorum qui rura ſecat ditißima Phaſis, ut inquit Lucanus. Plinius iuxta etiam urbem hoc nomine fuiſſe, ait. Strabo centũ & uiginti pontibus iungi fluuium antequam in Pontum ueniat author eſt. Nec mirum id eſſe cogitantibus primum quàm uagus, dein quantum fluuiorum hinc & inde recipiat, quorum præcipui & per ſe etiam nauigabiles, Glaucus, Hippus, & Cyaneus memorantur. Ptolemæus Hippum & Cyaneum ſeorſim Pontum ingredientes facit. Vndoſum eſſe & uehementem, ſatis Flaccus indicat, quum ait:

Magnus ubi aduerſum ſpumanti Phaſis in æquor
Ore ruit &c.

Ex oppidis inter mediterranea, Surium, maxime clarum eſt: è maritimis autẽ Dioſcurias Emporiũ adeò celebre quondã, ut Plinius tradat Romanos CXXX. interpretibus negocia Dioſcuriade geßiſſe, ob gentium quæ illò cõfluxiſſent linguas tam diſſonas. Vt ea re inter memoranda poſuerit idem author, quod Mithridates potentißimus Ponti quondam princeps, & à Romanis trium clarißimorum ducum ſucceßione quadrageſimo demum anno ſuperatus, uiginti duabus

linguis totidem gẽtibus quibus imperauit, quosq́; inter, Colchi fuêre, locutus, neq; ab ullo ſuorũ unquam per interpretem appellatus, traditur. Supra Dioſcuriadem in Boſphorum, qui Cimmerius dicitur, terræ ſeſe faſtigiant, & Palude atque Euxino ita coguntur in arctum, ut latitudo alicubi haud amplior duorum iugerum exiſtat. At qua Cherſoneſo ab Europæ littoribus uenienti ſeſe opponit, paulò eſt latior, & penè inſulæ forma pateſcit, claris quondam oppidis, & quorum maxime uetuſtum Cimmerium memoratur, habitata. Fauces Boſphori XX. ſtadiorum latitudinem habent. Cimmerium autem à Cimmerio oppido dictum, ipſe etiam Strabo innuit. Gens in eo tractu uetuſtiſsima Heniochorum multis olim nominibus diducta, nam & Cercetæ & Athei atque Sidones, celeberrimi autem, & qui late aliquando circum imperitarunt Cimmerij. Memorabile autem in hoc tractu tam remoto, clariſsimarum urbium Græciæ, Colonias ſtetiſſe, nec in Aſiatico ſolum ſed & Europeo littore, id quod maris beneficio tribuitur, etiam ſi Romanos armis, illò uſque & amplius Pompeio, & ante eum Lucullo duce, penetraſſe cõſtat. Adeò ignara ſui mortalitas eſt, ut immenſum etiam ambiat, & quod ille de Alexandro dixit: Iuuenalis ſatyra .10.

Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis.

Hoc ipſum profecto in totum queas de cupiditate dicere

cere. Perinde enim atq; in hydrope ſitim auget quicquid bibitur: ita in ambitione nulla eſt ſatietas, ſed hoc magis creſcit amor habendi quo plus occuparis. Antea Macedones ad fontes uſque Tanais penetrarunt. Neque Aegypti reges ſanè, neq; Perſæ, Scythia abſtinuerunt. Romani autem ut æmuli Macedonum paria ſunt auſi. At uero præter nomen & memoriam nil habet hodie inanis gloria, quod horum impenſis ferat acceptum. Diuerſa nunc rerum facies eſt, conuerſa ſunt imperia. Macedones & Romani olim Sarmatis & inter eos Turcis metuẽdi imminebant, nunc Turca Macedonibus nõ imminet ſolum, ſed imperat. Partem autẽ ſi non maximam, certò tamen optimam & cultiſsimam terrarum tenet, quæ Romano quondam imperio paruere. Vnum hoc ſolatio eſſe debet, quod eſſe audio plurimas harum gentium, quæ Christum ut ſeruatorem agnoſcunt & colunt. Hamaxouitas enim, ſeu (ut uulgus uocat) Moſchouitas propemodum intimos Sarmatarum, Chriſtianos eſſe conſtat, nec dubitatur de Hiberis quos Georgianos uulgò dici Aeneas prodidit. Notantur autem à quibuſdã ob cerimonias, ſed tales ex parte, ut illis uel apoſtoli uſi uideãtur: & occiduæ, id eſt, Latinæ eccleſiæ uti poſsint. Non enim cerimonijs, ſed ſcripturis eccleſia nititur. Illas mutare aut cauſſa poteſt, aut cõſenſus, has ne angelus quidem è cœlo ueniens, mutauerit.

Quo plus sunt potæ tot sitiuntur aquæ.

Vide Gala. 1. 1. Corin. 2. 1. Timo. 6.

REceptiſsimi ſcriptores duas Armenias faciunt, maiorem ſcilicet & minorem. Maior ab intimis faucibus duorum ſinuum, Euxini & Caſpij Auſtrum uerſus progreſſa, habet à Septentrione ante à me dictos Moſchicos montes, & Cyrũ amnem ex Hiberia uenientem: ab Ortu Caſpio ipſo & montibus Caſpijs è Media uenientibus excipitur: latus occiduum claudit Euphrates, ab eo maxime loco, quo Pontum ingreſſurus à Tauro in meridiem repellitur. Plinius Pariedros eos montes, Ptolemæus Moſchicos uocat. Inde enim recta ad Auſtrum & Amanum montem progreſſus amnis, limitem ſe Armeniarum conſtituit. Ab illo flexu in Boream & Hiberos quod Armeniæ reliquum eſt Pariedrus à Cappadociæ & Ponti populis ſummouet. Niphates mons, celſus & niuoſus, meridianam eius oram ab Aſſyrijs & Meſopotamia diſterminat. Regio intus ferè mõtibus & collibus exaſperatur, & innumeris conuallibus ceu lacinijs quibuſdam diuiditur: quarum quidem eximia eſt fertilitas, niſi quod uitem loca quædam reſpuunt. Strabo libro XI tradit Tigranem illum, quem in bello Mithridatico Pompeius domuit, captiuum aliquando apud Perſas, ſeptuaginta conuallibus in precium de regno ſuo datis, ſeſe redemiſſe. Harum paſcuis equos tradunt tam præſtantes gigni, ut cum Parthicis Medicisq; & Albanis nobilitate certent. Sed & reliquo

pecore

pecore propter agri bonitatem abundat. Montium præter limitaneos quos diximus, præcipui ſunt Antitaurus mediam eam tranſuerſo inceſſu permeans donec reflexus ad Boream Sophenen celeberrimam Armeniæ partem includat: & quoniam Tauri iugis hinc & inde uenie̅tibus ſublimis ipſe, obuertitur, inde nomen eſt ſortitus. Eſt & Abus celebris Periardes à Ptolemæo uocatus, & Gordyus, ſeu quod idem eſt Gorduus, Straboni etiã Gordyæus dictus, in quo arcã Noë à diluuio conſediſſe, multi ex noſtris Beroſum quendam ſecuti aſſerunt, & nomen Ararath, quod Gen. VIII legitur, Armeniæ tribuunt. D. Hieronymus undecimo commentariorum in Eſaiam, ubi de fuga filiorũ Sennacherib propheta meminit, Ararat regionem in Armenia campeſtrem, per quam Araxes fluit, incredibilis ubertatis, & ad radices montis Tauri iacentem facit, quam haud dubie Strabo Araxeam planiciem ſeu campum ab amne cognominat. Sed & arcam illis ipſis Tauri altiſsimis iugis poſt diluuium hæſiſſe idem author tradit. Plinius autem (ut & hoc obiter moneã) Gordyæos montes alio itidem loco haud procul Caucaſi portis libro ſexto cenſuit. Inter amnes Euphrates maxime clarus, poſt quem Tigris, inde Araxes: alij & Cyrum quanquam terminalem Armeniæ annumerãt. Longiſsime à fontibus abit Euphrates. Tigris uelocitate, ut ſuprà eſt dictum, emi

Quu Sennacherib rex Assyriorum in templo Nesrach deum suum adoraret. Adramelech et Sarasar filii eius (qui egressi fuerant de utero eius. 2. Chroni. 32.) percusserunt eum gladio. fugeruntque in terram Ararat. Hesaie. ca. 37. 2. Regum. 19.

net. Araxem cõmendat fertilitas (ſed hæc laus ei cum aliis communis eſt.) Cyrus magnitudine prædicatur. Mons Abus, ſex milliũ paſſuum interuallo, Euphratem & Araxem, hunc in ortum illũ in occaſum abeuntes fundit: nec longior illius curſus in Pontum futurus erat, quàm huius in Caſpiũ, ni Tauri immanitas noſtrum ei mare abnegaſſet, effeciſſetq́;, ut qui proximo littore erat quieturus, longiſsimo itinere rubro, & Armeniæ ſuæ quantũuis ſpatioſæ propè incognito mari, feſſus incumbat. Nec ſum neſcius & Phaſin Armeniæ annumerari Straboni, quem cõſtat tamen Colchidis eſſe, ſed fit ſæpe uicinitate parum diſtantium locorum, maxime autem fontium unde amnes defluunt, ut aliis atque aliis annumerentur. Eſt & lacubus inſignis Armenia, quorũ præcipuus Matianus, poſt Mæotin maximus Straboni creditus. Deinde Arſinus, in quem Tigris labitur, à Plinio (niſi is alius eſt) Arethuſa dictus. Mores incolarum ijdem quondam qui Medorum, quibus ab ortu coniunguntur. Ad Armenium autẽ quendam Theſſalum, qui illis in locis cum Iaſone militarit, originẽ nominis referri uideo, etiam Straboni. Nec enim in totum fabuloſum eſt quod de Iaſone & ſociis antiquitas tradidit. Translatitius ille ueteribus uatibus mos fuit, remotas hiſtorias tectoriis quibſdam ac uelut ornamẽtis de fabula petitis inuoluere, ne non interim oblectarẽt, quum prodeſſe pergerent.

gerent. Vrbium Armeniæ dũtaxat uetuſtarum, quarum recepti ſcriptores meminerint, præcipuæ ſunt iuxta Tigrim, Tigranocerta ædito & munito loco, iuxta Araxem autẽ Artaxata, ab Hanibale quum ab Antiocho in has terras diſceßiſſet condita. Sunt & Arſamoſata Plinio & ~~Carcathriocerta~~. Quæ quidem nomina ferè plurali neutro proferuntur, quemadmodum in Medis Ecbatana, in Syria Gyſcala (ut exempli gratia dicam) in Perſide Suſa, in Bactris Bactra, in Armenia minori Cumana, Iſaura in Cilicia, Mazaca in Cappadocia, in Galacia Gangra, Paphlagonia Ptera. Nec id rarũ lectoribus, in locis præſertim eius Aſiæ quæ inter Euxinum & Cilicum mare protenditur. Eſt & Nicopolis extructa à Pompeio inter Euphratis & Araxis initia, cum contra Mithridatem Lucullo ſucceßiſſet. Memoratur & Albanopolis Sophronio, Bartholomæi apoſtoli tumulo clara. Iã olim Armenij Chriſtianæ religioni deuotißimi fuere, ut libro nono Eccleſ. hiſtoriæ teſtatur Euſebius: feruntur hodieq; hærere à Chriſto, ſed hoc ipſi odioſi quibuſdam quod in ſacra Cœna aquam Calici non miſcent, ideoq; & håereſeos inſimulant. Sed diu hoc ſupercilium ſcriptoribus quibuſdam haud bono more durauit, ut quoſuis à ſuis ritibus diſcedentes, ut hæreticos perſtrinxerint, cum cõſtet ne impium quidem uideri poſſe quod ſcriptura recipit, nedum hæreticum. Id

Carcathiocerta

ferè genus digladiationibus factum eſt, ut Græci à noſtris diſceſſerint.

ARMENIA MINOR.

AB Euphrate occaſum uerſus minor Armenia panditur, ea parte Cappadociæ confinio terminata, quam & à Septentrione Ponticæ gentes coërcent, à meridie autem fuit Cilicia & mons Amanus. Regio ipſa non infrequens eſt, & Aſiaticis iam opibus atq; commercijs ſplendeſcit. Pariedrus & Scordiſcus fermè occiduũ eius latus ſtringũt, & Tauri iugum à Cilicia abeuntis, ſuperiora eius brumali occaſu terminat. Patentiſsima ubi Ciliciæ & Comagenæ imminet, ubi Ponto approximat, anguſtior. Inſuper & ſeptentrionibus ſe ſubducit, & pauló eſt Auſtralior quàm maior Armenia. Oppida eius, Nicopolis, Leontopolis, Theodoſia, Sebaſtia, Comana, Chryſe. Nicopoleos cõditor Põpeius fuit, clariſsimis quondam illis in locis contra Mithridatem & Tigranem uictorijs potitus, unde & urbi nomen datum. Porrò eadem ne ſit quam in maiori Armenia indicauimus, an diuerſa haud ſatis liquet, quanquam cõiectura ducor, tantum in re militari uirum, non uno in loco teſtari de ſuis uictorijs uoluiſſe, Alexandri fortaſſe imitatione, quem in Perſis, Carmanis, Sogdianis, Arijs, Paropamiſadis, extimis uidelicet terrarum à ſe ſubactarum, ut ſic dicam, marginibus oppida frequentia

ille ſuo nomine appellata extruxiſſe conſtat. Cæterum Sebaſtiæ epiſcopus fuit, Melitius ille, uir cum doctrina tum pietate clarus, qui Conſtãtino imperante euocatus, Antiochiæ præſul cõſtitutus eſt, nec multò poſt, ut libro nono tradit Euſebius, ab Arrianis exilio uexatus, ob doctrinæ puritatem uaria fortuna eſt iactatus. Strabo amnẽ Melam minori Armeniæ tribuit, in Cappadociæ monte Argæo haud procul Mazacis ortum, & in paludes fuſum, è quibus eluctatus, mediamq; ingreſſus Armeniam, iuxta oppidum Melitene à Semiramide conditum, Euphrati ſeſe miſceat. Iuxta eum Melitenus ager eximie fertilis, & proxime Ciliciam Cataonis in quo Claudiopolis antea Iſaura dicta, præterea Mopſocrene, & Comana. Non prætereundum autem, in huius Armeniæ finitione Strabonem & Plinium longè uariare à Ptolemæo. Illi enim & Cataoniam & Melitenen & in totum quicquid ſupra Melam auſtrum uerſus ad Comagenem pertingit, cum Tracheæ Ciliciæ parte, Cappadociæ tribuunt, quemadmodũ & Martianus & Solinus. Cõtra, Ptolemæus his eã finibus includit, quos ſupra indicauimus, quanquam & Sebaſtiam in Cappadocia numerat, ſed fieri poteſt, ut cũ plures ferãtur, haud diſtãtibus locis Sebaſtiæ, hæc ab illa Cappadocica diuerſa fuerit. Quod obiter admonendum duxi, ne illi cum Ptolemæo collati Lectorem perplexum redderent. Lubens autem

hunc ſum ſequutus, quoniã deſcriptionem eius etiã tabulis expreſſam uiderem, quibus uel ſolis memoriæ legentium ſuccurritur. Nulla autem diuerſitas eſt, Armeniæ Cataoniam & Melitenen & reliquas id genus præfecturas, an Cappadociæ annumeres. Eadem enim eſt agri Tranſpadani ſitus ratio, ſeu Italiæ illum ſeu Galliæ tribuimus. Sed præſtat tamẽ admoneri de his Geographiæ candidatos, quibus hic labor noſter deſudabat. Enimuero & Strabo ſæpe mutatos Cappadociæ fines author eſt, quẽ Plinius niſi fallor, non hoc tantum loco eſt imitatus, etiamſi nuſquam eius, quod ſciam, in Indice authorum quos eſt ſecutus, meminit, cum Pomponium tamen citet, proximum ætati ſuæ authorem, & quẽ haud dubie Strabo anteceſſerit. Iſtud obiter monendum ab Euphrate ~~etiam~~ dicta Armenia initium eius peninſulæ fieri, quæ minor Aſia nominatur, inter Euxinum & Cilicum protenſa. Vtrinq; autem intimo receſſu ſinuum, ab Iſsico & Amani portis, ad uſque Trapezuntem quæ in ora Ponti eſt, latitudinem circiter ducentorum millium paſſuum eſſe per continentem ex Plinij traditione deprehenditur. Iuſtinus libro quadrageſimoſecundo, ab ijs locis ad Caſpium, undecies centenis millibus paſſuum Armeniam patere tradit.

"et iam

CHER-

PRoinde & Cherſonneſus dicta ſcriptoribus, peninſula illa ingens inter Euxinum, ut dixi, & Cilicum Pamphiliumq; mare protenſa, & ab occaſu, Boſphoro, Propontide, Helleſponto, Aegæo, Creticoq; mari excepta, clariſsimarum & ipſa gentium & quarum magna laus non modo in ueteri illo & ethnico diſciplinarum artiumq; genere, uerum etiam in Chriſti religione præcipua gloria fuit. Partes eius peninſulæ ſunt, Pontus, Cappadocia, Lycaonia, Paphlagonia, Galatia, Piſidia, Cilicia, Pãphilia, Lycia, Caria, Ionia, Aeolis, Lydia quæ & Mœonia, Phrygia, Bithynia. Qui ſubtilius diuiſere, Phrygias à Myſorum tractu ſeiungunt, & Lycaonum qui ſupra Cariam Lycijs finitimi ſunt ſeorſim etiam meminere. Nos ut in tranſcurſu, ſummatim ſingulas complectamur. Fateor autẽ me hucuſq; tantis itineribus confectis, & abſolutis penè immenſi orbis partibus, ſæpe quidem haud parum indoluiſſe, quod uiderem non urbes modo, ſed gentes etiam & regna, ab impijs tyrannis deſidia quadam maiorum noſtrorũ amiſſa teneri, in quibus magnæ fidei noſtræ Eccleſiæ, aut in totũ aut magna parte interijſſent. Nunc uero cũ in hanc Aſiæ partem ingrediendum mihi eſt, non diuitem modo & fertilem ſingulari quadam cœli clementia, ſed & celeberrimarum eccleſiarum alumnam quondam, & quæ florem illum Græcæ linguæ quæ totum nobis no

uum Teſtamentum conſignauit, præterea uiros doctiſsimos, pientiſsimos, uigilãtiſsimos ædidit, & ſummam quandam doctrinarũ ſtudiorumq; ad pietatem attinentium rationem complexa fuit, non poſsum non uehementer dolere, tantum dignitatis & pietatis ab hac itidem parte longè maxima clade noſtra de orbe Chriſtiano detractũ. Quis enim uir bonus & amans pietatis uel à lachrymis abſtineat, cogitando quantũ damni Reipublicæ Chriſtianæ in illis cultiſsimis regionibus Orientis propemodum ſola maiorũ ignauia datũ ſit? Et ut demus fuiſſe, qui proximis ſæculis haud admodum aut uitæ moderatione, aut doctrinæ ſynceritate Chriſtianæ diſciplinæ reſpõderint, & offecerit interim Græcanica aut leuitas aut inconſtãtia, tamen remedia adhiberi uitijs, & doctrina, ſi qua parte corruptior facta fuiſſet, emendari ſenſim bonorum conſenſu & authoritate, & à diuerticulo errorum in ſemitã reduci ſanæ doctrinæ potuiſſet. Video enim hiſce fermè cauſsis factum ut noſtrorum ab illis animi defecerint. Acceſsit quidem quod Græci, Conſtantinopolitanæ ſedis fauore, Romanæ urbis Monarchiam ferre noluerunt, nimirũ memores quantũ & alijs apoſtolicis ſedibus ſuis, olim & dignitatis & authoritatis coram omni Eccleſia fuiſſet, & quod regni cuiuſdam ſpeciem adumbrabat ſummi iuris uendicatio tam ambitioſa. Vtcunq; autem his de rebus æque & inique

con-

controuerſum eſt, conſtat hinc uelut è ſcintillis incendium iſtud tantarum diſſenſionum exortum fuiſſe, quod Chriſtianiſsimam illam, & tot ſæculorum cura, ſtudio, opera retentam communionem Eccleſiarum Orientis & Occidentis penitus diſtraxit & abſumpſit. Suffudiſſe quidem calidam (ut aiunt) auaritia traditur, ſæuum & peſtilens malum, quo exorto, ceu Platina ſcribit, nunquam conſiſtere pietas eo loco potuit, quo ante conſtiterat. Profecto digna fuiſſet publica defenſione Aſia, quæ tot nobis Martyrum, tot Confeſſorum Chriſti, tot fidelium, id eſt, ſanctorum hominum myriades peperit, & quam principes apoſtoli, Petrus, Paulus, & Ioannes, & (ſi Sophronio credimus) etiã Andreas, innumeris eccleſijs fundatis erudierunt, idq; mox à Chriſto in cœlos recepto, & antequam illa in Europa eccleſia celebris eſſet. Vt tranſmittamus interim, Barnabam, Timotheũ, Epaphram, Tichicum, Apollon, Archippum, alioſq; nihil minus apoſtolicos uiros, uel ipſius Pauli præconio celebres & quorum miniſteriũ cum ſuo conferre adæquareq; non dubitauit. Quorum quidem omniũ indefeſſæ diligentiæ Aſia ceu uinea quædam fuit, quam ab inueterata paganiſmi ſuperſtitione repurgatã, recenti uitæ ſalutiſq; doctrina excolerent. Tametſi uero non ſum neſcius, parum probari uel ipſi Paulo æmulationem, & haud ſatis dignam Chriſtiano, ſed & carnalem

·1· Cor. 1· rem eſſe, affectatam nominum uel apoſtolicorum ia-
ctationem (cum miniſtri fuerint apoſtoli, nec poteſta
·1· Cor. 4· tem habuerint ullam incrementi, ſed miniſterij tantũ:
& uere apoſtolicam eccleſiam eſſe conſtet, non eam
quæ audiuit Apoſtolum, aut fundatorem eum habuit,
ſed quæ doctrinam apoſtolicam tuetur, & moribus
apoſtolicis uiuit) tamen non indignum, ut arbitror,
nec alienum à pijs conſilijs fuiſſet, quando ſemel ad
gloriationem apoſtolatus aut Petri aut Pauli, conten
dendo deuentum fuit, memoria repetere tot præcla-
ras Aſiæ matrices, tot populos ueteres, tot gẽtes, præ
rogatiua quadã apoſtolicæ doctrinæ eximias, & re-
cordari Chriſtianam eas fidem edoctas fuiſſe ante-
quam eccleſiæ Romanæ uel nomen extiterit. Aetate
enim haud dubie Romã uincit Aſia, tot modis de pri
mis illis & recẽtibus Euangelij fontibus pota, & tan
to maiori credentium numero. Neque horum ſolum,
ſed etiam Doctorum fide & ſanctitate celebriore.
Habuit enim & Ioannem euangeliſtam, qui ſupra pe
Ioan. 13. 21· ctus domini recubuit, & radiantiſsimo ſuo Euangelio
reliquis apoſtolis, rerum à Chriſto geſtarũ teſtibus,
ceu colophonem quendam adiecit: ut illud interim
tranſmittamus, quod de Græco ſermone omnem noui
teſtamenti ſcripturam hauſimus, quod Græcorum in-
terpretũ authoritatẽ Latini ſcriptores ſunt ſequuti,
& de eorum cultiſsimis uinetis, ceu racematione fa-
cta,

ċta, quicquid aut dignum memoratu aut utile cognitu uiſum fuiſſet, in ſua, magno fœnore doctrinæ tranſtu lerũt. Sed auget dolorem caſus rerum tam recens, & quod audire cogimur nuper amiſſas non Aſiæ ſolum eccleſias, ſed & Europæ. A tempore enim quo res Saracenorũ inualuerunt, hoc eſt ab Heraclij imperio, afflictæ quidem & armis occupatæ Africanæ, Aegyptiæ, & Syriacæ eccleſiæ fuerunt, ſed principum tamen uirtute & induſtria ſæpe de hoſtium manibus uendicatæ, & utcunque reſtitutæ ſunt, quanquam ſubinde aduerſis caſibus obruentibus, hoſtis non iniuria ſolum uerumetiã uictoria grauis eſſet. Mox Turcarũ uires tenuibus initijs, ut fit plerunque per Aſiam ſeſe ſparſerunt, annis retro plus minus ſeptingentis, paululum ante CAROLI magni imperium, à quo deterius habere Africæ & Aſiæ res ceperũt, malũq; haud ſatis præuiſum ſerpſit, ut ſupra quoque admonuimus: ſed nõ ita magna tum iactura fuit religionis, quin per Aſiam frequentiſſimæ eccleſiæ durarent, licet ſubinde magis ac magis premerentur. Cuius rei fateor, Græcorum inter ſe diſsidia, dum partibus ſtuderent reguli quidam, & Turcica auxilia implorarent, atque in gremio hoſtem alerent, magna cauſſa fuere. Sed durauit tamen communio & patuit Aſia multis annis Imperatoribus noſtris, quibus cum Orientis principibus etiãdum familiaritatis & amicitiæ

plurimum erat, nec alio magis quàm religionis nomi ne, non Francis ſolum, ſed & Germanis, nempe Ottonibus, Chūradis, Friderychis & Henrychis. Aſiam enim Chunradus ſecundus cum exercitu ingreſſus, ad Ciliciam uſque peruenit, magna Aſiaticarū eccleſiarum ſpe, tametſi paruo ſucceſſu, propter uariantē Byzantini imperatoris fidē, rebus noſtris tum fuiſſet conſultum. Quod ipſum & tertio illi Friderycho accidiſſe ſupra in Syriæ mentione docuimus. Quæ uero cauſſa potiſſimum obſtiterit, quo minus noſtra manſerit Aſia, non attinet memorare, longum enim foret, & præter inſtitutum. Illud ſatis conſtat, à proximis tribus ſæculis, res Orientis ita Turcarum creſcēte imperio labefactatas, ut hoc maxime tempore maiorem eccleſiarum partem amiſerimus. Habebantur Græci inter ſchiſmaticos, & hæreſum inſimulabantur, & hoc nomine odioſi fiebant principibus & uulgo, uidelicet quod contra uſum Ro. eccleſiæ in pane fermentato conſecrarent, quod Purgatorium negarēt, quod pontificem Romanū ut uerum Chriſti uicarium & legitimum Petri ſucceſſorem nō agnoſcerent. In hiſce enim dogmatibus Græcos à Romanis uariaſſe, Platina in libro de Pontificum uitis indicat. Augebat miſeriam temporū, & publicam pacem interturbabat, fatalis quædam & inteſtina Pontificum urbis Romæ cum Germaniæ regibus diſcordia, quæ in immenſum

aucta,

ducta, Gallos interdum atque etiam Anglos inuolue=bat. Ac neſcio an quicquam fidum ſatis & pacatum clariſsimis illis populis fuerit, á Friderycho primo uſque ad tertium, Guelforum & Gybelmorum efferatiſsima factione per Italiam ſupra quàm capi fide poſſit, ſæuiēte, cuius ne hodie quidem reliquiæ in totum extinctæ iacent. Noſtri querebantur imperij dignitatem Papæ ſtudijs afflictam in Italia labaſcere, & quæ huius eſſent, illius præſumptione uendicari. Contra, pontifices Petri apoſtoli patrimonium tenere mordicus, & res eccleſiæ ab Conſtantino donatas, præterea ius regnorum & imperij conferēdi, tueri omni conatu pergebant. Ea re factum, ut lente feſtimantibus auxilijs noſtris, Turca ſenſim Aſiam occuparit, dein & in Europam mouerit exercitum, & noſtro primū ſæculo caput Orientis Conſtantinopolim, ſuæ ditionis fecerit. Etenim auxilia Friderychum tertium Maximiliani patrem, nuper Bizantio ſummiſiſſe conſtat, ſi forte retineri & defendi à Turcarum incurſione poſſet. Nauarant eximiam operam & Veneti & Galli, ſed diſtracta principum uoluntate, nemo unus tanto hoſti ſufficiebat, ut Europæ hoc modo uel cultiſsimam partem intra ſpacium centum uiginti annorum amiſerimus, & in ea apoſtolicas eccleſias, Philippenſem, Theſſalonicenſem, Corinthiacam, Athenienſem, Nicopolitanam Epiri. Conſtantinopolim enim

inter has non numeramus, quod neminem apoſtolum audierit, licet inter præcipuas ſedes habita, nõ ſolum ob urbis gloriam, quæ Secunda Roma dicebatur, dignitatemq́; imperij Orientis per initia florentiſsimi, ſed etiam ob famam religionis, & quod inter Græcorum Aſiæ & Europæ eccleſias, quandiu incolumis ſtetit, primatũ tenuit: & Apoſtolicis eccleſijs primis, Romanæ, Alexandrinæ, Hieroſolymitanæ, & Antiochenæ annumerata eſt. Reſtat iam ſola, & omnium Europæ Eccleſiarum ceu uidua quædam ſupereſt Roma, quæ quidẽ apoſtolos Doctores habuerit. Nec finis malorum eſt, cum quotidie nobis de ſorte decedat. Nuper enim aliquot eccleſias in Pannoniæ confinibus Turca cepit, neque porrò deſiſtit incepto. Adeò in arctum paucorum ſæculorũ decurſu redigimur, & tamen ſunt qui putant ſtatum eccleſiæ nunquam melius habuiſſe, cum equidem (niſi fallor) non uideam ullum ſæculũ, quo habuerit deterius. Ferũt tamen qui proximis diebus Conſtantinopoli uenerunt, in Aſia adhuc durare Eccleſias, ſed preßas Tyrannide & expoſitas perſecutionibus. Quod ſi eſt, precor Ieſum, ut quẽadmodum primæ illæ in ſanguine & mortibus creuere, & lucrum auxit ipſa perſecutio, ita & illæ conualeſcant multo credentium fructu. Sed iam terræ intrandæ & loca regionũ quarum meminimus, ſingillatim indicanda ſunt.

PON-

POnticam oram uideo eam uocari quæ extra Boſphorum Thracium conuerſis ad Aquilonem littoribus, uſq; in Colchidem flectitur. Proprie tamen ab Haly amne uſque ad Phaſim & intimas fauces Euxini, Pontus eſt, & Ponticæ gentes in totū ab eo tractu Euxini ſcilicet maris uocatæ, regnum quondam Mithridatis regis maximi, quē Populus Romanus ægre multis demum annis ſuperauit. Ptolemæus Pontum alicubi Cappadocicum cognominat & Palemoniacum, & proxime Galatas, Galaticum. Oppidū in eo Palemonium fuit, Plinio, à Palemone rege Zenonis Laodicæi oratoris filio appellatum, quem ob eximiam probitatem prius quidem M. Antonius, dein Ces. Auguſtus dignum regno iudicarūt, Pontoq; præfecerunt, Palemoniaco cognominato, authore Strabone. Hic uxorem habuit Pithodorin clariſſimam fœminam, Pithodori Tralliani ciuis, qui Pompeio ſingulari amicitia iūctus fuit, filiam: quæ Strabonis ætate, hoc eſt tempore Chriſti domini, uidua marito in regno ſucceſſit, & Trapezuntem Ponti metropolim cum alijs locis circumiacentibus magna dexteritate gubernauit. Ex oppidis Ponti maritimis inſigne quondam Amyſum fuit, dein iam dictum Polemonium, Pharnacia, Ceraſus, & uaſto monte obducta Trapezus, Græca urbs, hodieq; celeberrima: & quæ imperio Trapezūtino ſedē & nomen dare meruit, erepta

haud ita pridem Chriſtianis, & Turcarum imperio cum magna Aſiæ iactura, ſubiecta. Fuit illis locis & Pithyus oppidum ubi Ioannes Chryſoſtomus, iam antea in exilium actus aliquandiu ſe continuit. Illud monendum Trapezus, Trapezuntis, tertia inflexione dici, ut Ceraſus, untis, Pithyus, untis, quo nomine & in Colchide oppida minime obſcura fuiſſe cōſtat. Simili figura & in Syria Emaus, Hierichus, Amathus, &c. proferuntur. Gentem Chalybum, alij Ponto, alij Paphlagoniæ tribuerunt, apud quos, ut ait Flaccus, tonat afflicta ſemper domus ignea maſſa. Reliquæ gentes feræ & bellicoſæ habitant, quorum pars Moſſynœci, Buxeri, Disheri, Macrocephali, ſupra quos portus Hiſsi in extimo cornu eius ſinus qui Trapezunta claudit. Intimo autem in receſſu proxima Colchidi Sebaſtopolis iacet, ante Cabira dicta, clara ciuitas, quam Sophronius μεγάλην, hoc eſt magnam cognominat, & eòuſq; Andream perueniſſe, et Euangelium docuiſſe tradit. Situs urbis intra amnes Phaſin & Abſarum interiacet. Phaſis ex his quæ in Colchide memorauimus, notus eſt. Abſarum montes Pariedri fundunt Tauri pars, qua Ponticos populos ab Armenis ſummouet, augetur autē Lyco amne, cuius Plinius & Ptolemæus meminere. Obiter notandū duximus Syrorum nomen ad Colchos uſque pertigiſſe, & differētiæ cauſſa Leucoſyros dictos Cappadoces,

&

Oppidorum nomina in us faciunt genitivum singularem in untis. ut Sipus sipuntis: Ragusus ragusuntis. Cerasus Cerasuntis. [illegible] Ita ex nominativo [illegible] syllaba addita. Aut mutant us in untis ut Brassiramus vult.

& Ponti accolas, quoniam qui extra Taurum iacent Syri, ob æſtũ auſtrinum aduſto & nigricante colore eſſent, hi autem ſub axem uerſi magis candidi & tamen Syri. Quare Sophronius (ſeu quis alius apoſtolos, quorũ ſcripta nulla extãt, Sophronij metaphraſi intexuit) Leucoſyros αἰθίοπας ἐσωτέρους, hoc eſt interiores Aethiopas iuxta Phaſidis & Abſari eruptiones ſiue oſtia ſitos, appellare uoluit, quoniã & ipſi eſſent Syri, qui ab auſtrina tamen parte Aethiopibus ſimilimi eſſent. Neſcio autem an errore commiſſum ſit, ut in Matthiæ uita apud eundem Sophronium propè eadem uerba repetũtur, ἐν τῇ δευτέρᾳ αἰθιοπίᾳ ὅπου ἡ παρεμβολὴ ἀπσάρου καὶ ὕασου λιμνὴ &c. Niſi cui uero ſimile ſit etiam Matthiam ad illa loca perueniſſe, quod expendendũ relinquimus. Non ignoro alibi quoque Sebaſtopolim ſeu urbem Auguſtam in Cappadocia locari Ptolemæo, ſed longiſsime ab Abſaro, præterea & Sebaſtiam aliam de qua mox referemus. Pontici fuere duo Aquilæ celebres, quorum alter uetus inſtrumentum Græce tranſtulit, alter Priſcillæ maritus & familiaris Pauli: cuius Lucas Actorum 18. meminit.

Matthias Christi discipulus super quem sors cecidit ut adnumeraretur duodecim apostolis post perfidi Iudae mortem. Acto. 1.

CAPPADOCIA.

Reliquam Cappadociam, ab ortu Scordiſcus minori Armeniæ adimit, ſuperiora Antitaurus finit, quæ dehinc trans Melam amnem ad Eu=

phraten, Comagenen, & Ciliciæ montana pandun-
tur, annumerata quidem Cappadociæ Plinio & Stra
boni ut ſupra diximus. Ptolemæo tamē in minore Ar
menia relata Tauri iugo à Cilicibus digreſſo, Lycao
nia & occidua Cappadocia dirimuntur. Occiduum
latus Paphlagonia & Galatia terminant. Terra ipſa
late pateſcit & claris amnibus perfunditur, quorum
memoratiſsimus Halys, Croeſi aliquando regnorum
ab ortu terminus; ut teſtis eſt Herodotus. Sed & Iris
fluit, & Thermodon, & quē Plinius Cappadocem uo
cat, unde Cappadoces nomen habēt antea generatim
dicti Syri, & Leucoſyri. Perſæ Aſia potiti hanc partē
in Satrapias, hoc eſt Præfecturas diuiſerunt. Deinde
Macedones pulſis Perſis, reges pro ſuo more inſtitue
runt, qui cum populo Ro. poſt deuictum Antiochum
amicitiā contraxere, & contra Mithridatem defenſi
ſunt. Stirpe deinde regia deficiente, cum S. P. Q. R.
(ceu duodecimo libro prodidit Strabo) ob eximiam
fidem Cappadoces liberos eſſe iuſsiſſent, negauerunt
ſe libertatem poſſe ferre (Tyrannis enim eſt, non li-
bertas ubi omnes imperant,) & ut regem acciperēt,
orauerunt. Romani admirati quod eſſent qui liberta
tem recuſarent, permiſerunt ut quem regem uellent,
eligerent. Itaq; lectus eſt Ariobarzanes, uir pacis &
militiæ artium peritus, quo defuncto ad Archelaum
habenæ regni peruenerunt, ſub quo in Præturas di-
uiſa

uiſa Cappadocia eſt, atq; hic Archelaus eſt quem Tiberius doloſe euocatũ, apud ſe retinuit, quo auarum & in ſcelera profuſum animum ſatiaret, Cappadocia confeſtim in Prouinciæ formã redacta, cuius facti in Tiberio Suetonius meminit. Vrbium dignarum memoratu, maxime clarum Mazaca, poſtea à Claudio Tiberio imperatore Cæſarea dicta, ut tradit Euſebius, Hieronymus alicubi ab Octauio Auguſto ita dictam putat: ueroſimilius quod Ruffus ſcribit, in honorem uidelicet Auguſti Cæſaream uocatã. Incolæ eius Mazacini & Mazaces dicti. Iulianus, odio urbis qđ Chriſtiana eſſet, Cæſareæ uocem obliterare & reducere ueteris uſum contendebat. Non omittendum uero quod Hermol. accuratæ diligentiæ uir, admonuit, Mazaca frequẽtius neutro plurali uſurpari ſcriptoribus, etiam ſi ſint qui fœminino proferant, ad quem modum Comana Cappadociæ & Ponti oppida dicuntur, ſicut & Myra, & Patara, in Pamphilia Lyciaq;, & rurſum in Cappadocia, Tyana, à quibus Tyanæi & Tyanẽſes, ut Tyanæus ille magus Apollonius Cappadox, de quo Philoſtrati libri extant, & eccleſia Tyanæa, clara præſtantibus uiris Epiſcopis, ubi & Tyanenſis quondam Synodus habita, cuius Sozomenus meminit. Mazacinæ eccleſiæ ſeu Cæſarienſis epiſcopus fuit Baſilius ille Gregorij Niſſeni frater, uir non doctrina ſolum ſed pietate etiã conſpicuus, qui

Ee

Gregorio Nazianzeno ſocio, Athenis aliquandiu bonis artibus & eloquentiæ operam dedit, inde in ſolitudinem pertractus multis annis eodem Nazianzeno annitente, diuinis libris animum impendit: poſtremo regreſſus Ponti urbes & rura circuiuit, & eccleſias non modo cõfirmauit Euãgelij prædicatione uerum etiam cõſtituit. Monaſteria itidem ordinaſſe dicitur, hoc eſt Scholas in quibus reiecta ſæculi cura, doctrinæ, moribus, pudicitiæ & continentiæ uacaretur, quo purior eſſe cultus & Dei & prÿximi poſſet. Id enim erant illa ætate monaſteria: ſi cui uacat legat Ruffinũ lib. XI. Mirum autem, Regulam quandam Baſilij iactari à Monachis quibuſdã noſtri temporis, ceu tales eſſe iuſſerit uir pientißimus, quales ipſi ſunt, qui præter nomen neſcio an quicquam aliud ueteris monachiſmi præſtent. Nihil ille alienum à Chriſto, à doctrina apoſtolica, à ſolida puraq; pietate inſtituerat, qui ſolitudinem hoc fine ad tempus amplexus fuit, ut rerum curis exemptus, diuinarum literarum arcana hoc expeditius aſſequi poſſet, quo prõptius in hoc ſe parabat & effingebat, ut doctrina exemploq; prodeſſe quàm plurimis cupiebat. Nuſquam autẽ plus fuit ſanctis uiris negotij, quàm in illo otio (ut obiter Scipionis uocẽ depromamus) neque unquam minus ſoli fuerunt, quàm quando hoc modo ſoli erant. Noſtris monachis magna parte expertibus doctrinarum &

Scri-

ſcripturæ, hoc muneris uidelicet incumbit, ut uotis, ueſtibusq; & ieiunijs ſuis, pro nobis ſatagãt, canant, & mereantur. Extat epiſtola Baſilij ad Gregorium Nazianzenum de uita ſolitaria, hoc eſt monachiſmo ſcripta, quam Latinam uir doctiß. Franciſcus Philelfus fecit, palàm innuẽs quibus finibus uetus monachiſmus contentus fuerit, quid ſpectarit, & quo uſu receptus ſit. Quod ipſum multis in locis & Hieronymus fautor alioqui Monachorum, explicat. Conſtat autẽ ſub Gratiano Baſilium deceßiſſe, haud multis annis ante Hieronymi obitum. Sed ad oppida reuertẽdum. Cucuſum Cappadociæ Chryſoſtomi exilio celebratur, in quo & Paulus Bizantius epiſcopus exulans, & ijſdem de caußis eademq; de ſede Arrianorũ inſidijs pulſus, demum percuſſoribus ſubornatis Conſtantij tempore occiſus eſt, cum adhuc in humanis ageret Hilarius. Hermolaus Cucuſſum legit s. litera geminata. Euxinum uerſus Amaſia iacet ante Eupatoria, dehinc à Põpeio Magnopolis uocata, Strabonis, cuius de Geographia libri extãt, patria. Eſt & Nazianzũ oppidũ Cappadociæ, quanquam aliquibus in ſecunda Armenia locatum, cuius ciuis & præſul Gregorius ille fuit Nazianzenus cognominatus, uir eloquentißimus & Hieronymi præceptor. Illo enim ſcripturas explanãte, profeciſſe ſe & didiciſſe ait. Fuit epiſcopi filius & ſucceſſor, adoleſcens apud Cæſaream Pale-

Strabonis patria

Greg: Nazian: Preptor D. Hieronymi

*ſtinæ à Theſpeſio rhetore eloquentiæ rudimentis im
butus, mox & Athenis ut ante dixi eruditus, qui cum
Conſtantinopolitanæ ſedi aliquandiu, uocatus præfu
iſſet, & inuidia quorundam premi ſe animaduerte-
ret, reuerſus in patriam ſuis affuit, poſtremo alio epi
ſcopo ſublecto, in rus ſe contulit, & ſolus habitans,
ſub eodẽ Theodoſio mortuus eſt. Hieronymus ſcribit
eũ inter cætera eximia ingenij eius monumẽta, librũ
reliquiſſe quem contra Iulianum Cappadocibus infe
ſtum, ſcripſerat. Næocæſarea haud longe à Cumanis
& Sebaſtia oppidis abeſt, & ipſa clara & ſynodo
memorata in libris Pontificijs. Eam Ponto quidam tri
buunt, ut inde Ponti Epiſcopus dictus uideatur Gre-
gorius Næocæſarienſis præſul, qui Origenem perpe-
tuo quinquennio audiuit, uir Græca, Latináq; facun-
dia præſtãs, & ab æqualibus ſuis ob uitæ & doctrinæ
excellentiã τρισμέγιστος appellatus, cuius Hiero-
nymus magna laude meminit. Ab hoc alius fuit itidem
eius urbis Epiſcopus Theodorus, qui parũ perſpecta
naturarũ Chriſti in ſcripturis Alloæoſi, Mariam nega
bat θεότοκον, de quo eſt apud Gratianum. Niſſam
nemo ignorat, cognominẽ illi quæ in Caria iacet. Sed
à Cappadocica Gregorius epiſcopus Nißenus dictus,
quem diximus Baſilij fratrem. Sanè & Hieronymo
ante alios familiaris fuit. Nec Sebaſtia prætereunda,
à qua Sebaſteni dicti, & notus errore Euſtachius Se
baſtonius*

baſtonius epiſcopus, qui cũ Ancyrano Baſilio partis Macedonianæ fuiſſe legitur. Negabat hic Spiritui quicquam cũ patre & filio eſſe cõmune. Diuus Hieronymus è Cappadocia fuiſſe Alexandrum illum memorat, qui ætate Origenis, Narciſſo præſuli iam ſenio confecto ſucceßit, haud multo poſt martyrio coronatus. Tam diues clarorum præſulum Cappadocia fuit, ſed quæ ne ſic quidem tot memorijs onuſta reliquæ Aſiæ conferri queat.

LYCAONIA.

A Meridie & occaſu Brumali, ab Euxino uenientem, & longißime terras ingreſſam Capadociam Lycaonia excipit, ei quidem à Ptolemæo annumerata, ſed ſeorſum reddita Plinio & Straboni. Regio tribus à partibus reliquis Tauro incluſa, ad ortum ſolis Cataoniæ, ab occaſu Pamphiliæ & Piſidiæ, qua meridies eſt, Ciliciæ Tracheæ, id eſt, aſperæ dictæ imminet. Oppida eius plura, ſed celeberrimum, Plinio teſte, Iconium, in quo Paulus & Barnabas multo tempore Chriſtum docuerunt, fortiter agẽtes præſidio domini, Act. XIIII. quanquam ita conſiſtere nõ potuerunt, quin factione & tumultibus partium agitati, &, quo amplius miniſterij ad quod uocati erãt fructus pateſceret, fuga ſibi cõſulere adacti fuerunt. Magno argumento, fugæ conſilium haud ignobile ſemper nec ignauum (uelut fugacißimi Ana Iconium.

baptiſtæ noſtri calumniantur) ſed ex ſpiritu etiam & præcepto eſſe. Chriſtianæ enim prudentiæ eſt, nec caret exemplis, cedere interdũ ferociæ, & rerum commodius agendarum captare occaſionem. Sic Apoſtolus Damaſci *per ſportam è muro demiſſus eſt, quo* Aretæ *furorem declinaret, eo conſilio & à fratribus* Berrhœæ *emiſſus, ut inſaniæ* Iudæorum *ad tempus cederetur. Sic* Chriſtus *ſuos de una ciuitate iubet in aliã fugere.* Ipſe Chriſtus *abſcondit ſe, & occaſionem redimens, tumultũ præuertit.* Diuerſum *eſt fugæ genus, quod aut immodico uitæ amore, aut turpi metu, aut graui offenſione ſuſcipitur.* Porrò Iconienſium *epiſcopus* Amphilochius *ille fuit,* Hieronymi *contemporaneus, qui de ſpiritu ſancto ſcripſit.* Eſt *præterea* Derba. *Derba paris cum* Iconio *propter* Apoſtolũ *claritatis, &* Lyſtra. *Lyſtra.* Dehinc Laranda, *& iuxta ſita* Iſaura, *quam mox* Claudiopolim *nominatam fuiſſe ſupra monuimus: nonnulli eam* Lycaoniæ *tribuere, ut mihi hoc loco repetenda fuerit.* Proferuntur *autem plurali neutro hæc nomina, & ſingulari fœminino, neque infrequens iſtud quidem, præſertim in locis* Aſiæ. Lycaoniam *prope totã* Antipater *pyrata inſignis, haud ita longe ante* Apoſtoli *tẽpora tenuit, quẽ deinde* Amyntas Iconij *tyrannus* Archelai *ſucceſſor, bello captum occidit, authore* Strabone. Lyſtris *lapidatum* Apoſtolum *& tanquam mortuũ extractum urbe, ſcribit* Lucas,

eas. Adeo malignum ſemper & ſæuum in ſeruos Chriſti ſatanæ regnum fuit, ſed hoc è iure eſt belli ut triumphus nõ decernatur niſi hoſtium uictoribus. Inde Martyrũ nobis & Confeſſorũ præmia petita, hinc coronæ reportatæ ſunt. Proinde denuo reuerſi Iconium & Lyſtram apoſtoli, docuerũt, quod per multas afflictiones oporteat nos intrare in regnum Dei. Intelligimus autem ex Luca apoſtolos nõ Hebræa ſolum & Græca, ſed & Barbara uulgari Lycaonũ lingua inſtructos Chriſtum docuiſſe. Quippe Lycaonice locutam plebem, & à Paulo & Barnaba intellectam, ſignificat. Quod ipſum ueroſimile & uicinitas facit, cũ Paulus Cilix, Barnabas Cyprius fuerit, ſed rectius dono illi tribuimus, quod cum efficacia ſingulari ſpiritus domini per manus ſanctorũ eſt operatus. Etiam ſi Paulus ad Corinthios ſcribens gratias agit domino quod plus alijs linguis loquatur. Varium igitur hoc donum fuit, nec omnibus æqua menſura datum, neceſſarium tamen ad miniſteriũ, ſiquidem Strabo qui & ipſe eo tẽpore ferè quo Apoſtolus, Aſiæ loca peragrauit, & in ea etiã natus fuit, plurimis linguis intermarinam illã Aſiam diſtinctam fuiſſe prodidit, quod minime mirum eſt cogitantibus, quot quantisq; ea gentibus paruerit. Aſia potiti ſunt, Aſſyrij, Babylonij, Aegyptij, Macedones, Romani. Quin & à Gallis inuaſa inhabitataq; eſt, nec abſtinuerũt ea in totum Scy

thæ. Quarũ unamquanq; cum imperio linguã ſuam propagaſſe indubiũ eſt. Nam & Græcis curæ & Latinis moris fuiſſe legimus, ut aut colonijs deducendis, aut occupãdis terris, cultũ ſimul morũ & linguæ proferrẽt. Accedit *ad hæc* qđ Plinius *lib.* VI. *tradit proditum eſſe, in omni tractu huius peninſulæ tres tantũ gentes* Græcas *iure dictas,* Doricã, Ionicã, Aeolicam, *cæteras* Barbarorũ *eſſe.* Porrò *&* Græcos *in* Aſia *colonos fuiſſe, notũ eſt, ut obuiũ & facile ſit coniectare frequẽs illud linguarũ* Aſiæ *diſcrimen.* E Lycaonia Timotheus fuit, *patria ut uidetur* Lyſtrius, *quẽ & circuncidit* Apoſtolus *&* Epheſinæ *demũ eccleſiæ præfecit.* Sic è Berrhœa Soſipatrum, è Theſſalonica Ariſtarchum, è Derbis Gaium, è Corintho Eraſtum, ex Aſia Tichicum *&* Trophonium, *ut antea ex* Antiochia Lucam *indiuiduum itinerum comitem.* Vnus *certe tantæ moli curarũ laborumq́; nõ ſufficiebat, etiã ſi maxime omnium laborauit.* Nec *minus delectum habuerũt apoſtoli diſcipulorũ in miniſterio, quàm* Chriſtus. Neceſſe *hoc erat quo ſeruaretur ſucceſsio, & creſcenti eccleſiarum numero omniũ ex parte ſatis fieret.* Vtinã *hodie quoq; hoc ipſum epiſcopi præſtarẽt, quorũ eſt apoſtolica functio, doctrinaq́; & cura & uigilãtia, cæteris eſſe exemplo ac uelut calcar addere pergerẽt, quo alacrius ſynceriusq́; presbyteri quibus illi curã animarũ delegant, quæ ueræ pietatis ſunt ex æquo præſtarent.*

Actorũ. 16. 17. 20. Ro. 16. 1. Cori. 4. 16. 2. Cori. 1. Phil. 1. 2. 2. Colos. 1. 1. Theſſa. 1. 2. 2. Hebræ. 13. 1. Cori. 15. 2. Cori. 11. Lucæ. 10.

IVxta Euxinum, quantum oræ eſt inter Halym & Partheniũ amnes, id totũ Paphlagoniæ tribuitur, neque deſunt authores qui Heracleam ipſi annumerant, quanquam citra Parthenium occaſum uerſus in Bithynia eã Ptolemæus locarit. Strabo duodecimo libro Halyn ad ortum eius regionis cõfinium eſſe, ad auſtrum Phrygas & Galatas, occidentem uerſus Bithynos & Mariandinos, ab aquilone Euxinum tradit. Vrbium potiſſimæ à latere Bithyniæ ſunt, Tios, cis Parthenium quidem, ſed Pomponio nihilminus in Paphlagonia ſitum. Vicinus ager quoniam florida amœnitate præcellit, nomen Parthenio ceu uirgineis ſertis redimito, dediſſe creditur. Inde Amaſtris eſt urbs & Cromna, & promontorium eius littoris eminentiſſimũ, quod Carambin ueteres uocarunt, à cuius contrapoſito flexu eiuſdem ſinus Synope iacet, à Mileſijs condita, littoraliũ Paphlagoniæ urbium longe clariſſima, Portu enim nobili, præclaris ciuibus, & deductarũ coloniarum fama nitet. Video & illud ad gloriam trahi, quod in ea & natus & educatus & mortuus eſt clariſſimus Aſiæ regũ Mithridates, Eupater cognominatus. In mediterraneis cenſetur à Pompeio cõdita & uocata Pompeiopolis, & Gangra illa quorum quondã Synodus celebris Gangrenſis dicta. A Synope Bithyniã uerſus Armine eſt, qua finitur ab ortu Paphlagonia, Melæ. Plin. & Strabo ad Amiſum

liberam aliquãdo urbem & ipſum Halym *prorogãt. Sed iam ſæpe monuimus* Lectorem *uariare ſolere in limitum deſignationibus authores, quod in hoc maxime* Euxini *tractu euenit.* Mithridates *ille, cuius paulo ante meminimus in regno illo ſuo* Pontico, *à* Colchide *uſque ad* Heracleam Bithyniæ, *quicquid urbium & terrarum interiacet, poſſedit.* Gn. Pompeius *eo deuicto, uarie omnia diſtribuit & mutauit.* Variarunt *& poſteri duces.* Nec *id tamen officit quo minus conſtans & certa locorũ notitia exiſtat.* Habuit Paphlagonia *frequentes (ut omnis* Aſia*) eccleſias, ſed eximie claram* Synopenſem, *ad patrum noſtrorum memoriam uſque ſeruatam, nondum enim octuageſimus annus agitur ex quo* Turcarum *imperator* Mahumetes, Iſmaëlem *quendam eius loci dominum, uarijs diu petitum artibus, poſtremo terra mariq; obſeſſa urbe, ad deditionẽ compulit.* Miſerat *ille in* Italiam, *& ante alios ad pontificem* Pium Secundũ, *qui auxilia rogarent, ſed ope omniũ deſtitutus in* Turcarum *manus cum tota urbe incidit.* Frequens *illo tempore ſors iſta* Aſiaticis *urbibus obtigit, ut deſertæ à noſtris ferre hoſtem nõ poſſent, nec alia magis occaſio* Turcarum *opes & imperiũ euexit, quàm quod* Chriſtiani Chriſtianos *de ſumma non uitæ ſolum & rerum, ſed etiam religionis periclitãtes, negleximus.* Vtinam *autẽ non hodie quoq; in illam aurẽ dormiremus.* Nullus *prope*

annus

In utramuis aurem dormire est ociosum esse, utraq; omni uacare. Terentius. Faciam in utramuis aurem ociosus ut dormias.)

annus eſt, quo tyrãnus ille tam rabidus & ferox non aliquid de agro Dominico inſtar torrẽtis ſubito exortus auferat. Nõ præterierim in Põpeiopoli Paphlagonica Sophronium epiſcopũ fuiſſe Conſtantij tempore, illum qui Seleucienſi ſynodo Iſauriæ interfuit, magnum patronum Nicænæ fidei, ceu in hiſtoria ſua Socrates prodidit.

GALATIA.

INtus Galatia iacet celeberrima regio. Parte qua Pompeiopolis eſt, & Boreas, contigua Paphlagoniæ: ab ortu Bithyniæ, Myſiæ, Phrygiæ commiſſa, Dindymænis iugis & Cælenijs montibus intercedentibus: Auſtrinam partẽ Piſidia finit: Orientalem Cappadocia, citra Archelaidem urbẽ Claudij coloniam, & montẽ Agœum qui in media Cappadocia attollit ſeſe, adeò altus ut æſtiuæ etiam niues premant. Archelaida autẽ Halys præterfluit è Tauro lapſus, quẽ & Paphlagoniam ab ortu terminare, & à Ponticis gentibus diuidere diximus. Piſidas quidẽ inter Galatas reddidit Ptolemæus: nos de eis priuatim dicemus. Galatiam poſt ingentes illas Alexandri uictorias & auctas per Aſiam Macedonũ uires, Græci inſederũt, quibus poſtea Galli ſe & ipſi magno hominum numero Aſiam ingreßi coniunxerunt, Gallogræci dicti, gens mixta, & regio quæ mox creſcentibus Gallorũ rebus Galatia fuit, antea Gallogræcia dicebatur, ſed

"utriusq;" ~~utrius~~ uocis uſus apud ſcriptores manet. Enimuero Galli, cum multitudine hominũ laborarẽt, nec ſeipſos ferrent amplius, trecentis milibus contractis, Alpeis tranſgreßi, iuxta Padum conſedere. Dein & Illyricũ & Pannoniam, & florentißimum eo ſæculo Græciæ tractum ingreßi, non Europæ ſolũ iam laboranti, ſed & Aſiæ terrori fuerunt, urbẽ illi Romam ſubegerãt, niſi libertatem demum Camillus uindicaſſet. Ea de re Iuſtinus lib. XXV. Gallorum inquit, ea tempeſtate tantæ fœcunditatis iuuentus fuit ut Aſiam omnem uelut examine aliquo implerent. Denique neque reges Orientis ſine mercenario Gallorũ exercitu ulla bella geſſerint, neque pulſi regno ad alios quàm ad Gallos confugerint. Tantus terror Gallici nominis ſiue armorum inuicta felicitas erat, ut aliter neque maieſtatem ſuam tutam, neque amiſſam recuperare ſe poſſe ſine Gallica uirtute arbitrarẽtur. Itaque in auxilium à Bithyniæ rege uocati, regnum cum eo, parta uictoria diuiſerunt, eamq; regionẽ Gallogræciam cognominauerunt. Hactenus Iuſtinus. T. Liuius libro belli Macedonici octauo multis iam eã rem proſequitur, ad quem Lectorem plura deſiderantem remittimus. Satis conſtat Gallos eo tẽpore Græcis mixtos in Aſia fuiſſe quo Pyrrhus Epirotarũ rex floruit, hoc eſt, paucis annis ante bellum Punicum primum, quum longe antea Aſiam ingreſſus Alexander fuiſſet. Proinde Ga

latarum

latarum natio, ut recentior inter Aſiaticas nationes habita eſt. Plinius in quinti libri fine, ſcribit Galatas maiori ex parte Phrygiæ agros tenere. Ex quo intelligimus amplius ingreſſos, ut fit, finitima eos occupaſſe. Diuus Hieronymus prologo ſecundi commentariorum ad Galatas ex Lactantij authoritate tradit Gallos antiquitus à candore corporis Galatas uocatos, & inde Galatiam prouinciam dictam in quam Galli uenientes Græcis ſe miſcuerint, & prius quidem Gallogræciam, poſt autē Galatiam dictam. Nec mirandū arbitratur inter Græcam Aſiæ gentem, Gallos cōſediſſe, cum contra, Aſiani Græci in Gallia conſederint. Maßiliam enim à Phocæenſibus Aſiæ & conditam & inhabitatam fuiſſe ex Strabone, Pomponio, Gellio, Iuſtino, cæteris, conſtat. Gentium Galatiæ præcipuæ fuerunt, Tectoſages, Toliſtobogi, Trocini, ſiue ut Hermol. Trogini: quorum Toliſtobogi Phrygiæ & Bithyniæ finitima, Tectoſages latus Cappadociæ & orientis, fertilißimam uidelicet Galatiæ partem, Trocini loca Paphlagoniæ uicina, tenuerūt, Straboni & Plinio. Memorantur alia quoque gentis nomina, nec mirum id in tanto gentis numero, cum & ex Belgis fuiſſe eorum partem haud obſcure indicet Iuſtinus. Strabo libro duodecimo prodit regionem principio in quatuor præfecturas diuiſam fuiſſe, quæ Tetrarchiæ ex re dictæ ſint, præfecti autem Tetrar Tetrarchiæ.

Tetrarchę chæ uocati, quoniã quartã quiſq; portionẽ regni Galatici teneret: unde & origo uocis ꝓpria deducitur, quæ uſu poſtea inualeſcẽte ad plures etiã præfecturas translata eſt, ceu ſupra in Syriæ deſcriptione admonuimus. Erat olim regia eius ordinis dignitas, & qui genere Tetrarchæ erant inſtar regum habebãtur. At uero poſt deuictum à Pompeio Mithridatem, detractum aliquid ueteri mori fuit, & ad tres duces poteſtas deuenit. Mox Deiotaro regi, qui ciuili bello Pompeiano ſe miſcuit, ſoli datum regnum. Inde Amyntæ ꝗ ei ſucceßit. Poſtremo ſub principe Auguſto in prouinciæ formam redacta Galatia, à M. Lollio proprætore primum omnium adminiſtrata eſt. Hæc eſt Galatia quam Petrus præcipuus apoſtolorũ epiſtola plena (ut Eraſmus inqt) apoſtolicæ maieſtatis erudijt, quam
·J· Pe· i· Paulus peragrauit & Euangelio ſuo Chriſtum pure docuit, ſecunda profectione ſua, atq; item tertia, Galatiam ingreſſus, Luca teſte Act. 16. & 18. Inde factũ, ut cum Romã captiuus deductus eſſet, de gentis illius inconſtantia & falſorum fratrum artibus admonitus, Epiſtola ex Vrbe miſſa peracerbe eos, ut immemores
Gala· i·3· apoſtolatus ſui & doctrinæ ſanæ, carpit, inique ferẽs quod tam cito aliud doctrinæ genus receperint, & pſeudoapoſtolis Euangelium anili operum iactatione ſubuertentibus, aurẽ præbuiſſent, cũ admoniti tamen toties fuiſſent, adeò certam firmamq; & indubitatam

eſſe

eſſe ſuæ reuelationis doctrinã, quam cum præcipuis apoſtolorum contulerat, ut anathema eſſe dicat diuerſum docere aut tradere auſos, nec ſeipſum eximat ultioni, ſi diuerſum unquam atq; illos docuiſſet, tradat. Gala. 1. Certe Hieronymus ſtultitiæ inſimulatos fuiſſe ab Apoſtolo Galatas putat, quoniã ſtoliditatem quandã Barbaram redoluerint, & ad intelligentiam fuerint tardiores: qua cauſſa & Hilarius ipſe Gallus & Pictauis genitus, Gallos, in Hymnorum carmine, indociles uocarit. Nunc oppida reddemus, quorum præcipua, Ancyra, Gordium, Laodicia, Peßimus. Iuxta confinia autem Bithyniæ, Dadaſtana, & ad Cappadociæ partem Tauium Trocinorum. Ancyræ epiſcopus fuit Marcellus uir doctus, ſed qui tamen in ſcriptis ſuis Sabellianam hæreſim ſequi, hoc eſt, patrẽ cum filio cõfundere uideretur: qua re deiectus Epiſcopatu, ſucceſſorẽ habuit Baſilium medicum, tempore Conſtantij imperatoris. Mox paulò cum ſe falſo eius dogmatis inſimulari oſtẽdiſſet, epiſcopatũ recepit. Hieronymus Marcelli huius inter ſcriptores, & item Baſilij meminit medicam artem nominatim huic tribuens. Nec enim alienum aut incognitum fuit, ueteribus Eccleſiarum præſulibus Medicæ rei ſtudium, habuitq; exemplum profeßio, non in Luca ſolum, quem Apoſtolus ut artis profeſſorem, ferè Medicum cognominat, ſed & in apoſtolis & presbyteris, qui iuxta CHRISTI &

Pessimus. [handwritten margin note, partly illegible] ... vide supra pagina 430.

Colo. 4.

Matth. 10. Luce. 9. 10. Marc. 6.

Iacobi. 5. Iacobi doctrinam ungere infirmos & ut conualeſcerent orare iubentur. Diuino ſemper honore dignam iudicarũt mortales eam artem quæ morbos tolleret, ut dæmonia etiam culta quondam & adorata grauiſsima iactura Gentes ſeduxerint, haud alio magis fuco quàm morborum quos inflixiſſent, inſperatis ſubitisq; remedijs. Ea fraude nec noſtra ſæcula caruerũt nec futura carebunt. Hoc enim carnis ingenium eſt, ut quàm maxime uacare morbis, & ſine dolore agere uelit, neque ulla quantumuis blandiente uoluptate capiatur, quum ægrotat, ſed ſummum bonum in ſanitate collocet, & præcipuæ beneficentiæ loco habeat, ſi ſit qui malo mederi, & afflictæ incolumitati ſalutarem adhibere opem queat. Ideo etiam Chriſtus

Matth. 8. 9. dominus noſter, quanquam alius rei gratia in mundũ

Marci. 2. 7. miſſus, tamen ad hanc carnis infirmitatem ſe quoque

Luc. 6. 5. 7. benigne demiſit, & intuitu fidei languores ſuſtulit,

Ioan. 5. 9. haud neſcius phariſæorum ingenij, & quid hac in re humana ſuſpiceret imbecillitas. Cæterum ut de certa Deitate ſua teſtaretur, nõ modo omnes qui ante ſe fuerunt magnitudine miraculorum uicit, uerumetiam authores præſtigiorum quæ mundo pro miraculis fuiſſent, ſubegit & expulit. Diſerte admonendo ne unquam illorum miraculis accederemus, qui ingeſturi eo fuco & prætextu doctrinam eſſent traditioni ſuæ aduerſam. Ad hæc, & diſcipulos ſuos diuina illa uirtute

tute comitatos in orbem emiſit, quo haberent quod in gentium conſpectu, idolorum & magorum, hoc eſt dæmoniorum impoſturis opponerent, & ad doctrinæ ac functionis confirmationẽ non ſuã, quæ nulla erat, ſed eius à quo miſsi eſſent uirtutem oſtenderent. Verũ iſta quidem ad eum modum facta, rari muneris erant. Poſteri ergo qui miraculo non potuerunt, conſilio curarunt ægrotos, & induſtria eſt adiuta beneficentia, quam ardor charitatis efflagitabat, quanquã & ipſa diuina uirtute cõmendata. Quid enim in herbis, quid in floribus, ſuccis, radicibus, qd in alijs terra mariue enatis, quorum modo in medendo uſus exiſtit, quod à creatore illo Deo noſtro donatum inditumq; nõ ſit? Aut quo non poſsit optime uti, qui curando gregi, paſtor eſt cõſtitutus? Paulus in eccleſia donũ ſanationis inter poſteriora quidẽ cenſet, nec iniuria, cum longe ſint potiora quæ ad fidei & iuſtitiæ ædificationem attinent, ut longe potior corpore anima eſt: cæterum cuius proprium ſit non explicat, haud dubie illo ipſo innuens omnium eſſe poſſe quod charitatis eſt præcipuum. Legimus Boazanem quendã Perſidis epiſcopum ſub Cabada rege qui tempore Iuſtini uixit, ob medicinæ præſtantiam in magno honore habitum, & præcipue dilectum regi fuiſſe, nec dubium quin barbarus Rex hoc æquiore animo Chriſtianiſmo fauerit, quo magis artẽ eſt admiratus, illius ſcilicet qui apud

Co. 1.12

Nam omnis medicina a deo est. unde iube honorare medicum propter necessitatem quia illum deus creavit. Ecclesiastici 38.

ſuos Chriſtum profiteretur. Habet noſtra quoq; ætas epiſcopos paßim (Plebanos uulgus nominat) rure agentes, qui præter doctrinæ & conſolationis munus quod auido popello magno ſtudio impertiunt, medendi etiam diligẽtia egenis fratribus nec lucri nec quæſtus reſpectu adhibita, in ſumma gratia uerſantur. Sũt quidem qui declinant homicidium, ac recte quidem illi, cum id ſcelus ipſa in primis pietas odio habeat. Sed reus eſſe homicidij nequit qui hoc unum ſpectat medendo, ut iuuet decumbentem, non grauet, ſanet laborantẽ, non perdat. De indoctis nulla hic mentio eſt, cum ſit turpe profiteri quod non didiceris. Sed nimium mihi Baſilij mentione digreſſo ad loca Galatiæ reuertendum eſt. Ancyra & Anquyra atque etiam Anchira dicta eſt Galatica illa cuius Ancyrana ſeu Anchiritana ſynodus quondam fuit, de qua in Collectaneis Gratiani legitur. Alia eſt Ancyra Phrygiæ, Plinio & Ptolemæo, nominatim hæc oppida ſeparantibus. Gordium pleriſq; in Phrygia, Plinio in Galatia ſtatuitur. Sed ante eodẽ teſte dictũ eſt Galatas pleraq; Phrygiæ loca incolere. Haud magnum oppidum fuit Gordium, ſed celebre tamen in literis, ob Gordij & Mydæ regum uetuſtatem, & quod eius templum ingreſſus Alexãder, nodum Gordium quum manu explicare nõ poßet, gladio ſecuit, ceu lib. III. tradit Curtius. Eſt & Laodicia in Galatia proxime Pacatianã

Turpe est profiteri quod non didiceris.

Cuius fit mentio Colos. 4 Apoca. 1. 3.

Phry-

Phrygiam, clara epiſcopo Pelagio doctißimo uiro & Nazianzeni Gregorij æquali. Laudatus eſt propter conſtantiam qua in Tyanæo concilio Nicenæ fidei præſcriptum defendit. Peſinuntem à Mithridate conditã, Strabo, à Toliſtobogis in habitatam, Plinius teſtis eſt. Hinc Romani idolũ matris Deûm in urbem tranſtulerunt, tanto numine, tantũ uidelicet imperiũ ornaturi. Dadaſtana à Ptolemæo in Bithynia locata, fato Imp. Iouiani memorantur, qui à Perſis regreſſus, mortuus illic in cubiculo eſt reptus, cũ ſanus ſe quieti dediſset. Magna Chriſtianis in eo principe ſpes erat, ſed aliud domino uiſum qui repẽte humanis eum rebus exemit. Amnium Galatiæ præcipuus Parthenius. Intrat eam & Sangarius in Phrygia ortus, & Gallus qui Cybeleijs illic genitalia mutilatis Myſtis nomen dedit, ea maxime de re infamis ob religionis fœditatem, quam illi ſunt profeßi. Hieronymus author eſt uel ſua ætate dogmatum impuritate quadam laborauiſſe Galatiã, & ueſtigia apparuiſſe ueteris ſtultitiæ. Dignum autem admiratione tot ſæculorum decurſu propriam eos linguam in tanta gentium diuerſitate ſeruare potuiſſe. Præter enim Græcã, ut ait, qua tum omnis Oriens eſt locutus, Treuirorum etiam lingua paucis mutatis ſunt uſi.

Galatiã ab Auſtro Piſidia excipit, regio haud magna, ſed quæ tamen duodecim urbes ſuſtinuerit. Lycaones eam ab ortu & occaſu attingunt. Nam & ſupra Cappadociam Lycaonia ponitur, Ptolemæo, & item alia Plinio in Aſiaticam iuriſditionem uerſa, quam & Ptol. agnoſcit. A meridie Pamphiliam habet, iuxtaq; in Iſauriam etiam & eius Ciliciæ partẽ quam Tracheam uocarũt, protenditur. Certum autem his maxime locis, ut gentium fines ita & nomina confundi, quod Hermol. quoq; annotat, aſſerens Piſidas ipſos quondã, & Lycaones & Phrygas dictos, regionibus haud ita dum in partes diuiſis. Vrbium Piſidicarum, Terbaſa & Synda præcipuæ, præterea Oronda à quibus Orondicus ager iuxta cognominatus. Apollonia item & colonia Romanorũ Cæſarea, quæ & Antiochia dicta Piſidiæ, Plinio. Propter Antiochos enim quorum multis annis florentiſſimum in Aſia regnũ fuiſſe conſtat, multæ paſſim Antiochiæ extiterunt. Et hac quoque parte quæſita memoriæ æternitas, conſecratis uidelicet urbium nominibus de conditorũ nomine, quod & honoris cauſſa ſæpiuſcule factitatum in Palæſtina docuimus. Antiochiæ Piſidiæ Paulus cum Barnaba ſynagogam ingreſſus præclarum illum ſermonem habuit, cuius Lucas Act. XIII. meminit, damnataq; Iudæorum obſtinatia, primum omniũ in ea urbe excuſſo pedum puluere,

Antiochia Piſidiæ.

Iuxta precepta Christi. Matth. 10. Mar. 6. Luc. 9. & 10.

uere, ad prædicandam gentibus fidem ſeſe accinxit. Clariſſimus autē locus eſt aduerſus miniſterij ſupercilium, quod ita ſibi pleriq; tribuūt, uelut credere opus habeamus, de ſuo nutu atque authoritate peccati remiſſionem pendere. Cum conſtet tamen in omni ſcriptura, ieiunam & elanguem eſſe externam operam omnem, etiam apoſtolicam, niſi internum regnum ſpiritus quod ipſum regnum eſt Dei, operam noſtram aut iuuet aut præuertat. Neque eſt, ut ſibi admodum arrogent epiſcopi aut presbyteri, cum ne Chriſtus quidem magnus ille ouium paſtor, fideiq; dux, & (ut Paulus eum uocat) conſummator, quin ceu apoſtolatu fungens & uoluntatem patris exequens, dicere non erubuerit: Nemo uenit ad me, niſi pater meus traxerit eum. Et iterū: Pater, quos dediſti mihi, &c. Cū tamen ipſe idem cū patre ab æterno & prædefinierit, & uocarit uaſa præparata in gloriā: ſed et Matth. 11. etiam uocet omnes laborātes, & oneratos, certo pollicens ſeſe eos refecturum. Vere igitur cum Paulo dicimus: Quid eſt Paulus? quid Cephas? Miniſtri illi ſunt per quos credidimus. Nam ſi in Apoſtoli fuiſſet manu ſpiritum FIDEI donare his quibus annunciaſſet Euangelion, & conuertere ad fidem expertem pietatis gentem aut ſynagogam lege tumentem, profecto hoc ipſum Antiochenæ ſynagogæ præſtitiſſet, quippe qui ad Rom. IX. optauit anathema eſſe pro fra-

tribus,quo ad Chriſtum cōuerſi,ſalui fierent.Sed non fuit hoc in manu Pauli aut ullius apoſtoli.Quod enim remittitur peccatum, quod cōfertur ſpiritus iuſtitiæ, ſolius Dei opus eſt.Lydiæ Thyatirenæ dominus aperuit cor ut intēderet his quæ dicebantur à Paulo,Act. 16.Proinde nō eſt ut in hominibus gloriemur.1.Corinth.3.Dominus addit congregationi ſanctorum illuminatos ſuo ſpiritu.Act.2.Paulo igitur Antiochiæ concionante, illi crediderunt qui ordinati erant ad uitam æternam: reliqui ſurdis auribus offenſi magis quàm perſuaſi, perſecutionem mouēt in Apoſtolum. Proinde multi audiūt Chriſtum loquentem etiam ex diſcipulis, qui ab ipſo deficiunt nec amplius cum illo ambulant,Ioan.6.Multi baptizantur qui nec habent nec recipiūt cum baptiſmo ſpiritum,ſed cum Simone mago nullo fructu ſimulant:multi in dominica cœna participant,quibus nec corpus domini cibus nec ſanguis eius potus eſt, ſed non credentes,non etiā dijudicant, & indigne ſumunt. Quod profecto non fieret, ſi,qui ſignum adhibet & impertit, miniſter,idem ſpiritum fidei per ſignum daret & mentem recipientis eoipſo in melius mutare poſſet.Ita arbitror uim totā abſolutionis ab eius fide pendere qui abſoluitur, non ab eius authoritate qui denunciat abſolutū.Vere abſoluit ſeu remittit,qui fidei dono cor ſerenat.Quod ſi dura eſt ceruix & incredulus manet animus, ita de=

ſperatus

Qui ſolus poteſt remittere peccata. Mar. 2. Lu. 5.

Dominus dat incrementum

1. Corin. 11.

Actorum 15.

ſperatus eſt morbus, ut ne Paulus quidem curare eum poßit. Hæc autem non ad contemptum miniſterij, ſed ad aſſertionem gloriæ Dei attinēt, nempe illius quam miniſterio in totū Apoſtolus detrahit, negās aut in ſe, aut Petro, aut Apollo, aut ullo homine gloriandū, ſed in eo ſolo cuius eſt incremētum. Nihil minus interim ſuo intentus apoſtolatui, ne periculū quidem uitæ pauescit, ut per Euangelij curſum ad dominū conuertantur, quibus eſt datum. Hæc enim eſt uoluntas domini, ut prædicetur Euangelium, ut munus miniſterij magna cura, ſedulitate, uigilantia exerceatur, ut importune & opportune inſtent epiſcopi, quo quàm plurimos adducant Chriſto. In hoc enim abiturus in cœlos miſit apoſtolos, ut uerbo etiā externo annunciaretur redemptio, Eccleſiæ coaleſcerent, Baptiſmo & Euchariſtia uegetarētur, fouerentur credētes, abijcerentur increduli: præſidente ſemper & moderante omnia per ſpiritum fidei CHRISTO, cuius ſolius eſt interni uerbi adminiſtratio, qui nouit qui ſint ſui, qui nobiſcum manet uſq; ad ſæculi conſummationem, qui erigit infirmos, afflictos conſolatur, ſtantes cōſeruat. Legimus quidem in Actis etiam ~~Apoſtolum~~ impertiſſe ſpiritum uirtutum & miraculorum, ſed non niſi credentibus, hoc eſt, his qui à domino ſpiritum fidei accepiſſent, his enim ſolis impoſuerūt manus. Sed ut ad Piſidas reuertamur, non tacendum quod Plinius

tradit, Solymos aliquando uocatos eos à Solymo, arbitror, regulo fratre Milyæ eius quam Cragus uxorem habuit.

CILICIA.

De qua multa Strabo li. 14. Mela in .1. Plinius li. 5. na. hi. ca. 27. Ptolo. in 5. ca. 8. Vide quoque Volaterr. li. 11. geographie. Circa Paulum Christum predicasse Gala. ca. 1.

NVnc Cilicia reddenda, quæ authore Curtio, propemodum tota, niſi ubi pelagus eſt, montanis includitur. A ſeptentrione Cappadocia terriſq; à nobis in minore Armenia recenſis, ab ortu Syria, ab occaſu Pamphilia, ipſo in uniuerſum Tauro ſequeſtro, dirimitur. Auſtrinum latus, maritimũ eſt, ad Iſſum uſque oppidum, ſinui quem ante Iſsicum uocari diximus, immiſsum. Eo loco anguſtiæ per montẽ Amanũ tranſmiſſæ Syriam aperiunt, portæ Amanicæ & Pylæ, & Syriæ etiam portæ ſcriptoribus cognominatæ, quod portis (ſicut & Sarmaticæ & Caucaſiæ) præmuniri & claudi queant. E diuerſo & ab occidente iuxta Anemurium promontoriũ & amnem Melam, ferè exaſperant eam montana, in quibus & Ciliciæ alicubi portæ ſunt, periculoſo Alexãdri tranſitu notæ. Oppidis circum, caſtriſq; inter aſperas conualles poſitis, proinde & Græcis ea Ciliciæ pars τραχέοτις cognominata eſt. Vnde illa eſt apud Strabonem lib. 14. Ciliciæ in aſperam & planam ſiue campeſtrem diuiſio. Cãpeſtris ferè ubiq; fertilis eſt, & ut ait Marcellinus, bonis omnibus diues, maxime ubi Amano è Syriæ finibus approximat. Gentes illic cõmixtæ,

nomen

nomen etiam miſcuerunt, & Syrocilices dictæ ſunt. Amnes in Cilicia celebres, Pyramus & Cydnus. Vrbium notiores quondã, Iſſos, Rhoſus, Mallus, Mopſos, Anchiale, Aegea; Solæ & Cæſarea apud Anazabũ cognominata. Quarũ omniũ metropolis Tarſus fuit, clariſſima ciuitas, & quã Romani incolumi etiamnũ imperio, propter dignitatem & uetuſtatem, liberam eſſe uoluerũt. Cydnus eam amnis è Tauro lapſus per fluit, non admodum magnus, ſed liquore, ut tradit Curtius, memorabilis: quippe leni tractu è fontibus labens puro ſolo excipitur, nec torrẽtes incurrunt, qui placide manantis alueum turbent. Proinde incorruptus idemq; frigidiſſimus, & ubique fontibus ſuis ſimilis in mare euadit. Strabo lib. 14. mederi eum neruorũ doloribus, tradit: quod & Philoſtratus in libris de Apollonio, prodidit. Alexander fluminis amœnitate captus, cũ in eo lauiſſet, grauiſſimo morbo correptus eſt. Supra autem monuimus Friderichum Aenobarbũ Imperatorẽ, in Cilicia, pari lauandi ſtudio delectatum interijſſe. Hæc eſt Tarſus quæ Paulum nobis apoſtolum (ſicut ipſe Actorum 21. & 22. capite indicat) genuit, uirum citra controuerſiã ſanctiſſimũ, & quem eruditionis excellentia cæteris apoſtolis præferre non dubitauit uir doctiſſ. Cæſarieñ. Euſebius. Vt mirũ non ſit, in tot locis, tanta diſciplina, grauitate, conſtantia, haud ita multis retro ſæculis Chriſtianam fidem per

Tarſus.

Vide Volater. li. 10. geogra. Erasmus in adnotationibus suis in Acta ca. 21.

tot celebres eccleſias, Cilicã coluiſſe, quæ tã fideli iam olim Doctore profecerit. Teſtantur hiſtoriæ de Tarſenſi eccleſia, & epiſcopos illius magnos uiros fuiſſe docent. Memoratur & Rhoſenſis contio, & Aegea Ciliciæ ante Aeſculapij Fano culta, mox Chriſti oraculis celeberrima. In aſpera Cilicia Seleucia fuit Calicadno amni impoſita, quam aliqui Iſauriæ quæ proxima Ciliciæ eſt, tribuerunt. Plinius Tracheotin uocatã fuiſſe, ſine dubio ob ſitus aſperitatem, admonuit. Celebrem fuiſſe uel illud argumento eſt, quod ſynodum aluit Seleucienſem cognominatam, cuius Theodoretus meminit. Solos oppidum Pompeius, Pyratico bello confecto, & plus mille trecentis nauibus combuſtis, Pompeiopolin de ſe uocauit, captiuis ex pugna, quos uita dignos iudicaſſet, eò deductis. Obiter corrigẽdus Curtij locus eſt, apud quem lib. III. legitur Alexandrum uiribus corporis receptis ad urbem Solis perueniſſe &c. ubi nõ Solis, ſed Solos legendum, ut ſit Soli pluralis numeri, à quo Solenſes dicti, ceu Aratus ille (qui à Paulo citatus creditur Act. 17.) Solenſis fuit, cuius de aſtris opus φαινόμενα inſcriptũ extat. Ab eadẽ & Solœciſmus dictus, ſicut à Cilicia Ciliciſmus, ſermo rudis & barbaſculus. Profuerit fortaßis et hoc annotare, Hermolaum Tarſis nomine in ſacris literis Carthaginem magnam ex Euſtathij authoritate intelligere, cum Hieronymus tamẽ quæſtionibus in Geneſim

neſim, Ioſepho innixus, Ciliciã intelligat, & θ abuſu in τ deprauatum retur. Tarſi ſuburbana, Iulianum apoſtatam condiderũt, quum in pugna contra Perſas ſuſcepta ex uulnere interijſſet, Anno tertio imperij, ſeptimo ex quo Cæſar à Constãtino fuerat ordinatus, uitæ anno XXXI. authore Socrate. Dignum autẽ relatu Antiochẽſes adeò nuncio mortis eius gauiſos, ut feſtum tripudium egerint, uehementiſſima illa acclamatione per totã urbem intonante: Maxime fatue ubi ſunt tua uaticinia? Vicit Deus & Chriſtus eius. Interminatus enim erat ſe Gallilæos (ita Chriſtianos uocabat) poſt uictoriam de Perſis relatam, repente ſubuerſurum. Quum igitur militiæ imperator ageret, caſu quodam Iuliani magiſter Sophiſta Libanius Pædagogo cuidã Antiochiæ Chriſtiano, obuiam factus, illud ſcomma obijcit: Quid putas, nunc agit ille Fabri filius? Reſpõdit mox Pædagogus: Iuliano concinnauit loculum. Significãs breui ſepultum iri tyrannum, qui Chriſtum tantopere perſequeretur. Nec uanum reſponſum fuit, quũ mox paulò, occiſi Iuliani fama tota urbe percrebuiſſet.

Iulianus i[m]perator Christianos solebat Galileos nominare. q[uo]d Eusebius li. 10. Eccl[esiastic]ae histo[riae] ca. 35. et alias s[ae]pe memorat.

PAMPHILIA.

PAmphiliam perinde atq; Ciliciam, ſed curuato magis ambitu Taurus inſinuat, frequentiſſime habitatam regionem, nec minus claris amnibus perfuſam. Diremit eam à Cilicia Pomponius, Anemu

rio promõtorio, Plinius Mela amne, Ptolemæus Tauro ea parte ad littus digreſſo. Mopſopiam aliquando dictam conſtat, quoniam Mopſi uetus regnum fuiſſet. Amnis in ea celeberrimus Eurymedon, poſt quẽ Oeſtrus & Cataractes, quibus ab impetu data nomina uidentur, fundit eos Taurus, ea parte Sardemiſus, qua Lycias à Pamphilijs diſterminat. Lycijs enim & Phrygibus ab occaſu, ut ab ortu Cilicibus Pamphilia coniungitur, partem auſtrinã mare alluit, portuoſis ſinibus perquam cõmodã, in quibus & frequẽtia oppida iacent. In primis Attalia ab Attalo cognomine Philadelpho dicta ſi Straboni credimus, & Sida à Cumanis Aſiæ condita. Fuere & Perga inter præcipuas ob Fanũ Dianæ, quæ inde Pergea dicta eſt. Præterea Aſpendus, & ultima Pamphiliorum Phaſelis, Pomponio. Pergam uenerũt apoſtoli, Paulus & Barnabas, è Papho maritima Cypri urbe traiecti, Actorum 13. atque inde Antiochiã Piſidiæ profecti, demum in Lycaoniam uenerunt, inde rurſus Pamphiliam ingreſſi ſermonem locuti ſunt Pergæ, deſcenderuntq́; in urbẽ Attaliam, atq; inde rurſum in Antiochiam Syriæ unde primũ erant egreſſi uenerunt, ſicut Lucas Act. 14. ſcribit. Non eſt autem, ut perſuadeamus nobis aut hũc Lucæ aut conſimiles alios ſcripturæ locos, recte accipi aut intelligi doceriue poſſe ſine pertinente regionum cognitione, quam tamen ex diligẽti demonſtra-

Attalia. (de qua vide Volater. li. 10. geogra.)

Perga. (urbs est Pamphilie cuius Plinius meminit li. 5 na. hi. ca. 27. Mela li. 1. Strabo li. 14.)

tione

tione & apto Chartarum uſu,diſcere paucis mẽſibus ſtudioſi haud multo labore poſsint,modo huic diligentia acceſſerit.Sidæ quidẽ apoſtolos egiſse nõ legimus, præſtitit tamen illa urbs memoria Euſtachij *ciuis ſui, qui prius* Berrhoeæ Syriæ,*mox &* Antiochiæ *epiſcopus &* Arrianorũ *artibus oppreſſus,*Traianopolim Thraciæ *urbẽ,* Conſtãtij *iuſſu relegatus eſt, authore* Hieronymo.*Inter præclara eius opera uolumen extitit cõtra* Origenem *æditũ de* Engaſtrimytho,*hoc eſt,* Pythonico, *qui dæmonio afflatus, uaticinatur.*Tales *enim Græcis* ἐγγαστριμύθους *uocari* Cœlius *ſcribit lib.5.quod tantundẽ eſt quaſi uentriloquos dicas.*Vt Auguſtinus *quoq;* Pythoniſſam *cuius* Lucas Act. 16. *meminit libro de doctrina* Chriſtiana *ſecundo,uentriloquam uocauit uelut reddita Græca uoce.*Quem *locum* Gratianus Pandectis *ſuis inſeruit 26. q. 2.cap.* Illud *quod.Dicti autẽ ita uidentur, quod uentrem & præcordia, hoc maxime tempore dæmon agitet,quo fanatica illa oracula proferuntur.Inde inſanire & furere etiam uates dicti ueteribus,ut* Maroni *lib.6.*

Non uultus non color idem:
Non comptæ manſere comæ,ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument. Item:
Bacchatur uates magnum ſi pectore poſſet
Excuſsiſſe Deum,tanto magis ille fatigat
Os rabidum fera corda damnans,&c.

Hoc ipſum autem animabus quibuſdam in corpora delegandis, per præcedentia quædam commerita accidere libro 3. Periarchon Origenes ſcripſerat, quemadmodum de eo in epiſtola ad Auitum tradit Hieronymus. Pueros item & penè lactantes malis repleri ſpiritibus, & in diuinos atque hariolos inſpirari aſſeruerat, adeò ut Pythonicus dæmon teneram etiam ætatem poßideret. Contra, Sancto ſpiritu alios, etiam in utero donari aßerebat, Ioannis exemplo qui Chriſtum agnouerit & adorarit nondũ æditus. Quem errorem tanti uiri, uidelicet quod merẽdo demerẽdóue bonos ac malos ſpiritus animæ ſortirẽtur, necdum natæ in lucem, & quod Pythones naſcerentur, puto Euſtathium reuelliſſe. Alioquin ſatis conſtat, & ſcriptura teſte receptum, ſed & compertum, animos hominum agitari dæmonijs, & oracula promi plerunq; uera, quibus tamen fidere nemo pius debeat. Certe proxime præterito anno uiſus eſt Engaſtrimythus adoleſcens in Rhetia noſtra, qui ſtato tempore correptus dæmonio & acerbe agitatus, atque inde decumbens pluſcula tanquã de ἐκστάσει locutus eſt, obſcuris uera inuoluens, ut dixit Poëta: ſed & palàm collaudans dogmata ex confeſſo impia, ſi fortè parum attentis pro ſuo more poſſet imponere. Vidit eum puerum & audiuit nugantẽ, uir doctißimus Ambroſius Blaurerius, cum in Rhetia ſuperiore Chriſtũ prædicaret:

Vſ=

Vſqueadeo ne nunc quidem quicquam candori euangelico à deceptore illo ſpiritu tutum. Non abſimilis huic præſagio nuper Anabaptiſtarum fanaticus ille ſomnus erat, quo correpti ſenſim decumbebant, inde ingenti ſudore exorto iacebant, tantillum immoti, donec apertis oculis, ac uelut reſpirantes ægre ſe in pedes erigerent, cõtinuo inclamãtes, Diem domini præ foribus eſſe, quibuſdam etiam annũ & diem indicere auſis, quibus iudicium ſupremum expectaremus. Fertur & Mahumetem Engaſtrimython fuiſſe, & morbo Cõmitiali laborare creditum, quum dæmonio tamen agitatus prophetaret. Pamphilia hodie ſicut & Cilicia & reliqua Aſia minor, Turcarum ditioni paret. Mahumeticam & ipſa impietatem recipere coacta. Quæ tametſi unum Deum colendum iactat, & hiſtoriam ueteris Inſtrumẽti prætexit, tamen quia cæca Chriſtum dominum non agnoſcit, & Trinitatem etiam reſpuit, nihil leuiore dementia iam in his locis laboratur, quàm cum Dianæ & Ioui, Neptuno, Apollini & Aeſculapio, decantatiſsimis quondam Aſiæ nominibus uano ritu & impoſtrice fiducia ſacra fierẽt.

LYCIA.

A Phaſelide & eo flexu Tauri quem diximus, Lycia ſeſe aperit, clariſsima quondam Aſiæ regionum, & ſexaginta oppida complexa, è quibus tamen Pauli apoſtoli ætate triginta ſex tantũ

extiterint, reliquis partim bello, partim terræmotu diſiectis. Taurus eam nõ includit modo ut Pamphiliã uerumetiam ingreditur, Maßycites interdum, & Cragus, atque etiam Anticragus & Laodiceam uerſus, Cadmus appellatus, Straboni, Plinio, Ptolemæo. Orã maritimam Telmeſſus finit, uetus oppidũ, ad Cariam reliquum oræ quod contra Rhodum eſt, inflectẽs. Primariæ urbes Lyciæ fuerunt, Xantus, Patara, Pinara, Olympus, Myra, Tlos. Amnium in mare cadentium Xãthus è Crago, Lymira è Maßycite fuſus. Diuerſo à latere Lycus eodẽ monte delapſus, perq; Lycaonas & Phryges means Mæandrũ ingreditur. Liuius octauo libro belli Macedonici Nilum uocat amnem illis locis celebrem, cuius et Plinius libro quinto meminit. Eſt in Lycia Chimera mons, noctibus flagrãs, nec procul eo Epheſtium oppidum & ipſum flagrantibus iugis, ut ait Plinius. Patara Fanum Apollinis habuerũt, magna frequentia celebratum, unde Pataræus cognominabatur. Sed ceſſerat euangelio Chriſti uetus impietas. Ad eam urbem Paulus ex Epheſo nauigans appulit, inde Tyrum Phœniciæ uectus. Act. 21. Cum factam eſſet, inquit Lucas, ut ſoluiſſemus auulſi ab eis, recto curſu uenimus Coum, & ſequẽti die Rhodum, & inde Pataram, & nacti nauem quæ traijceret in Phœnicem, ea cõſcenſa ſoluimus: cum autẽ incepiſſet nobis apparere Cyprus, relicta ea ad ſiniſtrã, nauigauimus

Patara.

uimus

nimus in Syriam, & uenimus Tyrum, nam huc nauis exponebat onus &c. Erat autem Cyprus hoc modo quo Lucas tradit, præternauiganda & ad ſiniſtram relinquenda recta in ~~Cyprum~~ nauigantibus. Quod è Syriam tabularum deſcriptionibus planiſsime diſcitur. Lyciæ quoque Myra eſt, maritima urbs in cuius portu, Apoſtolus iam captiuus in Alexandrinã nauẽ quæ Italiam petebat, tranſpoſitus eſt, Luca eum & Ariſtarcho Macedone comitantibus. Actorum 27. Quo in loco obſeruandum quod cum antea è Pataræo portu recta Tyrum nauigaſſet Apoſtolus, iam nũc à Centurione reductus, alia uia & obliquiore quidem nec ſine diſpendio nauigat, ſublecto uidelicet oriẽtali Cypri latere, eoq́; emenſo pelago, quod Cyprum à Cilicia & Pamphilia dirimit, idq́; factum, quo colluctans uentorum impetus declinaretur, arripi enim in alto nauis, et longe ab inſtituta profectione repelli potuiſſet, ſi conſuetam profectionẽ ſeruaſſet. Vt enim in terris alia ſubinde pro re nata, atque alia itinera ſuſcipiuntur, ita & in pelago uariant pro cœli & uentorum diſpoſitione, conſilia. Quanquam incertiora omnia ſunt nauigantibus. Nihil enim minus aut fidum aut conſtans pelago eſt. In Hieronymi libello de locis Actorum, quidam Hieronymum citans, non Myram, ſed Smyrnam legendũ putauit, cum longe diuerſo latere Aſiæ & in Ionici littoris receſſu Smyrna iaceat. Myram

Myra.

autē Lyciæ, præter alios & Plinius agnoſcat & Strabo. Sed et ipſe in primis Lucas tam fidus Pauli comes, & hiſtoriæ apoſtolicorum Actorum author. Stephanus item de urbibus, in Lycia Myram locat, cui præterfluus amnis Myras nomen impoſuerit. Plinius urbē Olympum interijſſe ſignificat, cum Hieronymus tamen Methodium ei clarum uirum, qui ſub Decio imperatore floruerit, tribuat. Et qui mox paulò Tyri epiſcopus demum in Chalcyde Syriæ martyrio fuerit coronatus. Sed fieri potuit, ut à ruinis fuerit reducta & inſtaurata, quod ſanè multis per Aſiam urbibus terræmotu collapſis contigit. Non tacendum, Lyciorum quondam quemadmodū & Cilicum florentiſsimam rempublicam fuiſſe, & ad Italiam uſq; dominatu marino pertigiße, quemadmodū Cilices ad Peluſiū Aegypti promotis finibus, ipſis etiam Cappadocibus, Armenis, Pamphilijsq́; & Lycijs dominati fuerunt. Hodie regna illa tam celebria quondam & nunc quoque tot nominibus memorabilia, Turcæ ſeruiunt, Turcæ inquam qui de infimo & mercenariæ militiæ gradu, ad eam ſublimitatem deſidia noſtra aſcendit, ut imperio iam non in Aſia ſolum, ſed in Europa etiā inſigni & opulento præſideat.

Aſia

ANtequã de Caria diceremus, repetere de Aſia atque indicare placuit quæ pars Cherronneſi proprie minori Aſiæ tribueretur. Quod uiderem aliquid inde lucis ſacræ etiã hiſtoriæ acceſſurũ. Supra autem dictum ab intimo Iſſico ſinu ad Trapezuntem Ponticam urbem, initium peninſulæ ſumi quæ minor Aſia dicitur, tametſi lib. 14. Strabo à Tarſo & Cydni oſtijs, uſque ad Amyſum Paphlagoniæ, uerum Iſthmum menſus eſt. In hac ergo Aſia, rurſum alia eſt, proprie minor dicta, ſed diuerſis finibus terminata ſcriptoribus. Agrippa enim duplicẽ fecit, teſte Plinio. Nos delectu habito, primũ Ptolemæi ſententiã referemus, deinde & Lucæ explicabimus hiſtoriam, quæ proprios minoris Aſiæ terminos indicabit. Ptolemæus quinto libro, Aſiam proprie dictam includit à Septentrione Bithynia, à meridie Pamphilia & Lycia, ab ortu Galatia, ac occaſu Aegeo mari. Quam partitionem ut receptã haud dubie & eo ſæculo uulgatam, ſecutus uidetur Petrus apoſtolus dum prioris epiſtolæ primo capite: Petrus, inquit, apoſtolus Ieſu Chriſti, aduenis ſparſim incolentibus, Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, Bithyniam &c. Vbi Bithyniam & Galatiam ab Aſia ſeiungit, nimirũ hanc ipſam intelligẽs quam Ptolemæus. Veterũ enim more harum tantũ regionum quæ cis Taurum in Aegeum & Euxinum patent, meminit, uidelicet, Cappadociæ,

Ponti, Galatiæ, Bithyniæ, Aſiæ, ut intelligatur Aſiæ proprie minoris eſſe, quicquid reliquum cis Taurum eſt à prædictis regionibus diuiſum. Enimuero & Plinius quinti libri fine, initium Aſiæ de qua iam loquimur, à Lyciæ fine quondam ſumptum eſſe teſtis eſt. Idem & Ioãnes ſecutus uidetur Apocalypſim ſuam ſeptem Eccleſijs Aſiæ inſcribens, uidelicet Epheſinæ, Smyrneæ, Pergamenæ, Thyatirenæ, Sardianæ, Philadelphenæ, Laodicenæ. Quæ uniuerſæ, Bithynia, Galatia, Pamphilia, & Lycia includũtur. At uero Lucas terras quæ minoris Aſiæ ſunt, paulò arctius definiuit, & terminis contraxit anguſtioribus, haud dubie & ipſe conceptam aliquam & uſitatã loquendi conſuetudinem ſuæ ætatis ſecutus, ſed operæpretium eſt eius uerba referre, quæ Actorum 16. capite, ubi ſecũdariæ profectionis in Aſiam meminit, ad hunc modum habent: Cum peragraſſent autem Phrygiam & Galaticam regionem, uetitiq; eſſent à ſpiritu ſancto loqui ſermonem in Aſia, profecti in Myſiam tentabant ire in Bithyniam, & non permiſit eos ſpiritus. Cum autem pertranſiſſent Myſiam, uenerunt Troadem &c. Ex quibus uerbis manifeſtum fit, aliter Aſiam accipere Lucam quàm aut Petrus aut Ioannes acceperit, palàm enim & Phrygiam & Myſiam, Aſiæ demit, cum per eas ſe profectum teſtatur, qui tamen Aſiam ingredi uetitus fuerit, & Syros, Cyprios, Cilices, Ly-

caonas,

caonas, Pamphilios, Piſidas, Galatas, Phryges, Myſos, prius inuiſerit prædicato Euangelio, quàm ei Aſiam illam intrare fuerit conceſſum. Intelligimus ergo Lucam eam partem peninſulæ proprie Aſiæ tribuiſſe quæ ad occaſum proxima mari, in mediterraneis Aeoliam & Lydiam ſupra Epheſum & Smyrnam, complectitur. Quã certe & Hieronymus ſpecialiter Aſiæ nomine uocari tradit. Huius partes erunt, Ionia, Aeolis, Lydia, ~~fortiſsimæ~~ fertilissimæ & cultiſsimæ omnium Aſiæ regionum quæ intra maria, Euxinum & Cilicum, prominent. Nec diſſentit à ſupradictis alius Lucæ locus, qui Actorum 20. ubi poſtremus Apoſtoli in Syriam reditus deſcribitur, ſic habet: Propoſuerat enĩ Paulus præternauigare Epheſum ne tempus tereret in Aſia, feſtinabat enim, ſi poßibile ſibi eſſet, ut diem Pentecoſtes ageret Hieroſolymis. A Mileto aũt mißis Epheſum nuncijs accerßiuit presbyteros eccleſiæ &c. Hic dicitur cauiſſe Paulum ne remoram ei Aſia faceret, & ea cauſſa præteritam Epheſon, & petitam Mileton. Quod planè cum his quæ alibi dixit, cõſentit. Miletum enim in Caria ſtatuit Ptolemæus, quanquam in Ionia pleriq;, ad quam ab Aſſo nauigans primũ continentis portũ ingreſſus eſt, antea ad ſolas inſulas conuerſus, uidelicet quo à littoribus Aſiæ abſtineret. Miletum autẽ euocauit Epheſios, ut, quoniã certus eſſet ſe poſthac Aſiam nõ reuiſurum, poſtremũ illos, quid

potiſsimum in cœtu ſanctorũ agere, quid cauere, & cuius maxime rei memores eſſe deceret, ordine inſtitueret. Officij erat non intermittere quod ad profectũ Euãgelij pertinere uidebatur: beneficij, uocatos ad ſe, ne qua parte exciderẽt, admonere. Nunc rurſum partes reſumendæ nobis, & quantum inſtituti mei ratio patitur, peragrandæ longius. Nec enim alia (quod ſciam) orbis pars, aut celebrior Eccleſiarum dignitate, aut Chriſtianiſmi per initia, Aſia obſeruãtior fuit, ut non ſine dolore retractari eius poſsit memoria quam tam paucis retro ſæculis, incuria magis noſtra, quàm ulla urgente neceſsitate amiſimus.

CARIA.

Cariam ab ortu Lycia, & in littore Telmeſſus finit, ut dictũ eſt. A meridie atq; itẽ occaſu, pelagus, hinc Aegeum, illinc Rhodiẽſe, à Septentrione Phrygia, Lydia, Ionia. Strabo Mæandrum eius hac parte limitem ſtatuit, qua Ioniam attingit. Plinius ſinum Iaſsium, qui tamen citra Mæãdri oſtia Miletum etiam ab Ionia excludit. Pomponius Baſilicum facit Cariæ finem, qui Iaſsio Boream uerſus proximus eſt. Quod hoc libentius admonendũ duxi, quo minus mirum fiat Lectori uſqueadeo in Aſiæ proprie dictæ terminis eſſe uariatum. Caria ergo, peninſula Doride prominẽs latus Aſiæ occiduum à meridiano dirimit. Dores eam coloni habitarunt è Græcia profecti, qui

&

& nomen terræ dederũt, deinceps Dores, Dorici & Dorieſes appellati. In eius Iſthmo Halicarnaßus quondam ſummæ claritatis ciuitas, quæ Herodotũ & Dionyſium hiſtoricos genuit, bellis poſtremo attrita, è cuius ruinis nuper munitißimũ oppidum ſancti Petri cognomine Rhodienſes extruxerant, proximis annis unà cum Rhodo à Turca captum. In peninſulæ cornu Gnidus, hodie Caput Chij à nautis Italiæ dicta, & citra eam ab auſtro Loryma contra inſulam Carpatum, à Borea autẽ Ceramus fuit Choo obuerſa. Media enim Doris inter Coon & Carpatum incedit, florentißima quondã cum res Græcorũ incolumes eſſent, iam minus culta, non minus tamen fertilis. In continẽte mons Phœnix Ptol. dictus, excelſo iugo à Tauro egreſſus, latus Cariæ auſtrinum à Boreali diſiũgit, & Tauri in Aſiam procurſum finit. Iuxta eum oppida fuere, Mindus maritima, intus autem Alinda, & Alabanda Molonis qui Rhodi docuit patria, et Stratonica æque clara, niſi quod Alabandæ forum Romani tribuerũt, Conuentu inſtituto, qui Alabandicus cognominatus eſt. Illi enim rebus Aſiaticis ordinandis, quo expeditior iuriſditio foret, in urbes eã cuiuſq; regionis præcipuas diſtribuerũt, adiectis diœceſibus, hoc eſt agri parte, unde illò fori cauſſa cõmearetur. Quæ partitionis ratio prouinciarum propè omnium fuit, neque hodie Principum curæ neglectui eſt, Galli Parlamẽta

uulgò, Germani Regimina *uocant.* Inde & Metropoles *dictæ* Romanis *urbes illæ primariæ &* Diœceſes, *urbium ſcilicet, gentiumq́; unius iuriſditionis, adminiſtrationes, quas uoces poſtea* Epiſcopi Orientis *in ordinandis* Eccleſiarum *ritibus, à* Romanis *ſunt mutuati, mox &* Latini *illis uſi, nec tum aliud hiſce nominibus continebatur* Chriſtianis, *quàm ordo publicus & politia quædã, ad hoc inſtituta quo ſyncerior eſſe diſciplina omnium ordinum & eccleſiarum poſſet, uidelicet, euocandis conſtituendisq́; miniſtris, ſynodis celebrandis, alendis curandisq́; pauperibus, cenſendis caſtigandisq́; moribus, & id genus rebus alijs. Cæterũ promotis, ut fit, terminis, Latinæ maxime eccleſiæ ius etiam prophanum arripuere, ueteribus epiſcopis non ignoratũ modo, ſed & neglectum & contemptum, quod à Chriſto diſerte ſibi à cura ſæculi interdictum eſſe exiſtimaſſent. Proinde ius ſuum, hoc eſt, diuinum quod in ſcripturis continetur, adminiſtrabant, Humanum ſeu prophanum in legibus* Regum *contentum præſidibus & curatoribus prouinciarum relinquebant. Sanè pluſculos in* Aſia *conuentus* Romani *habuerunt, quorũ quinto libro naturalis hiſtoriæ* C. Plinius *meminit. Prope autem* Halicarnaſſum Troezene *opp. cuius incolæ* Troezenij, *alij à* Peloponnenſibus, *& regio* Troezena Plinio *libro decimo nominata. In mediterraneis,* Nyſa *urbs, et* Tralleis

quas

quas Thebais fluuius perſundit, Eudon alluit, unde Tralliani dicti. Iuxta Lycaones Laodicea eſt, Lyco amni è Lycia uenienti impoſita, magna urbs & Pauli maxime tẽpore clara, ante enim Mithridatis eam obſidio fregerat, cæterum reſtaurata fuit ac ciuium fortunis & dignitate adeò prouecta, ut ciuem habuerit Hieronem, duo millia talentorũ in populum largientem, præter pecuniam quam urbi exornandæ impendit. Præterea Zenonem & ipſum opulentum, cuius filius Polemon fuit, Ponti rex, ut alibi quoq; diximus. Laodiceæ ſitus amœniſsimus eſt, præter enim Lycum fluuium, Capro etiam & Aſopo de proximo uenientibus alluitur. Ager circumiacens non fertilis modo, ſed & præſtans uelleris laudatiſsimi prouentu. In totum autem felix regio, ſi terræmotus (præcipuũ Aſiæ malum) non infeſtarent. Hanc alij in Phrygia locarũt ſicut & Hierapolim, ego Plinium ſecutus Cariæ attribui, Ptol. Laodiciam uocat, & notus eſt eius urbis Conuentus, Laodicẽſis dictus Plinio. Iuxta fuit Antiochia ad Mæandrum uocata, Maſsico amne è Cadmo ueniente circunflua, haud procul allabente Mæandro, in quẽ emittit Maſsicus. Sed illuſtrior Laodicea eſt propter Paulum, qui Chriſtum docuit, & epiſtolam quæ prior ad Timotheum inſcribitur, ex ea urbe Epheſum miſit. Plures autem eius nominis cum paſsim fuerint, cõſtat clariores nõ fuiſſe, una Syriaca illa Lucæ euan

Laodicea.

geliſtæ patria, et altera Aſiatica, de qua iam diximus. Fuit & Galatica confinis Phrygiæ Laodicia, haud procul Coloßis, in qua Paulus non fuit, ſicut nec Coloßis, quod ipſe palàm Coloſ. 2. capite indicat. Quanquam eiuſdem epiſtolæ ultimo capite de utraq; admonuiſſe uidetur, illa ſcilicet Aſiatica Hierapoli uicina, altera quæ iuxta Coloßas eſt. Sic enim Coloſſenſes alloquitur: Cũ recitata fuerit à uobis epiſtola, facite ut & in Laodicenſiũ eccleſia recitetur. Et eam quæ ſcripta eſt ex Laodicea, ut uos quoq; legatis &c. Patriam ſcilicet Laodiceam Phrygiæ intelligens Coloßis proximam, quam non uidit Apoſtolus. Deinde alteram Caricam iuxta Hierapolim, ex qua Epheſum ſcripſerat. Non quadrat enim ut ex eo loco ſcripſiſſe uideri debeat Apoſtolus ad quem nunquam peruenit. Vt autem demus eandem Laodiceam eſſe cuius hoc ipſo capite meminit, tamen diuerſam ab illa quæ 2. capite nominatur, & duas in Aſia Laodiceas eſſe, quorum meminerit Apoſtolus, de ipſo ſenſu epiſtolæ conuincitur. In ora Cariæ ultima eſt Iaſſus urbs, de qua ſinus Iaßius ſeu Iaſius cognominatus eſt, nam & ſimplici ſ. & duplici utraq; uox effertur. Solinus, apud Iaſium, inquit, urbẽ Panioniæ puerũ Delphinus adamauit. Sic enim illic legendum arbitror, non Babyloniæ ut ferè habẽt exemplaria. Eſt enim Panionia ſacra quondam Ionibus regio ſic dicta, authore Põponio, quod eam com=

muniter

muniter Iones colerēt. Strabo lib. 14. tribus eam à mari ſtadijs abfuiſſe, & templū habuiſſe ait Neptuni cognomento Heliconij, in quo ſtatis diebus Prienenſes omnium Ionum nomine ſacrificabant. Quod quidem illud ſacerdotiū erat quod iuxta Iaſſum fuiße Solinus innuit. Puto autem & apud Plinium capite 8. libri noni legendum: Puerum Alexander magnus Panioniæ Neptuni ſacerdotio præfecit &c. non quadrat enim Babyloniæ uocabulū, cum, quod id temporis in Aſia agebat Alexander, tum etiam quod remota à mari Babylon, etiam ſi tunc ab Alexandro capta fuiſſet, tamen haud magno habere Neptuni numen potuit. Accedit ad hæc, quod Strabo in octauo tradit Prienenſes ſacrificio Panioniæ hominem quempiam iuuenili ætate uigentem præficere aſſueuiße, ut intelligamus Alexandri conſilium etiam occaſione adiutum, ne non illum præficeret ſacerdotio, cui palàm fauere numen eſſet uiſum. Libuit hoc obiter, quoniam Aßi mentio incidiſſet Lectori æſtimādū proponere, quod uiderem Hermolaum uocem Babyloniæ inexcuſſam tranſmiſiſſe.

IONIA.

Plinius quinto libro, Ionia, inquit, à Iaßio ſinu incipiens numeroſo ambitu littorum flectitur. Terminatur ab ortu Lydia, quæ & Mœonia eſt, ab occaſu Aegeo, à Septētrione Aeolide, ut quic-

quid Phoceam inter & Iaſſum iacet, totum Ioniæ tri

Miletus. buatur. Vrbium eius maxime celebris Miletus, caput aliquando regionis, & ſuper octuaginta urbium per cuncta maria genitrix, ut ait Plinius. Ex Mileto fuit Timotheus ille Muſicus, quem libro 2. inſtitutionum Quintilianus duplices mercedes ab diſcipulis quos alij inſtituiſſent exigere ſolitum ſcribit, facilius ratus rudẽ docere, quàm dedocere q̃ praue didiciſſet. Hanc urbem & Paulus ornauit oratione illa quam ad Epheſiorum presbyteros habuit, digna meo iudicio quæ omnium Templorum poſtibus inſculperetur, ut ſimul officij, & qui præſunt, admonerentur, nec immundas manus, longe minus impium animum ſacris admouerent, & eccleſiæ ſperdiſcerẽt indignos eſſe cœtu ſuo qui aut auaritia qualerent ſordidi, aut mandata docerent, doctrinas hominum: Qui Curios ſimulãt, & Bacchanalia uiuũt. A Mileto urbs Priene fuit, Biantis patria, & mons uicinus Mycale. Promontorium Trogilium aduerſum Samo, & ultra Pangilium in pul-

Epheſus. cherrimo ſinu poſita Epheſus longe omnium Ionicarum urbium clariſsima, & Aſiæ olim lumen dicta. Vrbis ſplendorem ſitus auxit, primum oppidorũ frequentia circumſeptus, quorum omnis olim Aſiatica claritas fuit. Obiectæ autem ſinui inſulæ erãt memorabili fertilitate, & quibus ora etiam Aſiæ aliquid debeat. A ſiniſtris Mæandrus fluit, à Phrygiæ monte

Au-

Aulocrene (quem Cælenium Ptol. uocat) exortus, & per Cariam placidus, omnes eos agros fertiliſsimo rigans limo, in Aegeum effluit. A dextris Caiſtrus, & ipſe Aſiaticarum opum uector, quem è Lydiæ Cylbanio monte uenientem & frequẽtibus auctum fluuijs, ſinus ille Epheſinus excipit. Creditũ eſt utroq; amne tantũ limi littoribus inuectum, ut terras propagarint in maria, ſicut in Aegypto Nilus, & inſulas continenti annexuerint. Mons Peon uitibus conſitus & arbuſtis nobilis, latus urbis ad auroram uergens ſpectabili amœnitate præcingit. Cæterum à religione & operoſiſsimo Dianæ templo in tantum aucta fama eſt, ut cum duodecim urbes Ionia aliquãdo teneret, omnium tamen præcipua Epheſus habita ſit, nec aliud opulentius templum per Aſiam, aut ornatius creditum, aut ſpectatum, quàm Dianæ Epheſinæ templum. Strabo author eſt, in Cataoniæ Comanis, alijsq; Aſiæ locis ditiſsima ſacerdotia Numinum fuiſſe, & quibus regio ſanguine orti, præficerentur, parsq; agrorum & iuriſditionis illorũ poteſtatis eſſet. Omniũ tamen opes, donaria, anathemata, Epheſium numen uicit. Templum urbe media ſurgebat, Græcæ magnificentiæ uera ammiratio, ut ait Plinius, Ducentis id & uiginti annis factum ferebatur à tota Aſia, poſitumq; in paluſtri ſolo, ne terræmotus ſentiret aut hiatus, longitudo CCCCXXV. pedum, latitudo CCXX. erat.

Epheſus minoris Aſie metropolis et emporium celeberrimum Amazonum opus, Zonicarum clariſſima, a nomine et ipſa Amazonis appellata, pluribus ante nominibus dicta. Vrythia: Ortygia: Ptelia: Arſinoe ab uxore Lyſimachi. In hac templum Dianae celeberrimum a tota Aſia annos ducentos edificatum. Ex Raphael Volaterr. li. 10. Geographie. In Epheſo etiam Paulus predicavit. Acto. 18. 20. Huius meminit Apoſtolus 1. Cor. 16. 2. Co. 2. 11. Apo. 1. 2. Extat et Pauli epiſtola ad Epheſios.

Columnæ centum uigintiſeptem à ſingulis regibus dicatæ. Iuxta templum Aſylum erat libertatis inuiolatæ ad ſtadij ſpaciũ ab Alexãdro extenſum. Quod Auguſtus tamen damnoſum eſſe ratus, quoniã impunitate propoſita multorum libido ad ſcelus inuitaretur, irritum fecit, ut refert Strabo. Fons Callipias prope templum amœnus, & qui procul ueniẽtes uel aſpectu recrearet. Intus imagines, ſimulacraq́; auro, argento, ebore, marmore conſpicua. Donaria item à regibus, urbibus, gẽtibus, populis collata, dicataq́;, quæ omnia uel per ſe ipſa ſpectata & cognita peregrinantium itinera & ſudorem leuare diſpendio & operæ facere precium uidebantur. Alioqui & urbis luxus, & elegantia, & copia fouebat aduentantes, ſuperq́; omnia rumore ſparſo, ut fit, alij alijs fama excitati ſuccederent, nec ullus eſſet uiſitandi numinis finis. Cum uotorum quoq; nullus eſſet, magnus ibi artificum prouentus, maior ſacerdotum erat, ſplẽdore, ornatu, opulentia radiabant omnia. Nec æuo ullo aut ſæculo ea maieſtas uidebatur interitura. At uero moles illa magnificentiſſima, tanto numine, tantis opibus, tantaq́; fama per orbem nota, CHRISTO Epheſijs per pauperẽ, humilemq́; Apoſtolum prædicato, ita ceſſit, ut plus minus triennio magna urbis pars, Diana ſpreta, & reiecto idolorum cultu, redemptionem per illum factam amplexa fuerit, præterea libros ueteris

inſci-

inſcitiæ & magicæ ſuperſtitionis plenos, nec paruo precio comparatos, flammis tradiderit, ceu Lucas 19. cap. ſcripſit. Prædixerant prophetæ futurum, ut ſpiritum fidei gẽtes eßent accepturæ, relicturæ idola, Chriſtum ſecuturæ, qui nõ luxu, ornatu, ſplendore, ſimulacris, opibus, donorum elegantia: ſed fide, humilitate, abſtinentia, beneficentia, ſynceritate, & proximi dilectione colitur. Ethnicorum ſapientes à ſacris auri argentiq; uſum ſummouendũ exiſtimarunt. Nec inepte ſane, nec impie Perſius: ſatyra ſecunda.

Dicite, inquit, Pontifices in ſacro quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatæ à uirgine Puppæ.

Quid ni igitur Apoſtolũ audimus ex prophetis id repetentẽ Actorũ 17. ut ne opinione ducamur, coli Deũ rebus humana factis manu? Et cum non ſacræ modo ſed & prophanæ literæ teſtentur ad Euangelij prædicationem opes illas templorũ & falſorum numinum caſuras fuiſſe, præterea lege abrogata, ne Iudæorum quidem iuſſa quondam & imperata à Deo opulẽtia, ſubſtiterit, ipſo etiam templo funditus ſubuerſo: quid oro nos agimus, dum contra ueterum exemplum, contra uſum eccleſiæ tot ſæculorũ, contra clarißima ſcripturarũ oracula, in hoc incumbimus, ut domus ſacræ id genus elegantijs ſint confertæ, ut hoc inſtituto rem gratam domino faciamus, qui manibus humanis non colitur. Quanto ſatius foret opes in pauperes, hoc eſt

Vide Acto. 7. 14
Heſaie. 66.
Hieremie. 23
Pſal. 138.

uiua Dei templa (ut inquit ille) quàm in nõ ſentientes ſtructuras effundere? Illud enim, niſi fallor, ſcripturæ iubent, hoc uetant. Sed redeundũ ad Epheſum, in qua illuſtranda Paulinæ uigilantiæ Ioãnes euãgeliſta acceßit, hunc enim Epheſi commoratum & defunctum eſſe lib. 3. tradit Euſebius. Certe Irenæus libro de hære ſibus ſecũdo Aſiæ eccleſijs Ioannem præfuiſſe, & ad Traiani uſq; principatum uixiſſe, docet. Vt inde colligi queat Ioannis Euangelium ſero ſcriptum, urgente, ceu Hieronymus tradit, Hebionitarum hæreſi, qui Chriſtũ ante Mariam fuiſſe, hoc eſt, uerbum æternũ carnem factam eſſe, negabant. Sic ſeruauit in quæq; momenta temporum organa ſua dominus, quæ VERITATEM *tot modis, ſatana ſuggerẽte, inuaſam, uindicarent. Hæc eſt Epheſus, quam ex uinculis Romanis Apoſtolus eſt conſolatus. Scripſiſſe eum & priorẽ ad Corinthios Epheſi, ex itinere, cum aliæ coniecturæ ſunt, tum hæc præcipua eſt, quod Lucas Act. 19. Paulum ſubſiſtentẽ in Aſia Timotheũ & Eraſtum præmiſiſſe in Macedoniã tradit, quũ ipſe mox pauló eſſet ſecuturus. Et quod ultimo capite eius epiſtolæ, Salutãt, inquit, uos in domino multum, Aquila & Priſcilla &c. Quos Epheſi tamen reliquiſſe Paulũ, cum ipſe in Syriã tẽderet, palàm indicat idẽ Lucas Act. 18. Nunc reliqua Ioniæ reddemus. Supra Epheſum Magneſia iacet Theſſalorum colonia, ad Mæandrum co*

gno-

gnominata, propter eam quæ ad Sipylum dicitur, in Lydia. Vulgatus iſte gentibus mos, quo errori differentia ſuccurrat. Sic Syriæ Laodicea una ad Libanũ dicitur, ne ſeorſim prolata uox, eam indicet quæ in eadem Syria ad Orontem iacet. Germani haud alio magis diſcrimine cognomines locos explicant. Colophon & ipſa Ioniæ urbs eſt, ad Haleſum amnem ſita, cum Mirante monte, à quo terræ in altum abeuntes peninſulæ forma Chium uerſus prominẽt, in qua Erythræ quæ Sibyllæ Aerithræ nomen dederũt & Clazomene iacet, & extra peninſulã in altero ſinu Smyrna, dein Phocis illa quæ Maſsiliam in Gallia genuit, Ioniæ maritimæ poſtrema. Smyrna amœno littore ſita, amne Melete affunditur, Plinio, uaſtata quondam à Lydis, ſed Regum opera integrata, ut Pauli ſæculo haud dubie pulcherrima fuerit. Eundem ſinum amnis Hermus influit, multos alios, ſed præcipue Pactolum & (qui Phrygiæ nomen dedit) Phrygem, recipiens. Plinius montem Smyrnæ Maſtuſiam tribuit, & Conuentum Smyrnæum indicat percelebrem quondam, ſed longe poſthabendum Eccleſiæ quam apoſtoli in ea urbe condidere. Polycarpus eam tenuit, apoſtolorum diſcipulus, qui dicere ſolebat, Nihil eße pro uero recipiendum, quàm quod conſtaret ab apoſtolis traditum. Quam ſententiam & Papiæ Hieronymus tribuit, & ipſe ſecutus eſt epiſtola quadam ad Theoph.

contra Ioan. Hieroſolymitanum epiſcopum, ubi inquit, Scio me aliter habere apoſtolos, aliter reliquos tractatores, illos ſemper uera dixiſſe, iſtos in quibuſdam ut homines errare. Idem author tradit Polycarpum à Ioanne epiſcopum factum, totius Aſiæ principem uirum fuiſſe. Viuus certe exuſtus eſt ſub M. Antonino & Aur. Commodo, Anno Chriſti C L X X. nec multis annis poſt eius mortem ingenti terræmotu cõcuſſa ciuitas, decennali libertate donata eſt, quo ſe inſtaurare poſſet. Dura ſanè illis ſæculis Chriſtianorum cõditio fuit, quũ principes Auguſti tuẽdæ religionis prætextu, ipſam (quæ uera eſt religio) fidẽ in Chriſtum ſubuertere & extinguere niterẽtur, quum deorum ſuorum ueterem cultum, præterea & ceremonias tot ſæculorum uſu conſenſuq; receptas, & totum illud ſatanæ regnum, quod cæcis animis longæ conſuetudinis præſcriptio ingeſſerat, aduerſum doctrinam quæ unum Deum prædicabat, plures negabat, tanta cum cõtentione propugnandum deffendendumq; recepiſſent. Nihil enim quietũ noſtris aut integrum, nihil non ſummo cum diſcrimine coniunctũ erat. Primum impietatis & blaſphemiæ nota ſuccreſcẽtis Euãgelij fama traducebatur. Deinde læſæ quoq; maieſtatis arceſſebantur, qui ſacroſancti Imperij Romani receptam, atque adeò maiorum prudentia, conſilio & authoritate inductam religionem deorũ con

tem-

tempſiſſent, apud aras & delubra Numinum non ſacrificaſſent, incenſum dijs maiorum minorumq́; gentium non adoleuiſſent. Quorum uidelicet criminum, cum reos ſeſe Chriſtiani cottidiana confeßione ſua teſtarentur, nec diuelli minis ullis à Chriſto, longe minus abduci perſuaſione poſſent, crudelißimis edictis & proſcriptionibus afflicti ſunt, & indicibus propoſita præmia feruntur, ne reliqui eſſe ullo loco Chriſtiani poßent. Mitißime autẽ tum res agebatur, cum caueretur Chriſtianos non requirendos quidem, ſed oblatos puniri oportere. Quale Plinio ſuo Prouinciã moderãti Traianus reſcripſerat. Ceſſantibus autẽ & interdum cõniuentibus Principũ animis, aderãt artifices incẽdiorũ, calumnijs, criminationibus, delationibus, ſæui: qui in illorum aulis perinde atq; in pelago uentorum turbines, ſubinde alias atque alias perſecutionum procellas commouerent. Interim uulgus communes caſus rerum aduerſarum undecunq; ingruentes in Chriſtianos transferebat. Si pugnatum erat improſpere, ſi annona laboratum, ſi terræmotus, ſi alluuiones, hiatus, peſtes, ſi grandines & cataractæ nocuiſſent, ſi exundaſſent flumina, deorum id quidem iræ tribuebatur, ſed inde natæ, quod Chriſtianos ferret ac toleraret imperium. Nullum probrum erat, nullum dedecus, quod inſontißimæ profeßioni non impune obijceretur. Proinde tanta indignitate tractatis ne

in publicum quidem prodire interdum Chriſtianis licebat. Quod equidem admonendum duxi, quod animaduertam multos eſſe ætate noſtra, qui præſenti rerum ſtatu perſuaſi, dum legũt audiuntq; Petrum Romæ tot annis ſediſſe, Linũ, Cletum, Clementẽ, aliosq; ueteres Vrbis epiſcopos, tanta cum dignitate, grauitate & uigilantia præſediſſe eccleſiæ, Polycarpũ autem epiſcoporũ Aſiæ principem fuiſſe, perinde tum, aut pace, aut dignitate & ſplendore, aut fauore hominum habuiſſe eccleſias ueteres, atq; hodie habent per Europam: cum longe diuerſum uetus hiſtoria prodat, longeq; alij ſint hodie noſtrorum mores & ritus quàm illorum fuißent, quibus nihil erat inter inſidias, & perſecutiones quietum. Memorabile uero quod ſcribit diuus Hieronymus: Legem iam olim à Romanis latam fuiſſe, quæ iubebat minime dimitti Chriſtianos, qui ſemel ad eorum iudiciũ eſſent pertracti, qua cauſſa & Apollonius, Romanæ urbis Senator, ſub Commodo principe (tot annis poſt Petrum) à ſeruo ſuo, quod Chriſtianus eſſet, proditus, quanquam inſigni uolumine in Senatu lecto, fidei ſuæ rationem reddidiſſet, tamen huius ſententia capite truncatus eſt. Putamús ne, aut loci aut refugij multum, eius temporis epiſcopum habuiſſe, ſi uirum illum Senatoria dignitate conſpicuum, quemq; & urbis fauor & ordinis, ſuorum odio eximere debebat, nec ciuitas nec dignitas

gnitas tutata eſt, quin ei ob ſectam cui ſe deuouerat moriendum eſſet? Arbitror autem notum omnibus ex omni triginta epiſcoporum ſucceßione, quæ à Petro & Paulo uſque ad Syluestrum & Conſtantinum imperatorem annorum minimũ trecentorum ſpacio deducitur, nullum fuiſſe de quo, Lege illa obtinente, ſupplicium ſumptum non ſit. Iam in Gallijs, ut libro quinto tradit Euſebius, apud Lugdunum & Viennam, Antonino Vero imperãte, circiter Photini tempora, cui Irenæus ſucceßit, Chriſtianis interdictum fuit, ne ullis domibus habitarent, ne balneas ingrederẽtur, ne prodirent in publicum, ne publico priuató ue loco conſpicerentur. Qua prope incredibili ſæuitia magna pars noſtrorum latebras & ſpecus inhabitare compulſa eſt. Cui autem uероſimile fiat, mitius habuiſſe in ipſa urbe tyrannorum alumna, illo ſæculo Chriſti cultores, quàm in Prouincia habuerint? Proinde admirari me fateor, quorundã inaduertentiam, qui parum expẽſis temporibus, primis illis eccleſiæ Romanæ epiſcopis, templorum extructiones, poſſeßiones agrorum, & neſcio quæ munera per urbem uelut ſuam, Chriſtianis diſtributa affingũt. Quaſi uero credere opus habeamus, hoc eis permiſſum, tanta indignitate tractatis, & communi totius ciuitatis Ethnicorum odio contemptis, ut ne prodire quidem, ceu dixi, plerunq; auderent, & benigne ſecum agi tum cre

derent, quùm intermiſsis perſecutionibus, in urbe tolerarentur. Ipſe Tertullianus uetus author, & qui ſub Imp. Pertinace multo tempore Romæ fuit, palàm innuit, ne ſuo quidem tempore alia templa Chriſtianis fuiſſe, quàm ſimplices domos in quibus ſtatis diebus fideles congregabantur. Conuiuia etiam, & Cœnam illam ſacram pro ueteri more celebrantes, aliaq; id genus quæ publicæ diſciplinæ erant, exercentes. De qua re ipſe 39. capite Apologetici diſſeruit. Neque uero hæc affero, quaſi aut uſum damnem templorũ, quem longe optimum duco, aut illorum opinionem ſequar, qui ſomniant eccleſiam non poſſe conſiſtere niſi & perſecutio conſiſtat & ſæuiat. Sed magis ut hiſtoriæ ſua fides illæſa ſeruetur, quam pleriq; adulandi magis quàm ueri prodendi ſtudio aut fucant, aut interuertunt. Cuperem autem ſacrorum antiſtites, memoria tantarum rerum humiliari, non efferri: & ſimul admoneri officij, ut & gregem paſcerent Chriſti ſanguine redemptum, & doctrinam quam ſic retinuerunt apoſtoli, ut ſanguine etiam fuſo obſignarẽt, tam æſtimarẽt magno, quàm magnus ille eſt, qui eius ædendæ fuit author.

Actorũ. 20. 1. Petri. 5.

AEOLIS, TROAS.

A Phocea maritima urbe Aeolidis initiũ, Ionia digreſsis ſumitur. Prima eius ciuitas Elea, dein Pitana Arceſilæ Academici patria, clariſsima

Aeolica-

Aeolicarum, iuxta flumen Caiſtrus è Myſia ueniens, Pitanam inter & Eleam Aegeum ingreditur. Pomponius primo libro Aeoliam ante, Myſiam dictã fuiſſe ait, & Troada connumerat. Erunt igitur fines Aeolidis, ab occaſu Helleſpontus & Aegeum mare, contra Lesbon inſulam, ab Auſtro Ionia ante dicta, à Septentrione Phrygia. Oppidorum celebrium, præcipuum eſt, Adramyttium, cuius Conuentus quondam, Adramyttenus dictus. Et Adramyttina illa nauis in Lucæ Actis cap. 27. cui primum uinctus Apoſtolus à Iulio Centurione Romam nauigaturo, impoſitus fuit. Inde Antandrum, Scepſis, & in littorum flexu poſita Aſſus, Aetolorum colonia, & aliquando Apollonia dicta, cuius Lucas Act. 20. ad hunc modũ meminit: Nos autem cõſcenſa naui ſoluimus Aſſon, inde excepturi Paulum, ſic enim ordinauerat ipſe, per terram iter facturus &c. Haud procul Aſſo, promõtorium Lectum attollitur Aeolin & Troada diſterminans, Plinio. Inde Troas oppidum, colonia Romana, & apoſtoli etiã ætate Alexandria dictum, proximum Helleſponto & Tenedo inſulæ in ipſis Helleſponti faucibus iacenti, atque hinc Lecto, illinc Sigeo promontorio ſepta. Eius Lucas meminit Actorũ. 16. Cum autem pertranſiſſent Myſiam, deſcenderunt Troadem. Et iterum: Cum ſoluiſſemus, inquit, à Troade, recto curſu uenimus Samothracem &c. Quanquam prior locus de

Adramyttium.

Aſſos.

Troas. [illegible] Asiæ maxima. eadem Antigonia dicta. Plinius li. 5. na. hi. ca. 30. [illegible] fit mentio. 2. Corin. 2.

regione accipi poteſt in quam è Myſia Paulus deſcenderit. Eſt enim Troas & urbis nomen iam dictæ & regiunculæ cui Phrygia ſuperfunditur. Cōmodiſſima autem eſt è Troadis portu in Thraciam & Macedoniam nauigatio. Meminit eius urbis & ipſe Paulus ſecunda ad Timotheum 4. cum ait: Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, cū uenies apporta &c. Hæc eſt Troas, ad quam Apoſtolus poſtremo peragrata Græcia & Macedonia appulit, ſeptem diebus in ea moratus, Act. 20. Qua & panem noctu facta congregatione, cum fratribus fregit, & deguſtauit, diu collocutus, ſermoneq; uſque ad diluculum protracto. Quem locum plerique ſuæ opinioni accommodātes, Panem fregiſſe tantum, hoc eſt, alteram Euchariſtiæ partem diſtribuiſſe Apoſtolum contendunt. Non uidentes Euchariſtiæ ſeu Cœnæ dominicæ celebrationem, in ſcriptura, panis fractione ſignificari. Quod hoc tamen uel uno loco Apoſtoli clariſſime conuincitur. Iam enim Corinthi fuerat Paulus, & epiſtolam ſuam ad Corinthios priorem iam antea ex Epheſo miſerat, in qua eum ſe uſum eccleſiæ illi de Cœna dominica tradidiſſe teſtatur, quem non ipſe cōſilio aliquo inſtituiſſet, ſed quem accepiſſet à domino. Nimirum, 1. Corin. 11. *ut congregati de pane ederēt & biberent de poculo, hoc modo Chrſti mortem qua eſſent redempti, annunciaturi, donec ille olim è cœleſtibus mundum iudicaturus*

turus rediret. Putandúm ne igitur aliter Paulũ Troade myſteria Cœnæ peregiſſe quàm peregit Corinthi? aut diuerſum Troianis tradidiſſe ab illo, quod tanta cum aſſeueratione ſe à domino accepiſſe affirmat? Præcipue quod 1. Corinth.10. Corinthios ab idolorũ cultu & communione dehortatus myſteriorum eos Euchariſtiæ ita admonet, ut euidenter pateat, Apoſtolum ſacramenti illius inſtitutione non corporis modo dati, ſed & fuſi pro nobis ſanguinis memoriã Eccleſijs proponere ſolitũ fuiſſe, quo certius redẽptionis ſuæ uelut teſſeram quandam reciperet, & in animum reuocaret, ita nos in corpus unum compactos per fidem, ut merito nullius alius membra eſſe poſſemus quàm eius, cuius caput Chriſtus eſt. Non autem corporis gentium cuius caput dæmon eſt. Inde hæc illius uerba ſunt: Poculum benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Chriſti eſt? quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus. Ergo ſi unum corpus, horum membra non erimus qui extra hoc corpus ſunt. Illi autem corpori, Paulo teſte, & corporis & ſanguinis, panis & calicis communicatio attribuitur. Video quidem doctos uiros hodie de partibus ſeorſum exhibendis uehemẽter digladiari, & uſum eius rei ueterem fuiſſe audio quidem aſſeri, tamen nõ niſi recentẽ, &, ni fallor, à ter-

tio quartó ue ſæculo citra, introductum inuenio, cum conſtet interim plus nongentis annis non Orientalem modo (quæ uſum eum nunquam intermiſit) ſed Occiduam etiam Eccleſiam, integro ſacramento, ut eſt à Chriſto inſtitutum, ſine diſcrimine uti fuiſſe ſolitam. Nam & CAROLI magni ætas hūc morem tenuit. Et teſtantur acta ſynodorum quarundam à morte Caroli Germanicarum, quibus & Romani presbyteri interfuerunt, indiuiſam eo tempore Euchariſtiæ communionem fuiſſe, neque ullum, quod ſciam, ueterum aut mediæ ætatis interpretum uidiſſe me recordor (qui tamen nonnullos uidi) qui diuiduæ Euchariſtiæ ullam rationem præſcripſerit. Quod fieri tamen non potuiſſet ſi ea de re quicquam fuiſſet illis ſæculis ab Eccleſia definitum. Accedit his quod tot ueterum & recentiorum conſtitutionū & decretorum compilator Gratianus in ſuis illis Canonū Pandectis, nuſquam ullius partis ſacræ cœnæ, ſeorſim Laicis datæ, ac ne moris quidem illius in totum ſæculi uſque meminit, ſed ubique unius ſacramenti, duobus ſignis inſtituti mentionem facit. Idem & apud Lombardū uidere eſt æqualem Gratiani, qui lib. ſentent. 4. multis diſtinctionibus de ſacramento Euchariſtiæ curioſe omnia excutiens, nuſquam cœnam diuidit, nec aliud Laicis, aliud ſacerdotibus quod ſumant præſcribit. Sed ſimpliciter duplicem manducationem facit corporis &

ſan=

ſanguinis Chriſti, uidelicet ſpiritualem & ſacramentalem. Et in ſacramentali quidem perpetuo panem & calicem, ſiue, quod idem eſt, corpus & ſanguinẽ complectitur. Floruerunt hi duo uiri ſub Imperatore Friderìcho primo, clariſſimo Sueuici ſanguinis duce, annis abhinc trecentis ſexaginta, ex quo primum tempore Ius ſcriptum, quod Canonicũ uocant, & Theologia quæ Scholaſtica dicitur, in orbem Chriſtianum emerſerunt. Nec me latet quid Gerſon in ſynodo Conſtantienſi ſenſerit, & quid libri eius de hac re ſcripti præferant, ſed fateor ingenue, me non uidere, quibus aut ſcripturæ aut idoneorum interpretum duntaxat eorum qui ante Lombardum uixerunt, locis teſtimonijs ue defendi poſſit, quod ille uir alioqui nec indoctus nec impius tanta ſecuritate aſſeruit. Nec uacat in præſentia hanc rem ad plenum excutere, & ſi uacaret, tamen operæprecium non eſſet, cum nuper hæc materia abunde à diſertiſſimis uiris locupletiſſime diſputata ſit. Illud conſtat arbitrante Baſilienſe ſynodo, non expectata Gerſonis opinione, Euchariſtiæ uſum ſub utraque (ut uocant) ſpecie, Boiohemis ut pium & ſacræ ſcripturæ accommodum, fuiſſe traditum. Ac ne quis ſuſpicari poſſet ex neceſſitate permiſſum eis quod alijs nõ liceret, cõceptis etiã uerbis res acta eſt, uidelicet quod authoritate domini noſtri Ieſu Chriſti & Eccleſiæ ueræ ſpõſæ ſuæ hoc modo ſumpta Eucha

riſtia Bohemis ſit licita, & digne ſumentibus utilis ac ſalutaris. Sed hæc nunc omittimus ad Troadem reuertentes, ſupra quam remotius à mari Gargara fuere, ab Aßijs conditum oppidum, & mons Ida, iuxtaq; Ilium illud Troiani belli memoria celeberrimũ. Fuit & Gergythos à quo Gergythiæ Sibyllæ nomen eſt, in Marpeßo uico nõ longe à Gergytho natæ. Quanquam apud Lactantium Marineſſo habuere uiciata exemplaria, quod ab Hermolao eſt annotatum. Hinc iacet Helleſpontus & tractus reliquus in Bithyniam uergens, quem mox paulò in Phrygia referemus.

LYDIA, QVAE ET MOEONIA.

MEditerranea eſt Lydiæ regio, ab auſtro Mæandrum aliquouſque, dein Cariam, ab ortu Phrygiam Galaticis gentibus confinem, à Septentrione Myſiam, ab occaſu Ioniam & Aeoliam attingẽs, Plinio. Cultißima hæc Aſiæ portio fuit, & Herodoto in primis memorata propter Crœſi regnum, qui ab Haly Paphlagoniæ fluuio, uſque ad Propontida & Aegeum mare, quicquid intra Taurum eſt, tenuit, tanta proſperitate & affluentia rerum, ut de ſumma ſibi felicitate perſuadere fuerit auſus. Et Soloni ſapienti etiam ſuccenſuerit quod beatum eum, niſi cognito exitu, fateri nollet. Verum à Cyro Perſarum rege captus & pyræ impoſitus qua cremaretur,

tur, uera dixiſſe Solonem faſſus eſt. Vnde illud Ouidianum ſumptum ex Herodoto:

Sed ſcilicet ultima ſemper
Expectanda dies homini eſt, diciq; beatus
Ante obitum nemo, ſupremaq; funera debet.

Quidius li. 3. Metamor.

Victore igitur Cyro illo qui & Iudæos Babylone in Palæſtinam regredi paſſus eſt, ad Perſas Lydorũ regnũ deuenit, cum annos circiter ducẽtos quinquaginta duraſſet. M. T. Cicero in oratione pro Pompeio, de hac maxime Aſiæ parte intellexiſſe uidetur, quum inquit: Aſia tam optima eſt & fertilis, ut & ubertate agrorum, & uarietate fructuum, & magnitudine paſtionum, & multitudine earum rerum quæ exportantur facile omnibus terris antecellat. Inde luxus ille Aſiaticus memoratus ſcriptoribus, quem Romani ut admiſerunt perinde atque ſuaui & blandiente Syrenum cantu, obſopiti euerſiq; ſunt, & urbs illa gentiũ domina, quam & domeſtica & militaris uirtus euexerat, Aſiaticis opibus delibuta, repente mutatis moribus, uitijsq; admiſsis ſeipſam oppreſsit. Caput Lydiæ quondam fuere Sardes, antea Hydæ dictæ, ad Caiſtrum amnem, haud ita procul Tmolo monte. Quas, quia Crœſi regia erat, cinctas obſidione & expugnatas fuiſſe à Cyro, libro primo ſcripſit Herodotus. Romani & conuentum Sardibus tribuerunt, qui Sardianus dictus eſt, Plinio. Magnam uero urbẽ & cele

2. Chro. 36. Esre. 1.

De Sardibus vide Strabonem li. 13. Plinium li. 5. na. hi. ca. 28. ad quarum eccleſiam Ioannes Apoſtolus ſcripſit. Apoca. 1. 2. 3.

brem fuiſſe Strabo indicat. Hæ ſunt Sardes quarum eccleſiam inter ſeptem illas Aſiæ præcipuas Ioannes Apocalyp.3. *cēſuit.*Meminit *&* Hieronymus Methodij *Sardenſis epiſcopi, ut qui amœno & declamatorio ingenio fuerit.* Proxime Sardeis, Catacecaumena *regio multorum millium ſpacio diffunditur, ſolo cinericio & exuſto ſimili, cui præter uitem nulla arbor colitur.* Strabo *uinum eius adeò nobile eſſe tradit, ut nulli cedat. Sūt ſanè paßim in Aſia rupes atræ, & ſimilimæ aduſtis, inter quas & meatus montium & cauernæ extāt, adeò uenenato ſpiritu, ut ſi certi generis animalia adhibeas repente moriantur: ſubtus eo modo tepores alente natura. Eſt &* Philadelphia Lydorum *urbs clarißima, quam proxime tempora* Pauli *terræmotus afflixit, commune Aſiæ malū.* Cuius non *obſcuræ cauſſæ ſunt, quemadmodū & aduſtionum, quarū præcipui ex noſtris* Seneca, Plinius, *&* Albertus *meminerunt.*Notior *autē* Philadelphena *Eccleſia quàm & referre ſit opus.*A Philadelphia *uerſus occaſum æſtiuum,* Thyatira *iacēt.Hermi amnis ripis impoſita, à pleriſq; autē* Phrygiæ *attributa, quæ &* Semiramis *aliquando &* Pelopia *dicta eſt.* Hinc Lydia *illa fuit purpuraria, liberalitate in* Paulum *& ſuos, nota,* A*ctorum* 16. *Strabo ultimam eam* Myſorum *facit, ſedemq; fuiſſe ait* Macedonum, *qui* Myſomacedones *de* Gentium *coitu appellati ſunt.* Nota *eſt ex*

Plinio

Plinio Thyatirena iuriſditio Romanorum, longe no Apoc. 1. 2.
tior eccleſia Thyatirena Chriſtianorũ inter ſeptem
Eccleſias Ioãni numerata, quarum ſupra meminimus.
Pactolum amnem celeberrimũ Tmolus fundit, Chryſorhoam aliquando dictum Græcis, quod aurũ ueheret. Iuxta quem ſita Magneſia ad Sipylum cognominata, cuius etiam regio Magneſia dicta eſt. Sipylus quondam & Tantalis claræ, ſed abſorptæ terræmotibus, ut author eſt libro ſecundo Plinius. Ionum amnes, Caiſtrus & Hermus ſuam originem Lydiæ debẽt, nec ingrati in parentem rigant terras & fœcundant, ſicut & Pactolus, quem tamen Strabo ait ſua ætate aurũ ferre deſijſſe, antea tot ſæculis hoc ſolo nomine celebratum. Vt iam conſtet nec amnibus id munus durare ſemper, ſicut nec mõtibus, ex quorum tamen fodinis ingens prouẽtus Aſiaticis regibus fuit, auctis uidelicet in immenſum opibus ceu lib. 14. innuit Strabo. Cui uero ualde mirũ ſit, deſtitui auri uenis amnes & montes? qui cogitat hoc quoque efficere naturam, ut in totum & montes ſubſidant, & amnium curſus intercidant. Siquidẽ aliquot Phrygiæ fluminũ, quæ Homerus celebrauit, nulla amplius ueſtigia cerni, C. Plinius prodidit. Mons Tmolus omniũ Aſiæ clariſſimus, ueteribus accolis etiam Myſos, qui colerent, admiſit, unde Myſotmolitæ poſtea dicti accolæ, quorum pars fuere Philadelpheni, & trans Hermũ ſummoti Thyatireni.

SVnt Authores, inquit Plinius, trãſiſſe ex Europa Myſos, Phrygas, & Thynos, à quibus appellentur Myſi, Phryges & Bithyni: unde mox terris data nomina fuerint Myſiæ, Phrygiæ, Bithyniæ. De Myſis & Phrygibus ſimul, de Bithynis ſeorſum dicemus. Sunt enim Myſorum cum Phrygibus ferè cõfuſi apud authores, limites, tametſi aliquò tenus etiam diſcernuntur. Duplicem enim Phrygiam faciunt, maiorem inter Galatiã & Lydiam longo flexu incedentẽ, donec ad Pãphilios, Lycios et Cares pertingat, cuius urbes præcipuæ Ancyra, Synnada, Apamia, Hierapolis, Cybira. Minorem Troadi ſuperiectam, & ad Galatas uſque ingredientem, ab Auſtro Myſia maiore, à Borea Bithynia finitam. Rurſum & Myſiam bipartiuntur, Minorem à Bithyniæ finibus in Propontida flexam citra Pruſam quæ iuxta Olympum eſt, in qua mons ipſe ſit Olympus, & maritimæ urbes, Zyzicum, Parium, Lampſacum, Straboni, Plinio, Ptolemæo. Maiorem ab Auſtro ſupra ſinum Adramyteũ, in qua Scepſis regio & Paleſcepſis, iuxta Antandrũ littoralem urbem, contineantur. Teutraniam quoque regiunculam, cuius urbs Pergamus eſt, in Myſia ſtatuerunt. Helleſpõto interim Abydum & Dardanum tribuẽtes. Verũ has partes Phrygiæ nomen nõ confundit modo, ſed etiam amplectitur. Ordiemur igitur ab Helleſpõto, & inde ad ortum meridiemq; inſigniora duntaxat

duntaxat loca indicaturi, flectemus. Infra Sigæũ promontorium à Troade iam nunc memorata Abydos iacet, contra Seſton Europæ oppidum, ut Martianus libro ſexto: Hic, inquit, duæ ciuitates, quarum una Seſtos Europæ, altera Abydos Aſiæ. Vtranq; notã fecere literæ Leandri fato. Inde contra Callipolim Europæ, ſita uetus urbs Lampſacus, memorabilis conuentu contra Eudoxium & Accatium Arrianæ factionis principes, habito, quanquam nullo ſucceſſu, propter Valentem Cæſ. qui Arrianos tuebatur, & reſciſsis ſynodalibus actis, orthodoxos dãnabat exilio, ceu in Valentiniano Paulus diaconus ſcripſit. Huius urbis ciuis fuit Anaximenes orator, præceptor Alexandri, ille qui Lampſacum periclitantem uaferrimo reſponſo, ſeruauit. Alexander enim excidium Lampſacenis interminatus, ut uidit Anaximenem legatione ad ſe miſſum, primum præceptorem, dein & eloquentia ſuſpectum, ſancte iurauit, nihil ſe facturum quod peteret. Tum Anaximenes: Rogo te, inquit, Alexander ut Lampſacum diripias. Authore libro ſeptimo Valerio. A Lampſaco, Parium ~~est marmore~~ quondam nobile, & proximum iam Bithyniæ Zyzicum à Mileſijs conditum, cuius epiſcopus Eunonius ille fuit hæreticus, qui per omnia diſsimilem patri filium eſſe affirmabat, & factum creatumq; aſſerebat: quo nomine demum urbe pulſus in Cappadocia exulauit. Inde

ra. 3. de vafre dictis aut factis. memoria Va zidis.

eſt Rindacus amnis, ante Lycus dictus, uoce multis amnibus cõmuni, quam tamen impoſitã eſſe à cauſſa conſtet, quod aut impetu undarum, aut auctu, ripas infeſtent & mordeant, aut (ut Rhenus noſter aſſolet) frequenter mutent alueum. Græcis enim λύκος lupus dicitur, animal natura uorax, unde & piſcem noxiæ uoracitatis lupum dicimus, cuius frequens apud Pliniũ mentio. A Rindaco finis eſt Myſiæ, & Bithyniæ initiũ, Plinio. Altera Myſia quæ adiacet Aegeo, Scepſin habet celeberrimã quondam ciuitatem, à qua Scepſij, & Pergamum Attali regiã, qui regnũ Pop. Romano teſtamento reliquit. Pergamus Sileno fluuio finditur, alluitur autem Cæcio quem mons Pindaſus ædit, Plinio. Eius fuit Pergamena iuriſditio, de qua idem Plinius, & Pergamena eccleſia, de qua eſt apud *Apoca. ca. 1. 2.* Ioannẽ. Sed & charta Pergamena, quæ hodieq; à loco eo ubi inuẽta eſt nomen retinet. Strabo decimotertio libro, Pergamũ deſcribens palàm innuit inter clariſsimas eam Aſiæ ciuitates habitam, ſed tum maxime potentem fuiſſe, quum in Aſia rerum Attalus ſupra memoratus potïretur. Habuit & bibliothecam cum Alexandrina certantem, & Galenum nobis medicũ genuit ſub Traiano Romæ ob artis præſtantiã ſummo in honore habitum. Intus Ancyna iacet, & Synnada, cuius Synnadenſis Conuentus olim, & Synnadici marmoris celebritas, & noſtris Parœcia Synnadenſis

denſis

denſis dicta, nobili epiſcopatu. Nec prætereundum, hoc maxime tractu ubi Synnada eſt Phrygiā aliquan do Pacatianam cognominatam fuiſſe, uſque ad Cariæ confinia, ubi & Carophryges dicti coitu gentium, ut Gallogræci in Galatia, & Syrocilices ad mon= Amanum. Vltra Synnadam in Auſtrum, Philomeli= um eſt, montanis appoſitum, quæ gentem Galaticam & Piſidas à Phrygibus diſterminant, meminit oppi= di Ptolemæus & Strabo, cuius incolæ Philomelienſes dicti Plinio. Inde Pelta eſt, dein iuxta Mæādri ortum, quondam Cilenæ. Vetuſtiſsimi reges Pacatianæ Phry gyæ, memorantur, Gordius, Mydas, Marſias. Hinc in Cariam immittēs Phrygia, haud longè Laodicea, Hie rapolim ambit clariſsimā urbem, impoſitam amni Ly co, iuxta quam & Coloſſæ iacent, itidem in Phrygia Coloßæ. cenſæ, Plinio: unde Coloſſenſes dicti, Pauli epiſtola ce lebres, qua & Iudaiſmo fiduciam, & Paganiſmo ſu= percilium detraxit. Vtrinq; enim Euangelicæ doctri= næ puritas, ſubinde alijs atque alijs perſuaſionibus ui ciata, laborabat. Erant ex ethnicis docti uiri ad Chri= ſtum conuerſi, qui arrepta miniſterij functione, cum eloquētia ualerent, philoſophiæ itidem dogmata in= ſyncera, de Deo, de aſtris, de fato, de uirtute, de ratio nis præcellētia & ſubtilitate, ex porticu fortaßis aut Academia petita, ingerebant. Quippe in illis perdi ſcendis erant educati, & fides pro modulo data con=

ceptam à teneris perſuaſionem nondum elimauerat. Neophyti igitur è ciſternis hauriebant, ſed quod puriſsimis ſanæ doctrinæ fontibus ſuffunderent. Contra, qui ex circumciſione crediderunt, fauebant legi, pariter à teneris imbibitæ, nec deſinebant ceu iuſſam à Deo, & ad ſalutem attinentem ſimplicium animis inculcare. Proinde Apoſtolus certo ſciẽs, nec in ratione hominis aut uirtute, neque in Lege & eius iuſtitia quicquam eſſe quod ad ſalutem faciat, ſed plenitudinem iuſtitiæ eſſe in Chriſto, per quem credentibus donata ſit redemptio, Coloſſarum eccleſiam admonet, ut neque his, neque illis aurem præbeant, palàm teſtatus tam philoſophia quàm Lege, candorem Euangelij ſubuerti. Sed in Chriſto fixas radices teneant, quemadmodum eſſent illũ ab Epaphra edocti. Vtinam & nos in poſtremis illis temporibus, hanc eximiam doctrinam ſic fuiſſemus ſecuti, ut, Paulo inhortante, nec Iudæos audiſſemus operũ fabricatores, nec Ethnicos admiſiſſemus argutiarum magiſtros. Hoc uno enim præſidio declinare licuiſſet flagrantiſsimum iſtud belli incendium, quod Euangelio etiamnum aduerſum carnis iuſtitiam & prudentiam geritur. Atque hæc quidẽ de Coloſsis. Proxime Hierapolim Themiſoniũ eſt celebre oppidum, dehinc Mæandri ripis impoſita urbs Apamea non Conuentu modo inter Aſiaticos præcipuo quondam, ſed & Chriſti profeſsione celeberrima

Acto. 15.

Colo. 2.
Colo. 1.

berrima,et prius Celenæ dicta,unde & Celenios montes à Ptolemæo dictos uideri queat, in quibus Mæander oritur.De Celenis Liuius libro 8.belli Macedonici,Celenæ,inquit,urbs caput quondam Phrygiæ fuit. Migratũ inde haud procul ueteribus Celenis,nouæq; urbi Apameæ nomen inditum ab Apamea ſorore Seleuci regis,& Marſyas amnis haud procul à Mæãdri fontibus oriens,in Mæandrum cadit.Famaq; ita tenet haud procul Marſyam cum Apolline tibiarum cantu certaſſe.Mæander ex arce ſumma Celenarum ortus, media urbe diſcurrens per Caras primum,dein Ionas in ſinum maris egreditur, quod inter Prienen & Miletũ eſt.Hactenus Liuius.Curtius tertio libro nõ Mæandrum ſed Marſyam fluuium intermeare Apameam dixit,eundẽ & Lycum nominans. Plinius certe quinto libro tribus amnibus in Mæandrum exeũtibus circunfundi Apameã ſcribit,uidelicet Marſya,Obrima, Orga. Eſt & in Syria Apamea ſicut & Hierapolis, quarum nihil minus frequẽtes quondam eccleſiæ fuere.Quanquam Hierapolim Phrygiarum urbium maxima,alij in Caria,nõ nulli in Lydia, tertij in Lycaonia Phrygiæ ſtatuere, manifeſta uariationis cauſſa, quod in horum tractuum confinijs iacere ipſam conſtet.Præterea quod lib. 13. Strabo docet,Phrygiæ & Cariæ,ſed & Myſiæ loca difficulter inter ſe diſcerni queant,ob mutatas gentium ſedes,ut ante quoque di-

ctum eſt. Hæc eſt Hierapolis quæ Philippum apoſtolum, cum filiabus Syria digreſſum excepit, aluit, condidit. De qua re Polycrates Epheſi epiſcopus epiſtola quadã ad Victorem urbis Romæ teſtatus eſt. Cui uacat eius partem in Hieronymi catalogo, ubi de Polycrate mentio eſt, legat. Memoratur & Papias præſul Hierapolitanus eidem Hieronymo. Eius fertur dogma fuiße Mille annorũ, quibus Dominus cũ ſanctis poſt reſurrectionẽ eſſet in carne regnaturus, quod poſtea Apollinarius, Irenæus, Tertullianus, Victorinus & Lactãtius ſunt ſequuti. Obiter monẽdus Lector, aliã eſſe Hierapolim in Aſia, ab hac noſtra Hierapoli, & ab illa Hieropolitanos, ab hac Hierapolitanos dici. Sita autem eſt Hieropolis in Aeolide, haud procul Thyatiris, quam Ptolemæus Hierocæſaream uocat, ut annotauit Hermolaus. Ad Hierapolim Phrygiam aquas eſſe calidas refert Strabo, quæ ipſo profluuio, lapideſcant, & in toffum indurentur, quales hodie & in Carpathijs Sarmatiæ conuallibus monſtrãtur. Præterea & ſpecus extare, halitu noxio, quos uidiſſe ſe idem author & paſſeres immiſiſſe ait, illico exanimatos uenenoſo ſpiritu, qui tamen hominem minus infeſtet. Plinius libro 2. ſolis ſacerdotibus eum halitum innoxium exiſtimat, & fortaßis ita gẽtibus eius agri tum fuit ob Numinis reuerentiã perſuaſum. Eſt enim "ſuperſtitioni. *cognatum religioni uitium, ut fabuloſis interdum*

&

& commenticijs rebus admirationem ſui ambiat.

BITHYNIA.

Bithyniam longe optimam & ſplendidiſſimam prouinciam, à Nicomede illo qui Iulium Cæſarem educauit, Populo Romano teſtamento relictã, duo maria alluũt, ab Occaſu Propontis, à Septentrione Euxinus põtus. Quâ introrſum abit, ab Auſtro Myſia & Phrygia, ab ortu Galatia & Paphlagonia finiunt. Porrò uariare ſcriptores in Bithynico limite orientali, maxime marittimo, ſupra in Paphlagonia oſtendimus. Turcæ eam regionẽ hodie Natoliam uocãt. Ex oppidis ~~inſigniora~~ ferũtur, Pruſa ad Olympũ dicta, & alia quæ ad Hippum cognominatur. Porrò Hippus amnis eſt Ptolemæo, Plinio uero mons. Olympicam illam conditam ab Hannibale libro 12. Strabo tradit, quum poſt deuictum à Romanis Antiochum Pruſias eum rex hoſpitio excepiſſet. Tumulus eius Plinij ætate eo loco monſtratus eſt, quo antea Lybiſſa ſteterat. Ceterũ in ora Propontidis Apamia eſt colonia: & præcipue inter Bithynicas clara Nicomedia, in ſinu qui ab Aſtaco urbe Aſtacenus cognominatus eſt, poſita. Habuit hæc epiſcopum Euſebium doctum uirum, ſed Arrij dogmate ſuſpectũ, illum ſcilicet à quo Iulianus Bizantij natus à teneris eſt in fide noſtra inſtitutus, poſtea ſeductus à Lybanio, qui animũ eius falſa deorum perſuaſione dementauerat. Glorioſior

inſigniora

Euſebio Authimus fuit uir magnus, qui cum doctrina pietatem coniunxerat, capite plexum præſente Diocletiano, & Martyrem factum uetus hiſtoria aſſerit, Martyres autem Græcis eccleſijs, hoc eſt, teſtes dicebantur, qui (ut Ammianus ait) ad negandum Chriſtum & ſinendam religionem compulſi, pœnas cruciatusq́; pertuliſſent, ad glorioſam mortẽ intemerata fide progreßi. Profecto maius ulli rei teſtimonium præſtari nequit, quàm quod cum mortis optione coniungitur. Nicomediæ Lactantius rhetoricam profeſſus, mox diſcipulorum penuria ob Græcam uidelicet ciuitatem, ſub Conſtantino ad ſcribendum ſe contulit. Sed dolendum tamen tot præclara uolumina eius intercidiſſe, quorum ordine Hieronymus meminit. Non minus clara Chalcedon eſt cõtra Conſtãtinopolim ſita clarißimo hodie Emporio, & Galata dicta accolis, à Bizantio, interflua Boſphori parte, ſeptem ſtadiorum ſpacio diuiſa. Celebris eſt noſtris ob ſynodum Chalcedonenſem, quæ inter præcipuas numeratur. Quanquam haud raro in ea urbe per Arrianorũ dißidia cõgreſſum, conſultatum, & diſceptatum eſt. Nec tacenda hoc loco Maretis Chalcedonen. epiſcopi laus, qui quum grauante ſenio, uiſu & corpuſculo adeò languido eſſet, ut manu præeuntis regeretur, die autem quadam obambulans, Iulianum iam idolis ſacrificantem, obuiam habuiſſet, palàm & in faciem,

ut

ut impium & apoſtatam reprehendit. Contra uero Iuliano cæcitatem ei acerbe opprobranti, ut quam ne Deus quidem illius Gallilæus ſanare poſſet, liberrime reſpondit ſe Deo ſuo gratias agere de cæcitate qua principem tam impium intueri ſibi eſſet negatum: meminit facti libro undecimo Eutropius. Nūc ad alia pergendum. Cios extra Boſphorum in Euxino ſita, quæ & Pruſias aliquando dicta eſt, diuerſa à Tio Paphlagonum ſeu Mariandinorū eodem littore, Pruſam autem ad Hippium, Burſam inuerſis & mutatis literis poſteriores uocarunt, Turcis etiam celebrem. Poſt quam in ortum Iuliopolis dicta, & item Heraclea iacent, notæ urbes. Contra in Propontidis ora, Pythia, poſtea Sotiropolis dicta ob thermas medicæ ſalubritatis, in quibus lauans Imperator Conſtantinus uenenum pro pharmaco inſcius hauſit. Inde Nicomediam uectus, proxime urbem in publica uilla ab Euſebio Nicomedienſi, extrema primū ſenecta baptizatus ex humanis exceßit. Intus iuxta Aſcanium lacum Nicæa ſpectatur, fertilißimo agro clauſa, & mater urbium Bithyniæ dicta. Conditam ab Antigono Macedone & Antigoniam uocatam, deinde à Lyſimacho de uxoris nomine Nicæam dictam, Strabo eſt author. Ambitus urbis ſtadiorū ſedecim fuit, forma mœnium quadrata, nec pluribus quatuor portis, uicisq; adeò rectis ut ex lapide mediæ urbis quatuor illæ, quaqua

uerſum portæ cerni potuerint. Nemo ignorat ſynodum Nicænam hac urbe, imperante Conſtantino celebratam anno à nato CHRISTO tricenteſimo uiceſimoquarto, primã uidelicet ab eo Conuentu quem Acto. 15. Apoſtoli Hieroſolymis egerant, atque ideo non tam uetuſtate quàm ſanctitate multorum qui interfuerũt, ſacroſanctã. Quanquam illi poſterior ætas adeò non detulit, quin reſcindere pluſcula & nouis conſtitutionibus abolere fuerit auſa. Fatalis, opinor, hæc conciliorum ſors eſt, ut prioribus ſubinde poſteriora, aut inſertiant aliquid, aut detrahant, nõ harum modo rerum quas pro ſuo iure uariant Eccleſiæ, ſed illarum quoque quæ uidebantur Canonica ſcriptura diſerte tradita. Nec finis eius erit incommodi, neq; ullus unquam ſynodorum ſucceſſus admodum felix, niſi demum inter eccleſias cõueniat, Nihil aut recipiendum aut definiendum, quod non euidentibus ſcripturarum oraculis nititur, longe minus ſtatuendũ quod illis eſt aduerſum. Hæc enim, niſi fallor, ſola ratio, & moleſtiam leuare conciliorũ, & publicæ eccleſiarum concordiæ ac tranquillitati ſuccurrere poſſet. Meminiſſe uero oportet, & in Thracia Nicæã fuiſſe, Bithynicæ cognominem, cuius alicubi Socrates Bizantinus meminit. Nicææ Bithynicæ, patrum memoria, epiſcopus fuit Beſſarion, homo natione Græcus, quem ob excellentem eruditionem, & utriuſque linguæ facundiam,

Euge=

Eugenius IIII. tempore ſynodi Baſilienſis in ordinem Cardinalium aſciuit, uirum liberaliſsimum, & cuius domus Romæ inſtar Academiæ fuit ſtudioſis omnibus patens. Id hoc libētius retuli, ut oſtenderem tantillo tempore exacto etiamnum Romæ fuiſſe, primarios presbyterorum, qui Græcis atque adeò Aſiaticis eccleſijs præeſsent, haud quidē Titulo tenus, ſed re ipſa tales, & doctrina, grauitate & eruditione, uel maximis eccleſijs per Græciā digni. Amniū Bithyniæ primæ claritatis Sangaris eſt, qui & Sangarius dicitur, Liuio, Marcellino, cæteris. Deim Rhindacus ex Myſio mōte, qui idem & Olympus dicitur, delapſus, uetus Myſiæ Bithyniæq; ad Propontida terminus. Plinius plures memorat, ſed incelebriores, quorum Lycus Heracleam præfluit, Billæus Tium, ſupra nobis ex Pomponio, Paphlagoniæ attributum, cui & Parthenium aßignat Plinius. Ptolemæus, Bithyniæ tribuit.

INSVLAE MEDITERRAnei præcipuæ.

Reliquum eſt, ut abſoluta partiū orbis continente, nunc & de inſulis dicamus. Harū plurimas & frequēter habitatas, mare habet quod Mediterraneum dicimus. Maximas autem Oceanus. Nos ordine obſeruato prius de his quæ ſunt in Mediterraneo, mox & de illis quas Oceanus ambit, dicemus. Sumemus autem initium à Mœotide, in qua cum ut in

lacu multis locis uadoſo, pluſculæ ſint, tamen non habent cur memorentur, niſi indicare Alopeciam libet non longe à Tanais oſtijs remotam, Straboni, Ptolemæo, atq; item Plinio memoratam. In Euxino aliquot contra Europæ atque Aſiæ littora iacẽt, à Plinio redditæ quinti libri fine, quarum præcipue, Peuce, Danubij oſtijs obiecta, & contra Boſphorum Thracium ſitæ Cyaneæ. In Propontide Proconneſus tantũ habitatur, ut libro ſecũdo tradit Pomponius. Aegeum pelagus, reliquumq; mare quod inter Occiduam oram Aſiæ, Macedonicumq;, Theſſalicum, Atticum, & Peloponnenſe littus interiacet alicubi, & Myrtoum & Icarium et Creticũ & Carpathiũ mare cognominatũ ante alia inſuloſum eſt. Helleſponto autem proxima Tenedos, dein contra Athon Macedoniæ montẽ Lemnos iacet, inter quam & oram Thraciæ quæ Neſſo & Hebro amnibus clauditur, minor quidem Lemno,

Samothrace.

ſed fama quondã celebrior, Samothrace, portuoſiſſima ut ait Plinius, habẽs ab ortu Imbrum inſulam minime obſcuram, ab occaſu Thaſum & ipſam nobilem & fertilem, Samos autẽ primum dicta, & Thracia cognominata uidetur, ad eius Sami quæ Aſiæ obiacet, differentiam. Vnde Maro Aeneid. ſeptimo dixerit, Threiciamq; Samon quæ nũc Samothracia fertur. Plinius author eſt in ea quondã Venerem, Phaëtontem & Poton celebribus ſacris & ſanctiſsimis cerimonijs

coli

coli ſolitos, ut alijs quidem & inſulis & urbibus di-
uerſa numina pro Gentilium uanitate culta obſerua-
taq; legimus. Nobis hoc nomine ſacratior eſt, quod
Paulum Macedoniæ adnauigantem excepit, ut Lucas
Act.20. Cũ ſoluiſſemus, inquit, à Troade, recto curſu
uenimus Samothracen, & poſtero die Neapolim &c.
Erat enim in Continẽte Macedoniæ Neapolis, contra
Thaſum inſulam in littore ſita urbs, cuius ſupra memi
nimus. Ex aduerſo & cõtra Aeoliæ oram Lesbos eſt,
clariſsima inſularũ quæ ſunt ad occiduam Aſiæ fron
tem, quippe non fertilitate ſolum, quæ tamen ei Maca
riæ cognomentum indidit, ſed urbium etiam frequen
tia, & fama clarorum hominum enituit. Obijſſe in ea
urbes aliquot terræmotibus & maris hauſtu indicat
Plinius. Memorãtur ex reliquis Mitylene, Methym-
na, & Ereſſus illa quæ Theophraſtum genuit Ariſto
telis diſcipulum, & in ludo ſucceſſorem, uerecundiſ-
ſime ab ipſo Ariſtotele deſignatum, Lesbij uidelicet
uini cõmẽdatione ut ſuauioris: cuius rei Gellius libro
decimotertio pereleganter meminit. Lucas quoq; de
Mitylene Act.20. Cum autem ueniſſemus Aſſon, rece
pto eo uenimus in Mitylenen, & inde nauigantes ſe-
quenti die uenimus contra Chium, poſtridie uero ap
pulimus Samum, & cõmorati Trogillij, proximo die
uenimus Miletum. Eo enim loco apoſtoli nauigatio-
nem ex Aſſo, Mileton uſque factam breui quidem ſed

Mitylene, insula contra Asiam, q a proximo continenti abest quinquaginta septe millia passuum.

diſtinctiſſima narratione eſt cõplexus. Porrò Lesbus licet proxima Aſſo ſit, tanta tamen longitudine à Septentrione in Auſtrum protenditur, ut octo urbibus Aeoliæ mariltimis reſpondeat. Ea cauſſa factum, ut quoniam ad meridianam inſulæ partem Mitylene & Ereſſus iacent, hac quidem in occaſum, illa in ortum expoſita, temporis aliquid ei profectioni tribuendum fuerit, qua ex Aſſo ad Mitylenen peruenit Paulus, ut obiter Lucæ uerba ad Geographiæ fidẽ explicemus. Nam & Chius, ut idem dixit, ſupra Lesbum eſt Ioniæ uicina, deinde Samos contra Cariæ partem, mox Trogillion ex aduerſo Mileti, poſtremo uicina iam Doricæ peninſulæ & ad finem Aſiaticæ frontis ſita Cos, de qua idem Lucas 21. capite mentionem facit, innuẽs Paulum recta à Mileto Coum ueniſſe, inde Rhodum, dehinc Pataram, tandem in Cyprum. Nos ſummam

Chios.

hanc aliqui Chiam appellavere a Chione nympha Choos. Vide plura de hac insula in Raphaele Volater. li. 9. Ad istam Paulus venit. Acto. 20.

eius nauigationis per partes exponemus. Chios igitur inter Samum & Lesbum ex aduerſo maxime Erythriarum poſita, ut ait Plinius, centum millium paſſuum ambitu cõplectitur, eadem & Chia dicta, monsq; in ea Pelleneus marmore olim quod Chium uocabant celebris. Sed & Chium uinum inter laudatiſſima, Aruiſinum dictum Plinio capite ſeptimo, libri 14. quanquam ~~Aruiſinum~~ in uulgatis libris mendoſe legitur.

Aruisinum

Strabo enim libro decimoquarto Aruiſiam aſperum & importuoſum in Chio locum eſſe ſcribit trecen-

torum

torum ſtadiorum ſpacio, qui uinum fert, Græcanicorum optimum. Noſtri Maruaſinum, & corruptius etiam Malmaſinum uocant, hodie ut Raphaël tradit ex Creta allatū. Item Chia ficus ſaporis acuitate commendata, de qua Martialis:

Chia, ſeni ſimilis Baccho, quam ſeria miſit,
Ipſa merum ſecum portat & ipſa ſalem.

Condiebatur enim ſeriolis, id eſt fictilibus, & in his Romam aduehebatur, ut hodie ad nos ex Hiſpanijs Gallijſq; è iunco textis calathis ferè importātur. Porrò Lucas non ad Chium appuliſſe Apoſtolum, ſed contra Chium ueniſſe ait, ut intelligamus aut ancoris iactis ſe in alto peregiſſe eam noctem, aut ad finitimam aliquā Chio inſulā ueniſſe, quæ in proſpectu Chium haberet. Non paucas enim proximas Chio inſulas nominatim cenſet libro quinto Plinius. Referam & hoc quod Aeneas pontifex in Chij mentione annotandum duxit, Reſinam Chij è Lentiſco manare, quam primo libro Dioſcorides, & libro duodecimo Plinius, Maſtichen ſeu Maſticen uocant, adeò laudatam medicis, ut nec Indica nec Arabica antecedat, neque quæ è Græcia & Ponto aduehitur melior ſit. Vulgo Maſtix dicitur liquor ille, cum μαςίχη tamen Græcis nominādi caſu & exinde Plinio Maſtiche dicatur. Samos Chio et fertilior & clarior eſt, ſita inter Icariam inſulam quæ Icario mari nomen dedit, & oram Aſiæ Samos.

Acto. 20.

insula in Aegeo mari. in qua repta primum fictilia vasa traduntur. Unde et vasa Samia appellata sunt. Ad hanc Paulus quoque appulit. Actorum. 20.

in qua Epheſus & Panionium iacent, Anthemuſa ali quando dicta à floribus, et Parthenia, id eſt uirginea, Stephane, quoniam corollis texẽdis accommoda ſit. Flores enim Samiorũ in prouerbiũ abierũt, uoluptua riæ amœnitatis, & quia fertiliſsima eſset. Lac itidem Gallinaceum ferre dicta eſt. Prædicatur & alumno Pythagora, qui ut libro 14. refert Strabo Polycratem tyrannum exoſus diſcendi gratia ad Chaldæos & Aegyptios abierit. Inde reuerſus cum nihil mitius agi in patria uideret, in Italiam abnauigauit. Videri pote rat & uoluptate perditam deſeruiſſe, nimirum ad di ſcendum natus. Et quod libro 8. Laertius tradit, à Po= lycrate Pythagoram in Aegyptum abeuntem Amaſi

Trogilliũ. *di regi per epiſtolam commendatum fuiſſe. Trogil= lium parua inſula, in ſinum, quem Mela Baſilicum uo cat, inclinat, cognominis autem promontorio Conti= nentis iuxta Prienen urbem ut 14. lib. tradit Strabo. Plinius libro quinto pluratiuo numero Trogilias di= xit eam inſulam, & l. ſimplici, quod & Hermolaus*

Cous. *probat. Lucas gemino protulit, niſi uiciati ſint codi= ces. Cous autem ſiue Cos contra Cariam & illi ſinui obtenta in quo Halicarnaſſus fuit, nobiliſsima inſula dicta Plinio, inter quam & Chion media Samos eſt, ſicut inter Samon & Lesbon Chios, porrò illis Coos nec fertilitate nec fama cedit ingeniorum. Siquidem & Hippocratem genuit principem Medicum Pytha=*

gorę

goræ diſcipulum, & Apellem pictorem incomparabilem, quem ad Perſeum diſcipulum de ſua arte Commentarios ſcripſiſſe, maximus operũ eius præco Plinius ſcripſit. Proinde inter multas Aſiæ laudes, hæc præcipua eſt, quod tot nobis excellentes rei Medicæ & ſcriptores & profeſſores ædidit. Nam & Dioſcorides, cuius libri de herbarũ uſu & effectu, ſeu, ut ipſe inſcripſit, de medicinali materia extant, Cilix fuit ex Anazarbo cuius ante meminimus. Hippocrates autẽ Cous, Galenus è Pergamo Myſiæ Aſiaticæ, Theophraſtus è Lesbo, qui plantarũ hiſtoriam & cauſſas multis libris tractauit. Pythagoras de quo mox diximus, è Samo, quem & ipſum poſt laborioſiſſimas peregrinationes de herbarum naturis ſcripſiſſe, author eſt Plinius. Sanè & Aeſclepiades Aſiaticus fuit è Pruſa Bithyniæ, Mithridatis ætate medicus clariſſimus. Habuit & Coos Aeſculapij templũ uetuſtiſſimi medici, qui artis fauore diuinos honores meruiſſe traditur. Notandum autem & Ceam inſulam eſſe, ſed in Europæ littore proxime Euboëam contra Sunium Atticæ promontorium ſitam, Heraſiſtrati medici & Simonidis poëtæ Melici patriam, de qua libro decimo Strabo: ut ſint tres inſulæ nominibus affines, Chius, à qua Chij, Cos ſeu Coos (utroq; enim modo dicitur) à qua Coi, & Cea à qua Cei dicuntur incolæ, ut & Ceæ ueſtes quas Cea inſula mittebat. Inde & parœmiæ factus

locus eſt, Chius & Cous, de rebus uehementer ſimi-
libus. De qua in Chiliadibus ſuis Eraſmus. Diſcrimen
illud iam dictarum inſularum Hermolaus explicuit,
ſpectatiſſimæ diligentiæ uir, & qui Plinianæ lectioni
propemodum deſperatæ non lucem modo primus, ſed
etiam uitam attulit, ut planè terris effodiſſe tantum
theſaurũ, & ſtudioſis impertijſſe uideri, prædicariq́;
debeat. Hactenus de Aſiæ inſulis occiduis, nunc ad At
ticam oram deflectemus. In ea præcipua inſularum
Euboëa iacet, Atticum & Bœoticum littus propemo
dum totum longitudine æquans, mare anguſtum in-
terfluit, quod & Euripum habet, reciproco curſu no
tum. Inde etiam in inconſtãtes Adagio nato. Vrbium
eius clariſſimæ Chalcis, &, Cariſtio quondam mar-
more nobilitata Cariſtos. Recentiores Nigropontum
uocarunt inſulam hanc, inuaſam, captamq́; à Turcis
imperante Friderycho tertio, Anno à nato Chriſto
M. CCCCLXX. Ab ea meridiẽ uerſus & ortũ,
illæ iacent quæ circum Delon, Cyclades: propius Cre
tam Aſiamq́; Sporades dicuntur, plerunque ſcripto-
ribus ita confuſæ ut Sporadibus quæ ſunt Cycladum,
rurſum autem Cycladibus quæ ſunt Sporadum annu
merentur. Dictæ autem Cyclades, quod circum inſu-
lam Delon, circuli forma ſitæ ſunt, Sporades autem
reliquæ, quia ſparſim & ſine ordine iaceant. Plinius
duodecimo capite quarti libri, Cyclades, inquit, &
Spo-

Sporades ab Oriente, littoribus Icarijs Aſiæ, ab Occidente Myrtois Atticæ, à Septentrione Aegeo mari, à Meridie Cretico & Carpathio mari incluſæ, ducentorum millium paſſuum in longitudinem & per ducenta millia in latitudinem iacent. Nota autem eſt Delos Apollinis & Dianæ fabulis, nec ritibus ſuis caruit de fabula nata ſuperſtitio: in ipſa enim Delo nec parere, nec ſepelire fas erat, ſicut nec canem alere, ut libro 4. Thucydides, & poſt eum Strabo decimo libro, prodidit. Proinde in Rhenæa uicina inſula mortuos Delij ſepeliebãt. Id honoris, puto, Dianæ uirgini tribuebatur. Eſt & Paros illi uicina in qua Parium marmor, cãdore ſpectatum. Et Ios Homeri ſepulchro celebrata ueteribus. Præterea Telos inſula diuerſa à Delo, cuius nobile unguentum erat Telinum cognominatum, Dioſcoridi libro primo. Conficiebatur potiſsimum fœnugræco, addito Calamo & Iunco, odoratis. Plinius 14. libro Telinum unguentum ut laudatiſsimum prædicat. Laudata eſt & Cilicia olim unguentis, præcipue Tarſos quæ Nardino præcelluit. Id ex Omphacino fiebat, additis, Coſto, Amomo, Nardo, Myrrha, & ad excitandum odorem Balſamo. Porrò Nardinum non modo uariabat propter uarias ſpecies eius, ſed etiã rebus adulterabatur uim Nardi præferentibus. Eſt autem Nardus Indica quæ & laudatiſsima, eſt Syriaca, eſt Gallica, eſt Cretica, Plinio li-

bro 12. Indica & folia habet, & in ſpicas exurgit, quorum utriuſq; eximius uſus in unguentis erat. Spicatum etiam dicebatur quod è ſpica eſſet confectum authore Galeno. Foliatum autem dicebant Nardinum, non à Nardi folijs, ſed à Malobathro, quod ſæpiuſcule reliquæ materiæ in Nardino admiſcebatur, Malobathrum autem, nil aliud quàm folium eſt odoratum, in Indiæ paluſtribus ad Lentis modum fluitãs, nec ullis adhærens radicibus, de quo multa apud Dioſcoridem doctus homo Marcellus Florentinus diſſeruit. Dignum autẽ cognitu, quod libro 13. Plinius tradit, uidelicet nouem herbarum ſpecies eſſe quæ Nardum imitentur & adulterent. Vnde intelligimus in
Nardus tanta fraudis materia uſum loquendi obtinuiſſe, ut pi
piſtica. ſtica Nardus diceretur, quæ ſyncera & abſque uicio eſſet, ἀπὸ τῆς πίστεως à fide, & plane ἄδολος, hoc eſt, germana, ut ait Eraſmus, & nulla arte uitiata. Proinde & Hermolaus libro Corollarij primo, πιστικήν, hoc eſt probam & fidelem exponit, & quæ adulterata non ſit, ſicut Marci 14., & Ioannis 12. accipitur. Diuus Hieronymus ſuper 26. cap. Matthæi piſticam plane, ueram & abſq; dolo expoſuit. Vnguentum hoc, præterquam quod odoratiſſimum erat, attenuabat etiam, extergebat humores, diſſipabat, calefaciebat, authore Dioſcoride. Apud Plinium igitur primo capite libri duodecimi, non Delos ſed Telos legendum,

dum, quarti enim libri duodecimo capite Deli pariter & Teli mentione habita, nominatim Telon unguentis nobilem eſſe teſtatur. Iam & Pathmos inter Sporades cenſetur non magna inſula & quæ circuitu triginta millia paſſuum nõ excedit. In qua Ioannem apoſtolum exulaſſe Tertullianus in libro de præſcriptionibus hæreticorum affirmat. Damnauerat eum Domitianus, quo interfecto, quum acta eius Senatus reſcidiſſet, & Nerua Cocceius, pertinax à Hieronymo cognominatus, exilia illius, Edicto ſoluiſſet, incolumis apoſtolus ſuæ Aſiæ eſt reſtitutus. Supra Sporadas, Creta. *Creta, Iouis magni medio iacet inſula Ponto, ut dixit Vergilius. Hodie Candiam uocant, maior eſt quàm Cyprus, minor autem quàm Sicilia & Sardinia, quibus ſolis in toto mediterraneo cedit, interim nobilitate & fertilitate par omnibus. Situs eius orientalior eſt quàm Peloponneſi, intérque Atticam Græciæ & Cyrenaicam Africæ oram media iacet, haud amplius bidui ad alterutram nauigatione. Alluunt maria, ab Occaſu Ionium, ab Ortu Carpathium, à Septẽtrione Aegeum, & ab ea uocatũ Creticum, à Meridie Africanum. Forma eius oblonga, retortis lateribus, & inter æſtiuum ortũ occaſumq; ita porrecta, ut altero faſtigio in Boream, altero in Notum tranſuerſa reclinet, anguſta magis & lõgiſſima eſt ad Orientem, ubi contra Rhodum Sammonio promontorio extollitur,*

ab occaſu retuſior in duo promontoria diſpaleſcit, quorum auſtrinum contra Phycuntem Cyrenaicæ à Græcis κριοῦμέτωπος dictum, quoniam frontem arietis exprimat: alterum obuerſum Peloponneſo Cimarus uocatur Straboni. Sũt & in lateribus promontoria, quorum Auſtrinum potiſsimum Phenice contra Chorum & Africum, arctoum Zephyrium Sporadibus aduerſum Ptolemæo. Plinius quarto libro nuſquam latiorem eſſe quinquaginta millibus paſſuum tradit, cum longa tamen ducentorũ ſeptuaginta millium ſit, quæ ſumma ad calculum reducta large quadraginta milliaria Germanica æquat, nec multo minus apud Ptolemæum ex obſeruata graduum longitudine colligitur. Referendum id duxi quo ſimilius uero fiat, quod magno conſenſu ſcriptorum traditur, centum eam urbibus aliquãdo fuiſſe claram, quarũ circiter quadraginta Plinij ætas nouit, enumeratæ ab ipſo quarti libri duodecimo capite. Extãt hodieq; non paucæ, quarum minimum decem ſuos præſules habent, urbe metropolitana marittima, quæ eo quo & inſula nomine Candia dicitur, fortaſsis à candore deducto nomine, quandoquidem Strabone teſte, eius inſulæ montes occidui λεύκοι, hoc eſt albi ſeu candidi dicuntur. In totum autem iniquior eſt molliter aſſurgentibus cliuis quorum fertiliſsimæ conualles cernantur. Exaſperatur & mõtibus, Ida maxime, qui mediæ in-

ſulæ

ſulæ altiſsimus imminet, pedem eius oppidis circum, coronæ inſtar ambeũtibus. Rigant amnes, Oaxis Vergiliano notus carmine & Letheus, aliiq́; non ignobiles. Sed hac uel una re beata eſt, quod noxiis animalibus caret. Porrò gloriam fertilitatis non urbium modo fama, uerum & uetuſtatis honos, & potentia, rerumq́; geſtarum memoria uincit. Præfuiſſe inſulæ Iupiter fertur uetuſtiſsimus rex, cuius Lactantius ante alios lib. inſtitutionum primo meminit. Fuit & Gnoſius cognominatus Rhadamanthus, tanta integritate uir ut tribunal ei & iudiciũ apud inferos priſtini uates tribuerint. De Minoe rege minime fabuloſum eſt primum eum Cretenſibus leges dediſſe, & optimis inſtitutis magna ciuilitate ornaſſe, quam mox paulò & Lacedæmonii ſint imitati. De maris imperio & inſulis Cretæ ſubiectis, ipſe etiam Ariſtoteles ſecũdo Politicω̃ρ teſtatus eſt. Inde enim prouerbiũ natum, Cretes neſcit pelagus, de eo qui quod eximie nouit diſsimulat, ut Strabo decimo libro tradit. Varie poſtea tyrannis paruit, non Græcis modo ſed & Barbaris, donec poſt deuictũ in Aſia Antiochum, Romani eam Metello duce qui inde Creticus dictus eſt, deuicerũt. Poſtremo collapſis imperii Oriẽtis rebus, Veneti eam ingenti pecunia coëmptam ſuæ ditioni adiecerunt, & iam plus trecentis annis poſsident. Qui ſanè non hanc ſolam, ſed & Cyprum & Corcyram, Cycla-

dumq́; & Sporadum non paucas, & Adriatici maris ferè omnes, quæ plurimæ tamen ſunt, poßidēt, omniū Europæ populorū, qui modo Ariſtocratiam retinent, citra controuerſiam potentißimi, Turcis autē iuſtiſſimis cauſis fœderati, ne hoſtem experiri eum denuo cogātur, qui iam antea tot præclaris urbibus eorū imperio ui ablatis, plus ſatis damni fecerit. Candia igitur oppidum parte occidua, ut dixi, poſitum, eo ferè littorū ambitu iacet quo antea Phalaſarne, & fortaſſe ipſa Phalaſarne eſt, quod tamen ut coniectari, ita non auſim aſſerere, in tanta præſertim locorū nominumq́; uariatione, etiā ſi conſtet recens eſſe Candiæ nomen. Sed & Cretæ aliquando nō fuit. Curetis enim prius, & ante quoq; Aeria dicta eſt, præterea ob eximiam cœli clementiam Macaron, ſiue ut Solinus & Martianus uocāt μακαρόνησος appellata. Tanta temporū nocendi rebus humanis tum inuidia tum pertinacia eſt, ut nullo unquam certo aut loco aut ſtatu fuerint, longè minus retineant nomina, ut uerißime dictum ſit ab Horatio, in arte poetica.

Vt folia in ſyluis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt, ita uerborum uetus interit ætas,
Et iuuenum ritu florent modo nata uigentq́;,
Debemur morti nos, noſtraq́; &c.

Ea cauſſa factū eſt, ut & in Lucæ hiſtoria Actorū 27. locorum eius inſulæ nomina quædam, parte mutata, parte

*parte recentia & è uulgi uelut uſu petita legantur,
quorum nec Plinius, qui in Lucæ tamen tempora inci
dit, nec Ptolemæus, qui poſt eum ſub M. Antonio ui=
xiſſe creditur, in deſcriptione Cretæ meminerint. Sal=* **Salmon.**
*monem uocat Lucas detorta paululum uoce promon
torium quod Plinio & cæteris Sammonium dicitur,
præterea in latere inſulæ auſtrino, Pulchrosportus,* **Pulchri**
& Laſæam ciuitatem, & Iaſſum, inter Sammonium **portus.**
*& Phenicen portum memorat, quæ aut indigna uiſa
doctioribus quæ referrentur, aut illius temporis &
uulgo nautico recepta uocabula extitere. Certe Eraſ
mo exactiſſimi iudicij uiro, qui nuper Pauli peregri=
nationem luculentiſſima breuitate eſt complexus, de
uulgi ſermone petita uidētur. De Phenice quidē opti=* **Phenice.**
*mo portu meminit Ptolemæus, & Pulchrosportus
iuxtaq; Laſæam littorariam urbem agnoſcit Hierony* **Laſæa.**
mus. Aſum autē ſeu Aſſum haud recte eam quæ Aſiæ **Aſſus.**
*eſt hoc loco intelligit, cum Lucas Creticum littus non
Aſiaticum illo capite deſcribat. Quin & uento con=
trario ita coercitā nauem indicat, ut ne Gnidum qui=
dem appellere licuerit, nedum ad interiorem Aſiæ
receſſum in quo Aſſos erat, ingredi. Aſium quidem
Plinius in Creta cēſet, ſed mediterraneum, ut omnino
diuerſam & plane mariſtimam reddidiſſe uideri Lu=
cas queat. Qui quanta alioqui fide & diligētia ſuam
hiſtoriam ſcripſerit, abunde uel hic unus locus uiceſi*

*miſeptimi capitis,teſtatur, adeò omnia certis compertiſq; deſcriptionibus terrarum quadrãt.*E L*ycia enim*

Gnidus.

ſoluentibus Italiam *uerſus,*Gnidos *petitur,ea eſt urbs uetus & celebri nomine in extima peninſulæ fronte, quâ* Dores *habitarunt, unde ab* Auſtro *ora* A*ſiæ ad* O*ccaſum uertitur, ceu in* Caria *diximus.* Hanc *cum in proſpectu haberẽt, nec tenere poſſent à uentis prohibiti, ad ſiniſtram deflectere, &* Sammonio Cret*æ extimo &* Gnido *aduerſo promontorio applicare compulſi ſint.*Mox *uelut impetum declinaturi,contra morem, auſtralem inſulæ oram haud ſatis cõmodam portubus legere, ac demum* Phenicem *ut aptum hybernis locum ingredi cum conſtituiſſent,repente exorto* Euroaquilone *arrepti, & ad* Claudam *inſulam delati, cum non daretur portus, in ampliſsimum pelagus tempeſtate adacti fuerint, hoc unum interim ſummis uiribus conati,ne* Affricano *littori appulſi,in breuia & Syrtes inciderent .*Timendum *id prorſus erat,propter uenti curſum,qui à latere* Septentrionis *exortus* Cret*æ præſertim auulſas naues recta in oram*

Euroaquilo.

Syrtium *impellebat.*Ventus *autem cuius hic* Euangeliſta *meminit,niſi fallor,*C*æcias eſt,ab exortu æſtiuo progreſſus,authore* Plinio. Euro *autem* Aquilo *dictus quod à parte* Bore*æ* Aquilonem, *ab æquinoctio* Subſolanum,*qui &* Eurus *eſt,habeat,mediuſq; inter illos incedat:conſtat autem uiolentum eum & tempe*

ſtuoſum

ſtuoſum eſſe. Porrò Claude inſula à Plinio & Pompo- Clauda.
nio Gaudos dicitur, à Ptolemæo Claudos, ut exinde
conſtet mutari conſuetudine nomina. Nam & Beda
hoc loco, uidiſſe ſe exemplaria teſtatur, quæ uocabu-
lum Caude, non Claude haberent, ut & Gaude dicta
uideri poßit & Claude, ſicut Gaudos & Claudos. Si
ta autem eſt haud longe à promontorio quod contra
Phycuntem Africæ ſpectare diximus. Alia eſt contra
Siciliam poſita Gaulos, de qua ſuo loco. Dici uero
non poteſt quantum opis adferant ad huius tempeſta
tis cognitionẽ, Tabellæ Geographicæ, quas ſi ab hac
parte Lector intuitus fuerit, uidebit luce clarius, in
quàm immane & atrox pelagus Paulina nauis cor-
repta, & quàm uicina periculis fuerit, utq; Meliten
inſulam uiderit, tanto interuallo dißitam à Cretico
littore, non mirabitur totis quatuordecim diebus no-
ctibusq; in alto iactatum fuiſſe Apoſtolũ. Cæterum,
ut de Creta finiamus, audiuit & ipſa Paulum euange
lizantem. Mox & Epiſcopum habuit Titum, qui alijs
ordinatis celebres in ea Eccleſias conſtituit. Sic enim
loquitur in epiſtola ad Titum Cretæ agentem, Apo-
ſtolus, Huius rei gratia reliqui te in Creta, ut quæ de-
ſunt, pergas corrigere, & conſtituas oppidatim pre-
ſbyteros ſicut ego tibi ordinaram. Si quis eſt inculpa-
tus, unius uxoris uir &c. Præcipue autem admonet,
ut eos legat qui ſanam doctrinam tenerẽt. Erãt enim

iam tum Iudæi in Creta nihilo meliores Aſiaticis & Galaticis pſeudoapoſtolis, qui animas ſimplicium negotiantes, doctrinam ſuam quæſtui accommodabant, & ritu phariſaico doctrinas & mandata hominum ingerebant, ſuperbiſsima præſumptione cum inſatiabili auaritia coniuncta, quæ uitia Chriſtus phariſæis ut capita ſuperſtitionis & pietatis peſtē acerbe ſemper opprobrauit. Ad doctrinæ porrò improbitatē genuina quædam & peculiaria inſulæ uitia accedebãt, quorum cauſſa non raro Cretes peſsime audierunt. Proinde & ipſe Apoſtolus quo circumſpectiorē Titi animum redderet, non dubitauit Epimenidis carmen, uel maledicentiſsimum epiſtolæ ſuæ inſerere, quod ad hunc modum habet,

κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, κακὰ θήρια γάστερες ἀργαί. i. Cretenſes ſemper mēdaces, malæ beſtiæ, uētres pigri. Cæterum ſpiritu ſuo dominus ita uitia abſterſit cordibus, & mentes auſcultantium Euangelio ſic renouauit luce cœleſti, ut non alia inſula aut celebriores aut inſtructiores Eccleſias habuerit. Ex epiſcopis ueteribus clariſsimi fuerunt Pinytus, Gnoſius, & Gortynæ urbis præſul Philippus cuius cõtra Martionem libri extiterunt, ambo inſignes imperatore M. Antonino. Nunc reliquas inſulas proſequemur. Carpathos clara, inter Cretam & Rhodum iacet, adeò celebris quondam & potens, ut mari etiam nomen dederit.

Rhodus

Rhodus autem cuius 21. capite Lucas in Actis meminit, ex aduerſo Cariæ & Lyciæ ſita eſt, clariſsima inſula, & ueterum etiam ſtudiorum atque eloquentiæ memoria nobilis. Tres in ea urbes fuerũt, Lindus, Camyrus, & Ialiſus quæ & Rhodus nũc dicitur, ſita eſt in littore inſulæ Septentrionali, ac uelut peninſulæ impoſita eximium portum habet, citra quem admodum munita turris, uulgo S. Nicolai dicta, quæ noſtris magno aliquãdo tuendæ urbis præſidio fuit. Eam urbem cum reliqua inſula, diu Saracenorum incurſionibus uexatam, noſtri cum Paleſtina & Syriæ parte receperunt. Deinde amiſſa rurſum Hieroſolyma, fratres Hoſpitalarij qui S. Ioannis cognominantur, Rhodum fauore regis Gotfredi, occuparũt, anno Milleſimo trecenteſimo octauo à nato Chriſto. Quæ res magnam eis opulentiæ occaſionem præbuit. Enimuero fama rerum geſtarũ, dein & publicus fauor, & perſuaſio quædam de coërcendis eorũ opera infidelibus, omnium mentes ad iuuandum contribuendumq; inflammauerant. Deinde etiam Pontificum accedente cura, bona propè omnia quæ Templarij paulò ante ob impietatem & perfidiam extincti, reliquiſſent, in illos ſunt translata. Acceſsit opibus dignitas, resq; breui ita creuere, ut Turcis etiam, haud raro Rhodienſes terrori fuerint. Quippe detrectare fœdera, & pacis reſpuere cõditiones interdum ſunt auſi: fertur, facile

Rhodus.

etiam ſoluere conſueſſe ſi quæ coaluiſſent. Idcirco *ut rerum omniũ humanarum, ita huius quoq; potentiæ proſperitatem, miſer caſus excepit.* Dubium *faſtú ne atque inſolentia noſtrorum, an* Turcarum *odio ueteri, nec ſatiabili regnorum cupiditate,* Anno Chriſti M. D. X X I I. *diuitem, munitã, & populoſam urbem, toties antea fruſtra petitam & obſeſſam,* Turca *haud multis diebus cepit, omni ſimul eius agri ditione adiecta.* Cum *eam fratres illi ducẽtis & quatuordecim plus minus annis tenuiſſent.* Fide *tamen publica noſtris conceſſum fuit, ut tempore præſcripto ſi liberet, ſolum uerterent, cumq́; bonis omnibus quò uellẽt emigrarent.* Itaque *in* Melitam *ab illis migratum eſt, de qua ſuo loco dicetur.* A Rhodo Cyprũ *uerſus multæ inſulæ, ſed ferè paruæ & ignobiles.* Ipſa Cyprus *nouem aliquando, ut* Pomponius *tradit, regnorum ſedes, media inter* Ciliciæ Syriæq; *littora iacet, longitudine ab occaſu in ortum ducta, & à* Borea Cilicio, *ab occaſu* Pamphilio, *à* Meridie Phœnicio, *ab ortu* Syrio *mari clauſa, &* Ceraſtis *aliquando dicta, quod multis promõtorijs ceu cornibus infeſtis aſſurgat.* Horum *unum* Cromyum Straboni *dictum, ab* Anemurio Ciliciæ *promontorio nõ amplius quinquaginta milliũ paſſuum abeſt,* Ceruis *etiam illinc in* Cyprum *natare auſis, ſagaciſſimo terrarum odore, ut tradit* Plinius. Promontorium *quod ad* Orientem *eſt* Dinares, *ad* Occiden-

Cyprus.

primo dicta Macaria. De qua plura Pli. li. 5. na. hi. ca. 31. Strabo in 14. Mela li. 2. Ptolomeus li. 5. ca. 15.

ciden-

cidentem Acamas dictum, duabus ceu metis longiſsimæ dimenſionis, poſitis. Auſtrini lateris extrema, ab occaſu Zephyrium, ab ortu Pedalium promontoria Ptolemæus facit. In mediterraneo mons altus Olympus, amnesq́; ex eo, Lycus in Meridiem, Lapethus in Septentrionem effuſus. Credita eſt continenti adhæſiſſe olim parte qua Syria eſt, inſulis etiamnum quæ Clides dicũtur intermedijs. Strabo libri decimiquarti fine Cyprum deſcribens, fertilem eam uino, oleo, frumento eſſe tradit, abundauit & ære, Cyprio cognominato, uulgo cuprum uocant. Idq́; in primis illi laudis tributum, quod nauem ab ima carina ad ſumma uſque carbaſa nulla externa, ſed domi nata parataq́; materia abſoluere & committere pelago potuerit, adeò ligno, ære, pice, lino, abundat. Romani eam ſublato Ptolemæo Aegyptio rege, ob famam diuitiarũ magis quàm ulla iuſta cauſſa moti occuparũt. Catone mox miſſo qui regiam pecuniam Liburnis impoſitã in urbem adferret. Quæ, ut ait Florus, ærarium Pop. Romani latius quàm ullus triumphus impleuit. Inde multis ſæculis Romanorum ditionis fuit, poſtremo rebus Orientis afflictis cum Perſæ & Saraceni omnia incurſionibus uaſtarẽt, multis annis illi genti paruit. Nuper autem Iacobo regi ceſſerat Ioannis filio, qui cum Catharinam Marci Cornarij Patricij Veneti filiam, à Senatu pro more adoptatã, uxorẽ accepiſſet,

& ex ea poſthumum reliquiſſet, eo ipſo haud diu ſu perſtite, Veneti *inſulam iure hæreditario ſuam fece-runt,* Anno *à nato* Chriſto M. CCCCLXX. Hodieq́; *per prætorem Cyprium regnum, quemad-modum &* Cretenſe *&* Corcyræum, *adminiſtrant.* Oppida Cypri *apoſtoli ætate quindecim fuerunt, ex*

Salamis.

de qua vide Pomponium Melam li. 2. & Strabonem li. 14. In ea insula est eiusdem nominis oppidum teste Plinio li. 5. na. hi. ca. 31. quod postea appellatum Constantia, autore Hieronymo.

quibus præcipua Salamis *in amœniſſimo ſinu* Orientalis *littoris poſita, ad quam* Paulus *&* Barnabas, *co-mite* Ioanne *cognomento* Marco *à* Seleucia Syriæ *na-uigantes, peruenerũt.* Lucas *enim* Actorum 13. *Abie-runt, inquit,* Seleuciam, *& inde nauigauerunt in* Cyprum, *& cum eſſent* Salamine *annunciauerunt ſer-monem* Dei *in ſynagogis* Iudæorum, *habebant autem &* Ioannem *miniſtrum, & peragrata inſula uſq; ad* Paphum *inuenerũt quendam* Magum *&c.* Siquidem Paphus *in littore* Occidentali *poſita eſt, ut peragrari inſulam oportuerit è* Salamina Paphum *tendentibus.* Eſt *&* Amathus *præclara urbs in ora* Auſtrali, *& contra in* Boreali Corynæum. *In mediterraneo autẽ* Tremythus. *Indicat autẽ* Lucas *è* Papho *poſtmodum ſoluiſſe* Paulũ, *&* Pergam Pamphiliæ *appuliſſe, illinc enim utpote ab* Occiduo *littore aptiſſima in* Pamphiliam *nauigatio eſt.* Durat *adhuc* Paphi *oppidũ reſtau ratum, ut arbitror, cum* Hieronymus *ſcribat ſua ætate ueſtigia tantũ extitiſſe, ex quibus qualis fuerit olim* Paphos *apparuerit. Salamina poſtea à* Conſtantio,

Conſtan-

Conſtantia uocata eſt,quo nomine et Hieronymi ætas utebatur.Hodie Famaguſta Epiſcopatu etiã clara, qui tamen cum multis alijs eius inſulæ Metropolitanã quæ Nicoſiẽſis dicitur,reueretur.Hæc eſt Cyprus quæ Barnabã apoſtolum cognomento Ioſeph,leuitem,nobis ædidit, Pauli comminiſtrum, præterea Ioannem Marcum Barnabæ conſobrinum, qui initio ambos in Cyprum nauigantes ſecutus, in ſecunda profectione ſoli Barnabæ adhæſit:inde Pauli rurſum comminiſter factus,Vir ſanctus & miniſterij gloria inſignis,alius, niſi fallor à Marco euangeliſta cuius in Catalogo meminit Hieronymus. De illo Ioanne, ſic Paulus 2. Timotheum 4. Marcum aſſumptũ adducito unà tecum, eſt enim mihi perutilis ad miniſteriũ. Et ad Col.4.Salutat uos Ariſtarchus concaptiuus meus, & Marcus cõſobrinus Barnabæ,de quo accepiſtis mandata,&c. Meminit eiuſdem Lucas Act. 13. & 15.capite.Præter hos apoſtolicos uiros, ueterum Epiſcoporum clariſſimi memorantur, Triphyllius temporibus Conſtantij imperatoris,Quem eloquentiſſimum ſui temporis & celeberrimũ fuiſſe Hieronymus tradit. Præterea Spiridion Tremythuntis epiſcopus, præcipuus patrum Niceni Synodi,qui Irenes filiæ miniſterio cõtentus rure maxime egit. Sozomenus refert eũ peregrino cuidam ad ſe diuertenti,qui ſuilla in quadrageſima ueſci, quod Chriſtianus eſſet,abnuiſſet, dixiſſe: Hoc magis

Marcus conſobrinus Barnabæ fuit minister Pauli Colos. 4. 2. Timo. 4. Actorum. 15. Alii quoque discipuli prædicarunt in hac insula Christum. Actorum. 11. 21.

Ad Titu. 1. Roma. 14. 1 Timo. 4.

ueſci eum debere, quoniam diuinus ſermo admoneat Mundis omnia eſſe munda. Salaminæ autem ſeu Conſtantiæ epiſcopus Epiphanius fuit, Hieronymo ſingulari amicitia & familiaritate iunctus: cuius hodie celebris in uniuerſa Cypro memoria extat. Scripſit contra omnes hæreſes, & de lapidibus, quorum frequens in ſcriptura mentio eſt, librum, Hieronymo exhibitum, uelut ipſe alicubi Hieronymus tradit. Extat & epiſtola eius ad Ioannem Hieroſolymitanum epiſcopũ ſcripta, quam Latinam fecit Hieronymus. Hic eſt Epiphanius qui uelum Eccleſiolæ cuiuſdam in Palæſtina animaduerſum, diſcidit, quod imaginẽ uel Chriſti, uel ſancti cuiuſdam depictã contineret: de qua re ipſe ante dicta epiſtola ad hunc modum loquitur, Cum ergo uidiſſem in Eccleſia Chriſti contra authoritatẽ ſcripturarum hominis pendere imaginem, ſcidi illud, & magis dedi conſilium cuſtodibus eiuſdem loci, ut pauperẽ mortuũ eo obuoluerẽt, & efferrent. Illiq; contra murmurantes dixerunt, Si ſcindere uoluerat, æquum erat ut aliud daret, uelumq; mutaret. Quod cum audiſſem me daturum eſſe pollicitus ſum, & illico me miſſurũ, &c. Et paulò inferius: Nunc autẽ, inquit, miſi quod potui reperire, & precor ut iubeas preſbyteros eiuſdem loci ſuſcipere uelũ à latore, quod à nobis miſſum eſt: & deinceps præcipere in eccleſia Chriſti iſtiuſmodi uela quæ contra religionem noſtram ueniunt, non appendi.

appendi. Decet enim honeſtatem tuam hanc magis habere ſolicitudinē ut ſcrupuloſitatē tollat quæ indigna eſt eccleſia Chriſti et populis qui tibi crediti ſunt. Hactenus Epiphanius Hieronymo interprete. Ex quo intelligimus imaginū uſum in eccleſijs Hieronymi ætate, non modo nullum fuiſſe, ſed et ſcripturis aduerſum & illicitum uiſum eſſe: alioqui nec tacuiſſet Hieronymus ad facinus Epiphanij, cū in Palæſtina tum ageret, nec tranſtuliſſet epiſtolam quæ eius rei meminit, ſi aut actum praue, aut male traditum ab Epiphanio putaſſet: uidelicet homo tam infenſus hæreticis, tamq; delicato in cenſendis doctrinis ſtomacho. Profecto & Lactantius Firmianus grauis in primis author qui ſub imperatore Conſtātino uixit, idē demōſtrat, uidelicet non ſolum ullum uſum ſimulachrorum ſui ſæculi Chriſtianis, ſed ita etiam tum uiſum eſſe, ut ne liceret quidē ſimulachris uti. Capite enim ſecundo, ſecundi libri diuinarum inſtitutionum ſimpliciter aſſerit, dei imaginem ſemper ſuperuacuā eſſe, quippe cuius numen ac ſpiritus ubiq; diffuſus abeſſe nunquam poßit. Et ſimulachrum dei non eſſe illud quod digitus hominis ex lapide aut ære aliáue materia fabricatur, ſed ipſum hominem, quoniā ſentit & mouetur, et multas magnasq; actiones habet. Quin amentiam eſſe iudicat effingere quæ poſtmodum uereamur, aut uereri & colere quæ finximus. Sed et ineptißimos eſſe homines qui non in- Acto. 17.

telligunt, ipſa ſimulachra ſi ſenſu donarentur magnã gratiam habitura artificibus, & non ſeipſa, ſed artifices potius, à quibus & per quos eſſent, adoratura, ut quorum manibus nata ſpeciem figuramq; ac pulchritudinem accepiſſent, idq; fuiſſent, quod fuiſſe ſe Priapus apud Horatium fatetur, cum inquit: li. 1. Ser. Sa. 8.

Priapus idolum fuit in terra Chanaaneorum etiam lucis fuit consecratum. 1. Regum 15. 2. Chron. 15. quo libidinabantur Codesim i. leones. hoc putant esse quod alibi Baal Sebul & Baal Peor & Miplezeth appellatur.

Olim truncus eram Ficulnus, inutile lignum,
Cum faber incertus, ſcamnum, faceret ne Priapũ?
Maluit eſſe Deum, Deus inde ego furum auiumq;
Maxima formido, &c.

Sed hæc, inquit Lactantius, nemo conſiderat, infecti ſunt enim perſuaſione homines ac mentes eorũ penitus ſuccum ſtultitiæ biberunt. Adorant ergo inſenſibilia qui ſentiunt: irrationabilia qui ſapiũt: exanima qui uiuunt: terrena qui oriuntur è cœlo, &c. Porrò adorare Latinis eſt genu flectere, corã uereri, honorẽ exhibere, honore exhibendo procũbere. Suetonius in Caligula de Artabano Parthorũ rege ſupplice, Venit, inquit, ad colloquiũ legati Conſularis, et tranſgreßus Euphratẽ, Aquilã & ſigna Romana Cæſarumq; imagines adorauit. Rurſum eodẽ capite Lactantius, Nam iſta inquit mortalium digitorum ludicra, & fragilia figmenta, ex quolibet materiæ genere formata, quid aliud ſunt, niſi terra ex qua nata ſunt? Quid ergo rebus inferioribus ſubiacetis? quid capitibus ueſtris terram ſuperponitis? &c. Alloquitur quidem his uerbis

Gentes

Gentes, cum Chriſtianis nulla tum eſſent ſimulachra. Demus aũt tum fuiſſe, ut ſunt et proſtant hodie, humanis itidem manibus de fragili materia artificũ ingenijs enata, quis negare auſit etiã aduerſus noſtra tam quadrare Lactantij *uerba, quàm aduerſum* Ethnicorũ *ſtatuas ſcripta ſunt?* Certè *nihil noſtra ab illorum idolis, origine, materia, effigie, artificũ manu, differunt, etiã ſi contendamus nihil horũ à nobis adorari.* Iam *negat* Firmianus, *dei ſimulachrũ rectè de ulla materia poſſe conſtitui, quoniam ipſe* Deus *corã ubiq; præſto ſit, nec uerius exprimi poßit ꝗ ipſe ſe expreſſerit, hominem ad imaginem ſuam condendo.* Nam *&* Paulus Roma. *primo palàm teſtatur, dei immortalis gloriã imminui quoties per mortalis hominis imaginem aut ſimilitudinem effingitur.* Idem Lactãtius *capite quarto eiuſdem libri:* Vbi *ergo, inquit, ueritas eſt?* Vbi *nulla uis adhiberi poteſt religioni: ubi nihil quod uiolari poßit apparet: ubi ſacrilegium fieri nullum poteſt.* Quicquid *autem oculis manibuſq; ſubiectũ eſt, id uero quia fragile eſt, ab omni ratione immortalitatis eſt alienum.* Fruſtra *igitur homines auro, ebore, gemmis, deos excolunt & exornant, quaſi uero ex his rebus ullã poſſint capere uoluptatẽ.* Capite *autem* 18. *inter cauſſas uanæ religionis idolorum duas potißimũ adducit:* Alteram, *quod ſimulachra quæ coluntur, effigies ſint hominum mortuorũ:* Alterã, *quod imagines ſacræ qui*

Gene. i. 5.
Roma. i.

bus inaniſsimi homines ſeruiunt, omni ſenſu carent, quoniã terra ſunt. Proinde decimo nono capite: *Quare, inquit, non eſt dubiũ quin religio nulla ſit, ubicunque ſimulachrũ eſt.* Nam ſi RELIGIO *ex diuinis rebus eſt, diuini autem nihil eſt niſi in cœleſtibus rebus, carẽt ergo religione ſimulachra, quia nihil poteſt eſſe cœleſte in ea re quæ fit ex terra.* Quod quidem, *inquit, de nomine ipſo ſapienti apparere poteſt, Quicquid enim ſimulatur, id falſum ſit neceſſe eſt, nec poteſt unquam ueri nomen accipere quod ueritatem fuco & imagine mentitur.* Si *autem omnino imitatio non res, potiſsimum ſeria, ſed quaſi ludus ac iocus eſt: non religio ſimulatio ſed* Mimus *religionis eſt.* Præfe*rendum eſt igitur uerum omnibus falſis, calcanda terreſtria ut cœleſtia conſequamur.* Hucuſq; Firmianus, *non cultum modo, ſed & facturam ſimulachrorum exagitans, indignumq; exiſtimans ad ſpeciem religionis trahi quod fragile, caducum, terrenumq; & ſine ſenſu eſt.* Quod *dicere tamen aut ſcribere nõ potuiſſet, ſi* Eccleſiæ Cõſtantini *ſæculo uſum ullũ ſimulachrorum habuiſſent.* Non *profecto magis, quàm* Propheta *deridere ea tanta cũ libertate potuiſſet, ſi ex lege uti ſimulachris licuiſſet.* Hoc *enim qđ exclamat* Pſal.114. Simulachra *Gentium argentum & aurum, opera manuum hominũ.* Os *habẽt & non loquentur, oculos habent & non uidebunt, aures habent & non audient,* nares

Pſal. 1.34.
Baruch. 6.
Danielis. 14.
Heſaie. 44. 46.
1. Corin. 12.

nares habent & nõ odorabunt, manus habent & nõ palpabunt, pedes habent & non ambulabunt: non clamabunt in gutture ſuo. Item: Similes illis fiant qui faciunt ea, &c. tam contra Iudæorum ſimulachra feciſſet, quàm faciebat contra Gentiũ idola. Nihil enim eſt horum omniũ quæ ſunt à propheta aduerſum ſtatuas eo loco inſtinctu ſpiritus ſancti prodita, quod non dictũ uideatur in uniuerſum cõtra ſimulachra. Niſi ſi noſtris quædam ſimulachra ſint quæ de nulla terreſtri materia, nec ullius hominis manu facta cõſtare poßit. Neq; id iam nũc narro uelut diſputans de imaginibus: ſed admoneo tantum de temporum ſtatu, idq́; fide hiſtoriæ, quæ planè conuincit ueteres & apoſtolicæ doctrinæ obſeruantes eccleſias ſimulachrorum uſum reſpuiſſe. Aelius enim Lampridius Ethnicus ſcriptor (quem hoc libentius cito) in uita Imper. Alexandri Seueri, Capitoliũ, inquit, ſeptimo die cũ in urbe eſſet aſcendit, templa frequentauit, Chriſto templum facere uoluit, eumq́; inter deos recipere, quod & Adrianus cogitaſſe fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus ſine ſimulachris iuſſerat fieri, quæ hodie idcirco quia non habent numina, dicuntur Adriani, quæ ille ad hoc paraſſe dicebatur: ſed prohibitus eſt ab his qui conſulentes ſacra, repererant omnes Chriſtianos futuros, ſi id optato eueniſſet, & omnia templa deſerenda. Hactenus Lampridius. Manifeſte teſtatus eum mo

rem Chriſtianis fuiſſe, ut in domibus ſuis & templis nulla ſimulachra haberẽt. Tale facturus Seuerus erat & iam Adrianus paßim extruxerat, ut data occaſione, hoc commodius ritum Chriſtianũ inducere poſſet, niſi dæmonia diuerſum ſuaſiſſent, ſcilicet ſimulachra in templis erigẽda ne ſua interiret religio. Paganiſmus igitur fuit, non Chriſtianiſmus, quod idem author tradit, Seuerũ in domeſtico Larario ſuo Chriſtũ habuiſſe & Abraham, id enim publice ſibi ut Chriſtiano non licuiſſet, qui tamen eodem in Larario non hos ſolum, ſed & Apollonium magum, & Orpheum Vatem ueterem, illis coniunctos ut deos colebat. Si cui uacat (ne ſim longior) Tertullianum legat, cap. 12. Apologetici, & quo in honore ueteribus Chriſtianis ſimulachra fuerint inueniet. Quin & Auguſtinus lib. de Ciuitate tertio M. Varronẽ prædicat, quod licet ſeptus preſſusq; tantæ urbis peruerſa conſuetudine, dicere tamen & ſcribere fuerit auſus, eos qui primi populis ſimulachra inſtituiſſent, & metum dempſiſſe, et errorem addidiſſe. Eleuatur enim ſuperſtitione religio, & minus timent qui non niſi coram ſimulachro uenerabundi trepidant, cæteris uero in locis quod libet agunt. Iuſtior illis & ſanctior metus eſt, qui nec loco ſe nec tempori accommodantes, & ſemper, & ubique Deum timent, certi & præſentem eum & humanarum actionum, imò & cogitationum inſpectorem,

Qui sit co gitationes hominum quam vanæ sint. Psal. 93. 1. Cor. 3. et abscondita cordis. Psal. 43. Vide Sapien. 1. Hiere. 17. 20. Psal. 7. Apoca. 2. 1. Regu. 16. 3. Regu. 8. ca.

neq;

neq; illum certo loco, aut ad ſtatuas, ſed in omni loco eſſe, omnia percipere, intueri, cognoſcere. Ad quod illud Chriſti attinet, Veros adoratores non in monte nec Hieroſolymis ſed in ſpiritu & ueritate adoraturos. Sed ad inſulas reuertendum eſt. Corcyra contra Epirum iacet Adriatico mari circumflua, quanquã illic & Ionium & Siculum occurrũt, tamen illud quoque quod Siciliæ ab ortu, & parte meridiani littoris imminet, Adriaticum uocat Ptolemæus, ſicut Adriam Lucas Actorum 27. Nauigantibus, inquit, nobis in Adria circa mediũ noctis, ſuſpicabantur nautæ ſibi apparere aliquam regionem. Notius autem quàm ut memorem, id mare & Adriam dici ab oppido ueteri, & Adriaticũ, Ciceroni etiã Adrianũ, cuius ſinus ille eſt Adriaticus dictus qui Venetias uſq; & Tergeſtũ ingreditur. Corcyra nonagintaſeptem millium paſſuũ longa eſt, Homeri etiam Poëmate illuſtrata, et Vlyßis nota hoſpitio. Vulgus nauticum hodie Corfunam uocat. Diuerſo à latere & contra Brutium agrum Sicilia panditur, inſula non fertilitate modo (ob quam tamen Cereri & Baccho conſecrata ueteribus fuit, et horreum etiam urbis Romæ credita) ſed frequentia atq; uetuſtate oppidorum, amnium commoditate, & geſtarum rerum memoria, uictorijsq; Pœnorum & Romanorũ alternantibus, ſuper omnes alias inſignis. Credita & ipſa Italiæ aliquando continens fuiſſe, po

Ioan. 4.

Adria nomen maris contra Rauennam, quod per oſtia Padi [illegible] ab Hadria proxima ciuitate, quae eidem mari nomen Adriani dedit. Strabo in quinto. Hoc pelagus Paulus emenſus eſt. Acto. 27.

ſtea auulſam terræmotibus, et fretũ illud quod ſeptem ſtadiorũ ſpacio intereſt, admiſſum fuiſſe. Forma eius triquetra, latera finientibus promontorijs, quorũ qđ Italiam, ubi Rhegium eſt, ſpectat, Pelorum, quod Græciam, Pachynum, quod Africã, Lilybeum dixere, inde Græcis etiam Trinacria dicta. Vrbes eius ſeptuaginta duas Plinij ætas numerauit. Hodie duodecim epiſcopatus ferũtur, late patẽtibus Diœceſibus. Celebritate aũt & ubertate eius factũ eſt, ut quẽadmodũ uetuſtis gentibus populisq́; ita haud multis retro ſæculis noſtris quoq; magnarum diſſenſionũ ſeminariũ fuerit. Tenuere eam multis annis & iuſtißimis cauſsis, Sueuorũ duces, & malũ ſibi, ut Cæcias (quod dicitur) nubes attraxerũt, motis uidelicet bellis quibus magnæ ſeſe partes miſcuerant: nec ceſſatum aut armis aut odijs fuit, donec ne nomen quidem reliquum eſſet Sueuici ſanguinis. Sanè & ab Anglis & Lothoringijs petita inuaſaq́; eſt, hoc maxime tempore quo in Syriam & Saracenos expeditiones ſumebantur: de quibus ſupra in Syria et Aegypto admonuimus. Poſtremo in regũ Arragonum Hiſpaniæ manus peruenit, hodieq́; auſpicijs Caroli imperatoris obſequitur, cuius itidem ditionis & regnum Neapolitanũ & Brutius ager, & Calaber eſt. Meminerunt oppidorum recepti authores, qui aut hiſtoriam aut fabulam reddiderunt, M. Cicero actionibus in Verrem, T. Liuius, Saluſtius, Silius Itali

cus,

cius, Claudianus, ex recentioribus autem Blondus, & diligẽtiſsime libro ſexto Raphael Volaterranus: Græcorũ autẽ Plutarchus, Polybius, Appianus, Diodorus, ut terrarũ ſcriptores præterea͂. Nec enĩ alia eſt, quod quidem ſciam, toto orbe inſula, quam ex æquo Græci & Latini ſcriptores partim nobilitate inſulæ, partim autem occaſione rerum geſtarum celebriorem reddiderint. Ex ueteribus igitur Panormus etiamnum clara eſt, & in littore quod ex aduerſo Italiæ eſt celeberrima Meſſana, in qua non multis retro annis Laſcaris Conſtantinus, et poſt eum, ut audio Marcus Muſurus Græcas literas ſunt profeſsi. Eodẽ in littore, ſed propius Pachynũ ante omnes claritate inſignes Syracuſæ iacẽt, Theocrito uetuſtiſsimo pœta inſignes, quem Maro in Bucolico carmine imitatus eſt: ædidit & Archimedem Mathematicum, de quo eſt apud Liuium quarto libro ſecundi belli Punici, ſed uerè clara ob Pauli apoſtoli memoriam quem Lucas tradit è Melite Alexandrina naui uectum, triduo Syracuſis egiſſe, Act. 27. Ea uero urbs petẽda erat in Melitã iactatis, et Siculũ fretũ circumeundum, donec Rhegiũ appelleretur. Vnde & à Luca περιελθόντες, hoc eſt circumlegentes dictum, quod ab itinere eſſet deflexum. Epirũ enim legebant, qui ab Oriente ueniſſent, atq; inde traiecto Adriatico ſecũdis uentis Rhegiũ petebatur. Inde freto ſuperato Puteolos nauigabatur. Suetonius in

Syracuſæ.

Tito, Quare, inquit, feſtinãs in Italiã, quũ Rhegium, deim Puteolos oneraria naui appuliſſet, Romam inde contẽdit expeditiſsimus. Plerunq; Brunduſinũ portũ qui Calabriæ eſt, ingreßi reliquum itineris per terras conficiebant. Contra, qui Roma eſſent in Syriam abituri, traiecto Siculo freto, Peloponneſum tendebant, hinc Rhodũ, inde Cyprũ, inde Syriam cõtinentẽ: quæ nauigatio hodieq; Venetis naucleris Hieroſolymã petẽtibus, admodũ trita eſt, niſi quod à Venetijs primũ Corcyram Adriatico emenſo contenditur, inde Peloponneſus petitur. Hieronymus Paulinæ profectionem ex urbe deſcribens, Inter Scyllã inquit et Charybdim Adriatico ſe credens pelago, quaſi per ſtagnum uenit ad Metonen (ea Peloponneſi urbs eſt) ibiq; refocillato paululum corpuſculo, Et ſale tabentes artus in littore ponẽs, Per Maleam & Cytherã ſparſasq; per æquor Cycladas: & crebris freta concita terris, poſt Rhodum & Lyciam, tandem uidit Cyprum, &c. Paucis indicans, quem curſum in Syriam nauigatura tenuerit. Ante autẽ dixerat Roma ſe ad Pontian inſulam perueniſſe, quæ ut tradit lib. 3. Plinius contra urbem Veliã et littus Lucanũ haud longe Siculo freto abeſt, alia à Pontijs quæ iuxta Corſicã iacent. In illa enĩ Flauia Domitilla ſancta fœmina, Domitiani furore circumuẽta exulauit. Melita. Melita aũt naufragio Pauli notata, ferè medio pelago inter Lilybæum Siciliæ promonto-

insula inter Epyrum & Italiam ſpectans Siciliam ad ſeptentrione ad quam Paulus venit. Actorum ca. 28.

rium

rium, et Cercinnam Africæ inſulam, quæ ſinui magna rum Syrtiū adiacet, ponitur, cū oppido eiuſdem nominis. De ea Cicero actione in Verrem ſexta, ſic refert: Inſula eſt Melita, iudices, ſatis lato ab Sicilia mari periculoſoq; diſiuncta: in qua eſt eodem nomine oppidū, quo iſte nunquam acceßit, quod tamen iſti in textrinum ad muliebrem ueſtē conficiendā fuit, &c. Alibi textrinū illud Melitenſe uocans: ubi authore Diodoro precioſa tenuitate & mollitie ueſtis fiebat. Proxime Melitam eſt Gaulos inſula cuius terra enecare in Africa ſcorpiones Plinius tradit. Sunt & aliæ iuxta inſulæ, quæ quia medio pelago iacent, aliâs ut contra Siciliam ſitæ, aliâs ut Africano obuerſæ littori ſcriptoribus memorantur, cū tamen eædem exiſtant. Vnde & Punica gens eſſe potuit, quæ apoſtoli tempore Melitā colebant, quanquam & Colonos in ea fuiſſe Romanorū ſatis uel Publij nomine intelligitur. Ita multis in locis uſu uenit, quondā, ut Romanis Barbari mixti habitarent. Certè Lucas Barbaros uocat, non ex contemptu, ſed hoc magis eos laudans, quod tam benefici fuiſſent, trium ſcilicet menſium hoſpitiū largiti. Quod autem de Melite Lucas, hoc ferè & de Corſica Pomponius lib. 2. innuit, & ipſa mixtim habitata. Sed Pomponij uerba ponere libuit, quæ ſic habent, Corſica littori propior, inter latera tenuis & longa, præter quàm ubi Aleria & Marianæ Coloniæ ſunt, à Barba

ris colitur. Hactenus Pomponius. *Melita hodie Malta uulgo dicitur, nuperrime fratribus ſeu* Dominis *hoſpitalarijs S. Ioannis, poſt amiſſam* Rhodum, *Imperatoris* Caroli *fauore ad inhabitandum conceſſa: ne prorſus mutata conditione mari exuerentur.* Occidua *magis Sardinia eſt, & ipſa inter maximas mediterranei inſulas habita, ſpecie oblõga & in auſtrum magis quã Sicilia protẽſa.* Diſtat *ab* Affrica *ducẽtis milibus, à Septentrione* Hetruſco *mari haud magno interuallo à Corſica diſtincta.* Latus *eius orientale centum octuagintaocto milliũ paſſuum,* Occidentale *centũ ſeptuaginta millium longitudinis habet,* Plinio. Q*uin & à frontibus,* Auſtrina Borealiq; *admodũ lata eſt.* Q*uantum habitatur eximie fertilis, nec infrequẽs eſt.* Ex *oppidis uero nulla clariora ſunt* Calari *&* Sulci, *quorũ adhuc uetuſta nomina manent.* Creditum *eſt in ea herbam naſci, qua qui ueſcitur ridendo pereat: ut inde* Adagioni *locus factus ſit, Sardonius riſus, de quo in* Chiliadibus *Eraſmus.* Vetuſtiſſimi *authores tamen Sardiniæ cœlum ut triſte & peſtilens notarunt, ob paludes ſcilicet quibus abundat, ceu tradit Silius.* Hinc *illud* M. *Ciceronis lib.* Epiſtolarum *ſeptimo, in* Tigellium *Sardum, quem patria ſua peſtilentiorem dicebat.* Sed *& Suetonius* C. *Cæſarem Iudæos exoſum in Sardiniam deſtinaſſe militatum tradit, quod ea inſula peſtilente aëre eſſet.* Conſtat *& poſteros* Geneſerichi

Sardonius riſus. in profuſius ſolutiusq; ridentes. dictum

Vandalorum regis, poſt occupatam Affricam, pro Arriana hæreſi propaganda, Catholicos epiſcopos magno numero, nec ſemel, in hanc inſulã uelut pœnæ deſtinatam relegaſſe, non ita multo tempore poſt Auguſtini mortẽ. Elegãter aũt Martialis, ſubindicãs in omni loco homines eſſe morti obnoxios, Nullo fata loco, inquit, poßis excludere, cũ mors Venerit, in medio Tibure Sardinia eſt. Erat enim Tibur proxime Vrbẽ ſaluberrimi cœli oppidulũ. Sardiniã conſtare uideo poſt collapſas Romanorum res diu Saracenis Affrica potitis paruiſſe, interim & Piſanis uendicatam, quorũ uariæ in Saracenos uictoriæ quondam ſpectatæ. Cæterum Siciliæ regno ab Hiſpanis recepto, haud ægre in ditionem horum & Sardinia conceßit, hodieq; paret Imperatori Carolo. Corſica cõtra Genuam Liguſtico mari alluitur, longa centum quinquaginta milliũ paſſuum, lata quinquaginta millium, ut lib. tertio author eſt Plinius. Vniuerſa fermè montibus tollitur, & eſt uinetis cultißima: nec ignotum Italiæ uinũ eius quod uulgo Curſicum uocant. Ditionis eſt Genuenſiũ, qui & ipſi imperatori Carolo parent. Aduerſus Galliam Stœchades, ita aliquando appellatæ quod ordine iaceant, Maßilienſiũ littori appoſitæ, ut lib. tertij 5. cap. tradit Plinius. Contra Tarraconenſia littora ſitæ Baleares, & ipſæ paruo interuallo diſtant. Maiores mineresq; olim dictæ, Pomponio. Hodie Maiorca Mi-

norcaq́; uulgo corruptis uocabulis uocantur, potiſsimum duæ: omnes tamen Hiſpanicæ *ditionis.* Stœchades *autē ad regnū* Franciæ *attinent, cuius & in* Oceano Inſulæ *numerantur.* De *quibus mox referemus.*

INSVLAE OCEANI PRAECIPVAE.

EXtra *columnas* Herculis *& fretum, quod de uicina inſula* Gaditanum *appellatum diximus,* Oceanus *pateſcit, ingens mare, nec receptum* Sinibus*, ut illa maria de quibus meminimus quum ſinus potiores cenſeremus, ſed ambitu immani terras undiquaque includens circumluensq́;.* Cui *per partes ſua itidem apud authores indita nomina leguntur.* Hiſpanicus *enim dicitur, quà* Hiſpaniam *alluit: inde* Gallicus, *& à* Britannia *inſula* Britannicus, *dehinc* Germanicus, *& in terras ſeſe immittens* Sarmaticus. Rurſum Hiperboreus *&* Scythicus, *& mox aborientis latere* Sericus *&* Aeous: *tum ad auſtrum conuerſis littoribus* Indicus *quia* Indiam *alluat.* Dein Ruber, *duobus ſinibus fuſis, quorum alter* Perſicus *alter* Arabicus *dicitur.* Aethiopicus *autē* Oceanus *eſt, qui* Aethiopum *maxime* Auſtralium *terras ambit.* Hinc *ad occiduam terrarum partem circunflexus &* Aethiopicus *&* Libycus *&* Athlanticus *dicitur.* Inſulæ *multæ eius quidem, ſed rariores tamen in tanta undarum* ua-

Hispania Europę regio laetissima, omnis pulcherrima descriptione habes in Cornelio Tacito in vita Agricolę quam ipse peragravit. Roma. 15. Vide de hac Plinium li. 3 ca. 3. [illegible] Pomponium Melam li. 2. Ptolemeum li. 2 ca. 4. 5. 7. 6.)

uaſtitate uiſæ, etiamſi nuperrime quaſdam ad Auſtrum & Occidentem Luſitanica primum nauigatio patefecit. Dubium, ueteres ne an interim enatæ? In totum enim incertior eſt de inſulis traditio propter uarietatem & naſcentium frequenter apparentiumq; quæ ante non extiterant: rurſum autem ſubſidentium obeuntiumq; quorum frequens & cognita habitatio fuit. Quod quidem ex alluuionibus, terræmotibusq;, & ſi quæ aliæ ſunt imperantis Naturæ cauſſæ, quæ nos prætereunt, euenire creditur. Potiſſima Meridianarum & ab Alexandri uſq; memoria cognita orbi noſtro, Taprobane eſt, adeo ſpacioſa, ut priſcis, uelut libro ſexto tradit Plinius, altera orbis pars quam Antipodes incolerent, exiſtimata fuerit. Sita eſt è regione littoris quod Indo Gangeq; includitur: mare quod inter inſulam & continentem eſt, uadoſum ferè & frequenter ſenos paſſus altitudinis non excedere, conſtat. Plinius & Solinus inter ortum & occaſum iacere eam ſcribũt, haud explicata, ut uidetur, loquendi ratione, cum nulla inſula ſit, quæ inter ortũ & occaſum non iaceat. Exiſtimo tamen ad extantium terrarum longitudinem ueteribus Tabellis deſcriptam, obſeruatione facta ita eos prodidiſſe, quoniam à maximo meridiano haud multum abeſſe ea inſula uideretur. Palàm enim incõparabilis diligentiæ uir C. Plinius non uno loco in deſcribendis terris ſe & priſcis

& nouis Tabulis uſum teſtatur, quo maiore fide omnia redderet. Sed & comperta nuperrime longitudo extimæ Indiæ *& poſtremi* Occidentis *ita illorum authorum ſententiæ ſuffragatur, ut uerißime ſenſiſſe eos ſit fatendum.* Abundare *& gemmis eam inſulam & margaritis, auriq; & argẽti amore & æſtimatione* [illegible] *teneri traditur.* Elephanti *in ea maiores quàm* Indici, *homines autem ut in temperato aëre maxime longæui.* Quo *uel ſolo argumento patere poßit intra circulos tropicos non tam moleſte habitari terras, quàm uetuſtas, egregia illa ueritatis magiſtra experientia deſtituta, prodidit.* Sophronius *author eſt, & à* Candaces *reginæ* Eunucho *cuius* Lucas Actorum *capite octauo meminit, hac inſula* Chriſti Euãgelion *eſſe prædicatum.* Plinius *regem legere inſulanos ſolitos innuit, ſenio & clementia ſpectatum, nec admiſſum aut retentum cui liberi eſſent, uidelicet ne tyrannide efferretur ſucceßio & hæreditarium hoc modo regnum fieret.* Quin *& capitis damnari ſolitum tradit ſi quid ille facinoroſum deſignaſſet.* Eadẽ *& principes & priuatos illo loco iudicij ſeueritas manſit.* Nec *inultum fuit ſcelus à quocunq; commiſſum.* Puto, *quia grauius peccant principes in exemplum tracti, quàm peccare priuati inglorijúe poßint.* Certum *autem uel recentiore indagatione,* Auſtrales *inſulas rebus propè omnibus abundare, quæ continenti, hoc*

Candare regina fuit Aethiopie. [illegible] Eunuchus a Philippo baptizatur. Actorum. 8. ... har Plinius li. 6 na. hi. ca. 29. Raphael Volaterr. li. 12. geo.

eſt,

eſt, Indiæ, Arabiæ, & Aethiopiæ tribuuntur, uerum in portus & emporia iam dictarum regionum conuectæ in nomen mercium continentis tranſeunt, & Indicæ, Arabicæ, atque Aethiopicæ uocantur. Opes autem illas diues naturæ parẽs, ita his terris reliquit, ut & ſingulis proprias quaſdam, rurſum, & communes omnibus dederit. Sola India piper mittit, granum ſcilicet toſtum ſole, & de arbuſcula non abſimili Iunipero collectum, niſi quod illa ſiliquas etiam habet granis fœtas, quæ & ipſæ antequam dehiſcant, lectæ ac toſtæ ad ſolem, piper illud faciunt quod longum uocamus, authore Plinio. Sed & Macir, id eſt cortex ille odoratæ nucis ſeu folliculus quem uulgus Macem uocat, cum nuce ſua ex India affertur, Greci κάρυον μυρίσικον, id eſt, nucem unguentariã uocãt ipſam, quæ noſtris muſcata dicitur ut in Corollario tradit Hermolaus. Eſt & Gariophilon Indiæ fructus natus in arbuſcula duorum cubitorum, cui buxeus color, cortex pallidus, parua folia & Cyperi modo denſa. Arabia ſola omnium terrarum Thus ædit, de quo in Eudæmone diximus, & Cardamomum, quod ei peculiariter tribuitur. Aethiopia autẽ quæ Trogloditica cognominatur Cinnamum ſeu Cinnamomum gignit, fruticem duorum cubitorum in cuius cortice ſumma gratia eſt. Atque hæ quidem propriæ ferè horum tractuum merces ſunt. Communes habet India marga-

ritas, cum Arabicis & Perſicis littoribus duntaxat præſtantiores, ignobiliores enim & in Mediterraneo & Britãnico Oceano reperiri libro nono ſcribit Plinius. Lignum Hebeni magno quondam æſtimatum, India quidem mittit, ſed præſtantius Aethiopia, fruticoſum enim Indicum eſt, Aethiopicum autem enodi trunco, & parte medullacea nigrum, durum, graue, quod & à Marone intellectum arbitror Geor. 2. Sola India nigrum fert Hebenum &c. Nam & Dioſcorides & Plinius Hebeno Aethiopico nigrorem præcipue tribuunt. Neque rarum Vergilio, Indiæ nomine Aethiopiam, ac rurſus Aethiopiæ uocabulo Indiam ſignificare. Quare adductus Seruius uideatur, ut dixerit Poëtam in carmine paulo ante citato omnem Aethiopicam plagã intellexiſſe. Siquidẽ & Ptolemæus in India Aethiopas quoſdam cenſet, unde & promiſcuum uocum uſum enatum eſſe uideri queat. De Nili enim ortu locutus Maro libro Georg. III.

Vſque coloratis amnis deuexus ab Indis.

Aethiopes ſignificat. Contra, libro ſecundo:

Quid memorem Aethiopum molli canentia lana Vellera? &c. Indi haud dubie intelliguntur, quos Aethiopes nominat. Præter enim Seres, & in Indiæ & Arabiæ tractu lanigeras eſſe arbores, Plinius & Theophraſtus ſunt authores. Hebenum autem Theophraſtus ſcribit cortice buxeo eſſe lignum, intus nigrore

grore ſpectatũ, cum ſumma duritia. Vt adducar coniectura hoc ipſum eſſe lignum, quod nuper ex inſulis nouo medicæ ſalubritatis præconio aduexerunt, & Guayacum cognominarunt, potionibus aduerſum ulcera Gallici morbi accommodiſsimum. Enimuero & ipſe Plinius libro uiceſimoquarto Hebenum ueteribus medicis in erodendo uſui fuiſſe teſtis eſt. Sed & puſtulis & deſtillationibus mederi Dioſcorides tradit. Sæpe autem accidit, ut rerum uſu ac memoria intercidente pro nouis quæ ſunt uetera recipiamus, & econtrario præualente conſuetudine uetuſta uideantur uulgo, quæ nuper nata excogitataq́; & recepta ſunt. Zinziber autẽ, ſiue, ut Plinius, Singiuer & Singiber, radix candida, Arabiæ & Aethiopiæ communis eſt. Quidam eam piperis radicem crediderũt, falſo. Humilem herbam gignit, nec alia uſquam radix eſt quæ facilius cariem ſentiat. Ea de re tingere eam mercatores ſolent, ne facile uetuſtas queat deprehendi. Myrrham optimam mittũt Arabes & Aethiopes, debilior enim Indica eſt, ſed illis tamen cognata. Maſticen & Arabia & India præſtant, ſed utranque tamen uincente Chia, ut ſupra eſt dictum. Aloë precioſiſsima ex India eſt, deteriorem præſtat Syria. Succus eſt amariſsimus, ex inciſo fruticis caule, & folijs, præterea etiam ſponte effuſus, celeberrimo rei Medicæ uſu. Coſtum commune eſt Afris & Nabatæis. Fo-

lium, peculiariter ſuggerit India, unde foliatum unguentum dictum eſt Dioſcoridi. Ladanum ex Arabia optimum uenit. Caſia & huic & Aethiopibus communis eſt. Sicut Indis & Arabibus calamus odoratus, qui tamen & apud Syros haud procul Libano monte legitur, ſed Auſtrino illi incomparabilis. Myrobalanon Aethiopes uendunt, præterea & Arabes & uicini Aethiopibus Aegyptij. Iuncus uero odoratus non niſi ex Africa, quod ſciam, & ex Arabia uenit. Nardum æſtimatiſſimam mittit India, frutex eſt in folia & ariſtas excreſcens, præcipuus uero uſus folijs & ariſtarũ cacuminibus, quas ſpicas uocant. Syriaca, Cretica, Gallica, herba eſt, Indica autem frutex. Sed de nardo ſupra dictum eſt. Non ommittendum & Saccharum, ſeu ut uulgus Zuccarum, ex India, Arabia & inſulis Auſtrinis magna copia ſummitti. Quanquam & Aegyptus hodie & Cyprus, Creta, Rhodos, & Sicilia, cõficiant. Humor eſt melleus de arundinibus collectus, cuius olim parcus uſus, nũc frequentiſſimus eſt. Libuit autem iſthæc in tranſcurſu commemorare, ut, quoniam inſularum Auſtralium meminiſſemus, Lector ſimul intelligeret quæ inde potiſſimum merces, quæ Aromata, ut uocant, & quibus maxime ab oris ad nos adueherẽtur. Gemmis quidem in totum ea pars orbis abundat. Plane natura toto illo prouentu rerum tam precioſarum nec inſalutaris fuiſſet nec

in com

incommoda, quippe quæ tot modis prodeſſe eſt conata, niſi libido inſatiabilis & luxus intemperãs rerum uſum uitiaſſet, precijs etiã ad immenſum auctis, quæ nequirent tamen eſſe immodica, ſi quibus licet, & quoad deceret quibuslibet uteremur. Circum Taprobanen & oram Indicã multæ aliæ ſunt uaria rerũ ubertate prædicatæ, inter quas quæ auro argentoq; abundent, memorantur. In Aethiopico littore itidem plures nec diſpares illis magnitudine. Sicut & in Africæ parte quæ ad occaſum ſpectat, maxima inſularum America cognominata obtenditur. Deinde longiſsimo ab occaſu Continentis interuallo, Spagnolia, & ultra eã Iſabella, dein Parias dicta, nuperrimis exploratoribus. De quibus quanquam priuatim proditũ eſt ab his qui ſe nauigationũ authores & claßium Præfectos fuiſſe aſſerunt, tamen quoniam Regum, ut ante quoque admonui, ampliori cura ad plenum excuti ea locorum ratio poteſt, pleraq; autem quæ nunc incertiora feruntur, ita nota fieri, ut omnis ambiguitas de medio tolli poßit, ſilendum de illis hoc loco ſatius duxi, quàm fuſius referendum. Poſtremo & anguſtia inſtituti operis, & quoniam priora mihi propemodum inuito amplius excreuerunt quàm ratio inſcriptionis ferat, ut ſuperſederem admonuerunt. Non potui autem temperare mihi, quando dignum annotatione uidebatur, quin Raphaëlis Volaterrani recen-

tiſsimi ſcriptoris ſententiã de Africæ latitudine excu terem, primum ambiguam, deinde talem quæ ſecum etiam ipſa pugnet. Nec id facio ueluti gloriolam captans, in errore tanti alioqui uiri detegendo, quem equidẽ lucubrãdo multis in locis ſum ſecutus, ſed hac maxime cauſſa, ut, quoniam recentiorũ traditionem imitatus Aethiopum tractum ultra Capricorni circu lum in Auſtrũ abire docuiſſem, æquũ mihi Lectorem (quem procliue erat tanti ſcriptoris haud ſatis expen ſo præiudicio perſuaderi) ſimul, & ſuſpitione liberarem, & meam fidem redimerem. Igitur libro duodecimo Commentariorum urbanorum, de locis nuper repertis ſcribens: Ego uero, inquit, nullum extra Zodiacum Continẽs ex authoritate doctorum hominum puto, neque ſi eſſet, habitabile omnino foret, ob ſolis humilitatem ex Abſidis oppoſito apud eos conſtituti &c. Quam ſententiam triceſimoquinto libro, in explicãdo ſolis motu, ſed perplexius tamen de Continente locutus, repetit. Contra uero idem author, neſcio an oblitus ſui, ut fit ſæpe, an non ſatis gnarus qui diceret, iam ante citato duodecimo libro, ultimum Athlanticæ oræ promontorium, ad quod terræ ſeſe in ortum reflectere incipiunt, ad Antœcos noſtros pertinere, ſed & extra æquinoctialem circulum triginta amplius partibus iacere tradit. Quod ipſum ſi ita habet, conſequẽs eſt, & extra Zodiaci metas Con tinen

tinentem eſſe, & Africam ad latus Antarcticum multis gradibus patere, & habitari mortalibus, quod paulo tamen ſupra pernegat. Notius autem eſt quàm ut egeat explicatione, Terras quæ ab Aequatore partibus uigintiquinque aut Boream, aut Notum uerſus abſcedunt, iam extra circulos Tropicos eſſe. Si igitur Raphaëli Africæ continens una & triginta partibus ab Aequinoctij circulo in meridiem panditur, conſtabit arbitror uel ſe authore, Africam ſeptem minimum gradibus ultra mediam illam Zonam ad decliuem mundi partem, abſcedere. Quod ſi ipſe, Romæ commentatus, eos eſſe Antœcos intelligit, qui extra Zodiacum æquis ab Aequatore ſpacijs utrinque diſtant, ſicut ipſe ſecũdo libro de Antœcorum ſitu prodidit, fatebitur, uelit nolit, quadraginta minimũ duobus gradibus Auſtrinam plagam in meridiem extendi, ſiquidem tot partibus urbs Roma Septentrionem uerſus ab Aequatore ſummouetur. Iam quod de Abſidis, hoc eſt Augis Solis oppoſito loco admonet, etiam ſi uehementem illius partis æſtum arguit, tamen non prorſus aufert habitationẽ, quod ipſum præter cauſſas ab Alberto redditas, cottidiana experientia conuincitur. Vt donemus interim quod eodem lib. XII. tradit neminem ad partem uiceſimamſeptimam noſtri poli, propter glaciem rigentem appropinquare poſſe: cum recẽtior traditio ultra latitudinem à Ptole

tribus, quo ad Chriſtum cõuerſi, ſalui fierent. Sed non fuit hoc in manu Pauli aut ullius apoſtoli. Quod enim remittitur peccatum, quod cõfertur ſpiritus iuſtitiæ, ſolius Dei opus eſt. Lydiæ Thyatirenæ dominus aperuit cor ut intẽderet his quæ dicebantur à Paulo, Act. 16. Proinde nõ eſt ut in hominibus gloriemur. 1. Corinth. 3. Dominus addit congregationi ſanctorum illuminatos ſuo ſpiritu. Act. 2. Paulo igitur Antiochiæ concionante, illi crediderunt qui ordinati erant ad uitam æternam: reliqui ſurdis auribus offenſi magis quàm perſuaſi, perſecutionem mouẽt in Apoſtolum. Proinde multi audiũt Chriſtum loquentem etiam ex diſcipulis, qui ab ipſo deficiunt nec amplius cum illo ambulant, Ioan. 6. Multi baptizantur qui nec habent nec recipiũt cum baptiſmo ſpiritum, ſed cum Simone mago nullo fructu ſimulant: multi in dominica cœna participant, quibus nec corpus domini cibus nec ſanguis eius potus eſt, ſed non credentes, non etiã dijudicant, & indigne ſumunt. Quod profecto non fieret, ſi, qui ſignum adhibet & impertit, miniſter, idem ſpiritum fidei per ſignum daret & mentem recipientis eoipſo in melius mutare poſſet. Ita arbitror uim totã abſolutionis ab eius fide pendere qui abſoluitur, non ab eius authoritate qui denunciat abſolutũ. Vere abſoluit ſeu remittit, qui fidei dono cor ſerenat. Quod ſi dura eſt ceruix & incredulus manet animus, ita de=

ſperatus

ſperatus eſt morbus, ut ne Paulus *quidem curare eum poßit.* Hæc *autem non ad contemptum miniſterij, ſed ad aſſertionem gloriæ* Dei *attinēt, nempe illius quam miniſterio in totū* Apoſtolus *detrahit, negās aut in ſe, aut* Petro, *aut* Apollo, *aut ullo homine gloriandū, ſed in eo ſolo cuius eſt incremētum.* Nihil *minus interim ſuo intentus apoſtolatui, ne periculū quidem uitæ pauescit, ut per* Euangelij *curſum ad dominū conuertantur, quibus eſt datum.* Hæc *enim eſt uoluntas domini, ut prædicetur* Euangelium, *ut munus miniſterij magna cura, ſedulitate, uigilantia exerceatur, ut importune & opportune inſtent epiſcopi, quo quàm plurimos adducant* Chriſto. *In hoc enim abiturus in cœlos miſit apoſtolos, ut uerbo etiā externo annunciaretur redemptio,* Eccleſiæ *coaleſcerent,* Baptiſmo & Euchariſtia *uegetarētur, ſouerentur credētes, abijcerentur increduli: præſidente ſemper & moderante omnia per ſpiritum fidei* CHRISTO, *cuius ſolius eſt interni uerbi adminiſtratio, qui nouit qui ſint ſui, qui nobiſcum manet uſq; ad ſæculi conſummationem, qui erigit infirmos, afflictos conſolatur, ſtantes cōſeruat.* Legimus *quidem in* Actis *etiam* ~~Apoſtolum~~ *impertijſſe ſpiritum uirtutum & miraculorum, ſed non niſi credentibus, hoc eſt, his qui à domino ſpiritum fidei accepiſſent, his enim ſolis impoſuerūt manus.* Sed *ut ad* Piſidas *reuertamur, non tacendum quod* Plinius

tradit, Solymos aliquando uocatos eos à Solymo, arbitror, regulo fratre Mily*æ eius quam* Cragus *uxorem habuit.*

CILICIA.

De qua multa Strabo li. 14; Mela in .1. Plinius li. 5. na. hi. ca. 27. Ptolo. in 5. ca. 8. Vide quoque Volarez li. ii. geographie. In ea Paulus Christum predicavit. Gala. ca. 1.

NVnc Cilicia *reddenda, quæ authore* Curtio, *propemodum tota, niſi ubi pelagus eſt, montanis includitur.* A *ſeptentrione* Cappadocia *terriſq; à nobis in minore* Armenia *recenſis, ab ortu* Syria, *ab occaſu* Pamphilia, *ipſo in uniuerſum* Tauro *ſequeſtro, dirimitur.* Auſtrinum *latus, maritimū eſt, ad* Iſſum *uſque oppidum, ſinui quem ante* Ißicum *uocari diximus, immiſsum.* Eo *loco anguſtiæ per montē* Amanū *tranſmiſſæ* Syriam *aperiunt, portæ* Amanicæ *&* Pylæ, *&* Syriæ *etiam portæ ſcriptoribus cognominatæ, quod portis (ſicut &* Sarmaticæ *&* Caucaſiæ) *præmuniri & claudi queant.* E *diuerſo & ab occidente iuxta* Anemurium *promontoriū & amnem* Melam, *ferè exaſperant eam montana, in quibus &* Ciliciæ *alicubi portæ ſunt, periculoſo* Alexādri *tranſitu notæ.* Oppidis *circum, caſtriſq; inter aſperas conualles poſitis, proinde &* Græcis *ea* Ciliciæ *pars* τραχέοτις *cognominata eſt.* Vnde *illa eſt apud* Strabonem *lib. 14.* Ciliciæ *in aſperam & planam ſiue campeſtrem diuiſio.* Cāpeſtris *ferè ubiq; fertilis eſt, & ut ait* Marcellinus, *bonis omnibus diues, maxime ubi* Amano *è* Syriæ *finibus approximat.* Gentes *illic cōmixtæ,*

nomen

nomen etiam miſcuerunt, & Syrocilices dictæ ſunt. Amnes in Cilicia celebres, Pyramus & Cydnus. Vrbium notiores quondã, Iſſos, Rhoſus, Mallus, Mopſos, Anchiale, Aegeæ, Solæ & Cæſarea apud Anazabũ cognominata. Quarũ omniũ metropolis Tarſus fuit, clariſſima ciuitas, & quã Romani incolumi etiamnũ imperio, propter dignitatem & uetuſtatem, liberam eſſe uoluerũt. Cydnus eam amnis è Tauro lapſus perfluit, non admodum magnus, ſed liquore, ut tradit Curtius, memorabilis: quippe leni tractu è fontibus labens puro ſolo excipitur, nec torrẽtes incurrunt, qui placide manantis alueum turbent. Proinde incorruptus idemq; frigidiſſimus, & ubique fontibus ſuis ſimilis in mare euadit. Strabo lib. 14. mederi eum neruorũ doloribus, tradit: quod & Philoſtratus in libris de Apollonio, prodidit. Alexander fluminis amœnitate captus, cũ in eo lauiſſet, grauiſſimo morbo correptus eſt. Supra autem monuimus Friderichum Aenobarbũ Imperatorẽ, in Cilicia, pari lauandi ſtudio delectatum interijſſe. Hæc eſt Tarſus quæ Paulum nobis apoſtolum (ſicut ipſe Actorum 21. & 22. capite indicat) genuit, uirum citra controuerſiã ſanctiſſimũ, & quem eruditionis excellentia cæteris apoſtolis præferre non dubitauit uir doctiſſ. Cæſarieñ. Euſebius. Vt mirũ non ſit, in tot locis, tanta diſciplina, grauitate, conſtantia, haud ita multis retro ſæculis Chriſtianam fidem per

Tarſus.

Vide Volater. li. 10. geogra. Erasmus in adnotationibus suis in Acta ca. 21.

tot celebres eccleſias, Cilicā coluiße, quæ tā fideli iam olim Doctore *profecerit.* Teſtantur *hiſtoriæ de* Tarſenſi *eccleſia, & epiſcopos illius magnos uiros fuiſſe docent.* Memoratur *&* Rhoſenſis *contio, &* Aegea *Ciliciæ ante* Aeſculapij *Fano culta, mox* Chriſti *oraculis celeberrima. In aſpera* Cilicia Seleucia *fuit* Calicadno *amni impoſita, quam aliqui* Iſauriæ *quæ proxima* Ciliciæ *eſt, tribuerunt.* Plinius Tracheotin *uocatā fuiſſe, ſine dubio ob ſitus aſperitatem, admonuit. Celebrem fuiſſe uel illud argumento eſt, quod ſynodum aluit* Seleucienſem *cognominatam, cuius* Theodoretus *meminit.* Solos *oppidum* Pompeius, Pyratico *bello confecto, & plus mille trecentis nauibus combuſtis,* Pompeiopolin *de ſe uocauit, captiuis ex pugna, quos uita dignos iudicaſſet, eò deductis.* Obiter *corrigēdus* Curtij *locus eſt, apud quem lib.* III. *legitur* Alexandrum *uiribus corporis receptis ad urbem* Solis *peruenisse &c. ubi nō* Solis, *ſed* Solos *legendum, ut ſit* Soli *pluralis numeri, à quo* Solenſes *dicti, ceu* Aratus *ille (qui à* Paulo *citatus creditur* Act. 17.) Solenſis *fuit, cuius de aſtris opus* φαινόμενα *inſcriptū extat. Ab eadē &* Solœciſmus *dictus, ſicut à* Cilicia Ciliciſmus, *ſermo rudis & barbaſculus.* Profuerit *fortaßis et hoc annotare,* Hermolaum Tarſis *nomine in ſacris literis* Carthaginem *magnam ex* Euſtathij *authoritate intelligere, cum* Hieronymus *tamē quæſtionibus in* Geneſim

neſim, Ioſepho innixus, Ciliciã intelligat, & θ abuſu in τ deprauatum retur. Tarſi ſuburbana, Iulianum apoſtatam condiderũt, quum in pugna contra Perſas ſuſcepta ex uulnere interijſſet, Anno tertio imperij, ſeptimo ex quo Cæſar à Conſtãtino fuerat ordinatus, uitæ anno XXXI. authore Socrate. Dignum autẽ relatu Antiochẽſes adeò nuncio mortis eius gauiſos, ut feſtum tripudium egerint, uehementiſsima illa acclamatione per totã urbem intonante: Maxime fatue ubi ſunt tua uaticinia? Vicit Deus & Chriſtus eius. Interminatus enim erat ſe Gallilæos (ita Chriſtianos uocabat) poſt uictoriam de Perſis relatam, repente ſubuerſurum. Quum igitur militiæ imperator ageret, caſu quodam Iuliani magiſter Sophiſta Libanius Pædagogo cuidã Antiochiæ Chriſtiano, obuiam factus, illud ſcomma obijcit: Quid putas, nunc agit ille Fabri filius? Reſpõdit mox Pædagogus: Iuliano concinnuit loculum. Significãs breui ſepultum iri tyrannum, qui Chriſtum tantopere perſequeretur. Nec uanum reſponſum fuit, quũ mox paulò, occiſi Iuliani fama tota urbe percrebuiſſet.

Iulianus ipe rator Christi anos solebat Ga lileos nũcupare. qd Eusebius li. 10. Ecclesi. histo ra. 35. & alias se pe memorat.

PAMPHILIA.

P*Amphiliam perinde atq; Ciliciam, ſed curuato magis ambitu Taurus inſinuat, frequentiſsime habitatam regionem, nec minus claris amnibus perfuſam. Diremit eam à Cilicia Pomponius, Anemu*

rio promõtorio, Plinius Mela amne, Ptolemæus Tauro ea parte ad littus digreſſo. Mopſopiam aliquando dictam conſtat, quoniam Mopſi uetus regnum fuiſſet. Amnis in ea celeberrimus Eurymedon, poſt quē Oeſtrus & Cataractes, quibus ab impetu data nomina uidentur, fundit eos Taurus, ea parte Sardemiſus, qua Lycias à Pamphilijs diſterminat. Lycijs enim & Phrygibus ab occaſu, ut ab ortu Cilicibus Pamphilia coniungitur, partem auſtrinā mare alluit, portuoſis ſinibus perquam cõmodā, in quibus & frequētia oppida iacent. Attalia. In primis Attalia ab Attalo cognomine Philadelpho dicta ſi Straboni credimus, & Sida à Cumanis Aſiæ condita. Perga. Fuere & Perga inter præcipuas ob Fanū Dianæ, quæ inde Pergea dicta eſt. Præterea Aſpendus, & ultima Pamphiliorum Phaſelis, Pomponio. Pergam uenerūt apoſtoli, Paulus & Barnabas, è Papho maritima Cypri urbe traiecti, Actorum 13. atque inde Antiochiā Piſidiæ profecti, demum in Lycaoniam uenerunt, inde rurſus Pamphiliam ingreſſi ſermonem locuti ſunt Pergæ, deſcenderuntq́; in urbē Attaliam, atq; inde rurſum in Antiochiam Syriæ unde primū erant egreſſi uenerunt, ſicut Lucas Act.14. ſcribit. Non eſt autem, ut perſuadeamus nobis aut hūc Lucæ aut conſimiles alios ſcripturæ locos, recte accipi aut intelligi docerìue poſſe ſine pertinente regionum cognitione, quam tamen ex diligēti demonſtra-

tione

tione & apto Chartarum uſu, diſcere paucis mēſibus ſtudioſi haud multo labore poßint, modo huic diligentia acceſſerit. Sidæ quidē apoſtolos egiße nō legimus, præſtitit tamen illa urbs memoria Euſtachij *ciuis ſui, qui prius* Berrhoeæ Syriæ, *mox &* Antiochiæ *epiſcopus &* Arrianorū *artibus oppreſſus*, Traianopolim Thraciæ *urbē*, Conſtātij *iuſſu relegatus eſt, authore* Hieronymo. *Inter præclara eius opera uolumen extitit cōtra* Origenem *æditū de* Engaſtrimytho, *hoc eſt*, Pythonico, *qui dæmonio afflatus, uaticinatur.* Tales *enim* Græcis ἐγγαστριμύθους *uocari* Cœlius *ſcribit lib. 5. quod tantundē eſt quaſi uentriloquos dicas.* Vt Auguſtinus *quoq;* Pythoniſſam *cuius* Lucas Act. 16. *meminit libro de doctrina* Chriſtiana *ſecundo, uentriloquam uocauit uelut reddita* Græca *uoce.* Quem *locum* Gratianus Pandectis *ſuis inſeruit 26. q. 2. cap.* Illud *quod. Dicti autē ita uidentur, quod uentrem & præcordia, hoc maxime tempore dæmon agitet, quo fanatica illa oracula proferuntur. Inde inſanire & furere etiam uates dicti ueteribus, ut* Maroni *lib. 6.*

Non uultus non color idem:
Non comptæ manſere comæ, ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument. Item:
Bacchatur uates magnum ſi pectore poſſet
Excußiſſe Deum, *tanto magis ille fatigat*
Os rabidum fera corda damnans, &c.

domans.

Que ad Paulu[m] a Silam dicebat. Vos estis serui dei ... Et Paulus. Acto. 16. ...

Hoc ipſum autem animabus quibuſdam in corpora delegandis, per præcedentia quædam commerita accidere libro 3. Periarchon Origenes ſcripſerat, quem admodum de eo in epiſtola ad Auitum tradit Hieronymus. Pueros item & penè lactantes malis repleri ſpiritibus, & in diuinos atque hariolos inſpirari aſſeruerat, adeò ut Pythonicus dæmon teneram etiam ætatem poßideret. Contra, Sancto ſpiritu alios, etiam in utero donari aßerebat, Ioannis exemplo qui Chriſtum agnouerit & adorarit nondũ æditus. Quem errorem tanti uiri, uidelicet quod merẽdo demerẽdóue bonos ac malos ſpiritus animæ ſortirẽtur, necdum natæ in lucem, & quod Pythones naſcerentur, puto Euſtathium reuelliſſe. Alioquin ſatis conſtat, & ſcriptura teſte receptum, ſed & compertum, animos hominum agitari dæmonijs, & oracula promi plerunq; uera, quibus tamen fidere nemo pius debeat. Certe proxime præterito anno uiſus eſt Engaſtrimythus adoleſcens in Rhetia noſtra, qui ſtato tempore correptus dæmonio & acerbe agitatus, atque inde decumbens pluſcula tanquã de ἐκςασι locutus eſt, obſcuris uera inuoluens, ut dixit Poëta: ſed & palàm collaudans dogmata ex confeſſo impia, ſi fortè parum attentis pro ſuo more poſſet imponere. Vidit eum puerum & audiuit nugantẽ, uir doctißimus Ambroſius Blaurerius, cum in Rhetia ſuperiore Chriſtũ prædicaret: Vſ=

Qui pre gaudio exultauit in utero Helizabet matris sue. Luce 1 ca.

Legitur Leuitici 20 ca. cum p[er] Mosen pro lege diuina precepisse. Vir siue mulier in quibus pythonicus vel diuinationis spiritus fuerit morte moriantur lapidibus obruendos. Et Saul pius rex Iude eum fecisse legitur qui abstulit magos et hariolos de terra et interfecit eos qui pythones habebant in ventre. Qui tamen ipse contra legem suam lata muliere pythonem habente consuluerit ad Samuelem suscitandum. Et 1. Samuelis ca. 18 scribitur. Item contra preceptum domini Deuteronomii 18 ubi precipitur ne hariolos sciscitemini nec somnia obseruemus neque augurias, ne sit maleficus neque incantator ne pythones neque diuinos consulat, a mortuis veritatem inquiramus.

Vſqueadeo ne nunc quidem quicquam candori euan
gelico à deceptore illo ſpiritu tutum. Non abſimilis
huic præſagio nuper Anabaptiſtarum fanaticus ille
ſomnus erat, quo correpti ſenſim decumbebant, inde
ingenti ſudore exorto iacebant, tantillum immoti, do
nec apertis oculis, ac uelut reſpirantes ægre ſe in pe-
des erigerent, cõtinuo inclamãtes, Diem domini præ
foribus eſſe, quibuſdam etiam annũ & diem indicere
auſis, quibus iudicium ſupremum expectaremus. Fer-
tur & Mahumetem Engaſtrimython fuiſſe, & mor-
bo Cõmitiali laborare creditum, quum dæmonio ta-
men agitatus prophetaret. Pamphilia hodie ſicut &
Cilicia & reliqua Aſia minor, Turcarum ditioni pa
ret. Mahumeticam & ipſa impietatem recipere coa-
cta. Quæ tametſi unum Deum colendum iactat, &
hiſtoriam ueteris Inſtrumẽti prætexit, tamen quia cæ
ca Chriſtum dominum non agnoſcit, & Trinitatem
etiam reſpuit, nihil leuiore dementia iam in his locis
laboratur, quàm cum Dianæ & Ioui, Neptuno, Apol
lini & Aeſculapio, decantatiſſimis quondam Aſiæ no
minibus uano ritu & impoſtrice fiducia ſacra fierẽt.

LYCIA.

A Phaſelide & eo flexu Tauri quem diximus,
Lycia ſeſe aperit, clariſſima quondam Aſiæ
regionum, & ſexaginta oppida complexa, è
quibus tamen Pauli apoſtoli ætate triginta ſex tantũ

extiterint, reliquis partim bello, partim terræmotu diſiectis. Taurus *eam nõ includit modo ut* Pamphiliã *uerumetiam ingreditur,* Maßycites *interdum, &* Cragus, *atque etiam* Anticragus *&* Laodiceam *uerſus,* Cadmus *appellatus,* Straboni, Plinio, Ptolemæo. *Orã maritimam* Telmeſſus *finit, uetus oppidũ, ad* Cariam *reliquum oræ quod contra* Rhodum *eſt, inflectẽs. Primariæ urbes* Lyciæ *fuerunt,* Xantus, Patara, Pinara, Olympus, Myra, Tlos. *Amnium in mare cadentium* Xãthus *è* Crago, Lymira *è* Maßycite *fuſus. Diuerſo à latere* Lycus *eodẽ monte delapſus, perq́;* Lycaonas *&* Phryges *means* Mæandrũ *ingreditur.* Liuius *octauo libro belli* Macedonici Nilum *uocat amnem illis locis celebrem, cuius et* Plinius *libro quinto meminit. Eſt in* Lycia Chimera *mons, noctibus flagrãs, nec procul eo* Ephestium *oppidum & ipſum flagrantibus iugis, ut ait* Plinius. Patara Fanum Apollinis *habuerũt, magna frequentia celebratum, unde* Patareus *cognominabatur. Sed ceſſerat euangelio* Christi *uetus impietas. Ad eam urbem* Paulus *ex* Epheſo *nauigans appulit, inde* Tyrum Phœniciæ *uectus.* Act. 21. *Cum factam eſſet, inquit* Lucas, *ut ſoluiſſemus auulſi ab eis, recto curſu uenimus* Coum, *& ſequẽti die* Rhodum, *& inde* Pataram, *& nacti nauem quæ traijceret in* Phœnicem, *ea cõſcenſa ſoluimus: cum autẽ incepiſſet nobis apparere* Cyprus, *relicta ea ad ſiniſtrã, nauiga*

Patara.

uimus

nimus in Syriam, & uenimus Tyrum, nam huc nauis exponebat onus &c. Erat autem Cyprus hoc modo quo Lucas tradit, prӕternauiganda & ad ſiniſtram relinquenda recta in ~~Cyprum~~ nauigantibus. Quod è tabularum deſcriptionibus planiſſime diſcitur. Lyciӕ quoque Myra eſt, maritima urbs in cuius portu, Apo- Myra.
ſtolus iam captiuus in Alexandrinã nauẽ quӕ Italiam petebat, tranſpoſitus eſt, Luca eum & Ariſtarcho Macedone comitantibus. Actorum 27. Quo in loco obſeruandum quod cum antea è Patarӕo portu recta Tyrum nauigaſſet Apoſtolus, iam nũc à Centurione reductus, alia uia & obliquiore quidem nec ſine diſpendio nauigat, ſublecto uidelicet oriẽtali Cypri latere, eoq́; emenſo pelago, quod Cyprum à Cilicia & Pamphilia dirimit, idq́; factum, quo colluctans uentorum impetus declinaretur, arripi enim in alto nauis, et longe ab inſtituta profectione repelli potuiſſet, ſi conſuetam profectionẽ ſeruaſſet. Vt enim in terris alia ſubinde pro re nata, atque alia itinera ſuſcipiuntur, ita & in pelago uariant pro cœli & uentorum diſpoſitione, conſilia. Quanquam incertiora omnia ſunt nauigantibus. Nihil enim minus aut fidum aut conſtans pelago eſt. In Hieronymi libello de locis Actorum, quidam Hieronymum citans, non Myram, ſed Smyrnam legendũ putauit, cum longe diuerſo latere Aſiӕ & in Ionici littoris receſſu Smyrna iaceat. Myram

autē Lyciæ, præter alios & Plinius agnoſcat & Strabo. Sed et ipſe in primis Lucas tam fidus Pauli comes, & hiſtoriæ apoſtolicorum Actorum author. Stephanus item de urbibus, in Lycia Myram locat, cui præterfluus amnis Myras nomen impoſuerit. Plinius urbē Olympum interijſſe ſignificat, cum Hieronymus tamen Methodium ei clarum uirum, qui ſub Decio imperatore floruerit, tribuat. Et qui mox paulò Tyri epiſcopus demum in Chalcyde Syriæ martyrio fuerit coronatus. Sed fieri potuit, ut à ruinis fuerit reducta & inſtaurata, quod ſanè multis per Aſiam urbibus terræmotu collapſis contigit. Non tacendum, Lyciorum quondam quemadmodū & Cilicum florentiſſimam rempublicam fuiſſe, & ad Italiam uſq; dominatu marino pertigiſſe, quemadmodū Cilices ad Peluſiū Aegypti promotis finibus, ipſis etiam Cappadocibus, Armenis, Pamphilijsq; & Lycijs dominati fuerunt. Hodie regna illa tam celebria quondam & nunc quoque tot nominibus memorabilia, Turcæ ſeruiunt, Turcæ inquam qui de infimo & mercenariæ militiæ gradu, ad eam ſublimitatem deſidia noſtra aſcendit, ut imperio iam non in Aſia ſolum, ſed in Europa etiā inſigni & opulento præſideat.

Aſia

ANtequã de Caria diceremus, repetere de Aſia atque indicare placuit quæ pars Cherronneſi proprie minori Aſiæ tribueretur. Quod uiderem aliquid inde lucis ſacræ etiã hiſtoriæ acceſſurũ. Supra autem dictum ab intimo Iſſico ſinu ad Trapezuntem Ponticam urbem, initium peninſulæ ſumi quæ minor Aſia dicitur, tametſi lib. 14. Strabo à Tarſo & Cydni oſtijs, uſque ad Amyſum Paphlagoniæ, uerum Iſthmum menſus eſt. In hac ergo Aſia, rurſum alia eſt, proprie minor dicta, ſed diuerſis finibus terminata ſcriptoribus. Agrippa enim duplicẽ fecit, teſte Plinio. Nos delectu habito, primũ Ptolemæi ſententiã referemus, deinde & Lucæ explicabimus hiſtoriam, quæ proprios minoris Aſiæ terminos indicabit. Ptolemæus quinto libro, Aſiam proprie dictam includit à Septentrione Bithynia, à meridie Pamphilia & Lycia, ab ortu Galatia, ac occaſu Aegeo mari. Quam partitionem ut receptã haud dubie & eo ſæculo uulgatam, ſecutus uidetur Petrus apoſtolus dum prioris epiſtolæ primo capite: Petrus, inquit, apoſtolus Ieſu Chriſti, aduenis ſparſim incolentibus, Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, Bithyniam &c. Vbi Bithyniam & Galatiam ab Aſia ſeiungit, nimirũ hanc ipſam intelligẽs quam Ptolemæus. Veterũ enim more harum tantũ regionum quæ cis Taurum in Aegeum & Euxinum patent, meminit, uidelicet, Cappadociæ,

Ponti, Galatiæ, Bithyniæ, Aſiæ, ut intelligatur Aſiæ proprie minoris eſſe, quicquid reliquum cis Taurum eſt à prædictis regionibus diuiſum. Enimuero & Plinius quinti libri fine, initium Aſiæ de qua iam loquimur, à Lyciæ fine quondam ſumptum eſſe teſtis eſt. Idem & Ioãnes ſecutus uidetur Apocalypſim ſuam ſeptem Eccleſijs Aſiæ inſcribens, uidelicet Epheſinæ, Smyrneæ, Pergamenæ, Thyatirenæ, Sardianæ, Philadelphenæ, Laodicenæ. Quæ uniuerſæ, Bithynia, Galatia, Pamphilia, & Lycia includũtur. At uero Lucas terras quæ minoris Aſiæ ſunt, paulò arctius definiuit, & terminis contraxit anguſtioribus, haud dubie & ipſe conceptam aliquam & uſitatã loquendi conſuetudinem ſuæ ætatis ſecutus, ſed operæpretium eſt eius uerba referre, quæ Actorum 16. capite, ubi ſecũdariæ profectionis in Aſiam meminit, ad hunc modum habent: *Cum peragraſſent autem Phrygiam & Galaticam regionem, uetitiq; eſſent à ſpiritu ſancto loqui ſermonem in Aſia, profecti in Myſiam tentabant ire in Bithyniam, & non permiſit eos ſpiritus. Cum autem pertranſiſſent Myſiam, uenerunt Troadem &c.* Ex quibus uerbis manifeſtum fit, aliter Aſiam accipere Lucam quàm aut Petrus aut Ioannes acceperit, palàm enim & Phrygiam & Myſiam, Aſiæ demit, cum per eas ſe profectum teſtatur, qui tamen Aſiam ingredi uetitus fuerit, & Syros, Cyprios, Cilices, Ly

caonas,

caonas,Pamphilios,Piſidas,Galatas,Phryges,Myſos,
prius inuiſerit prædicato Euangelio, quàm ei Aſiam
illam intrare fuerit conceſſum.Intelligimus ergo Lu-
cam eam partem peninſulæ proprie Aſiæ tribuiſſe
quæ ad occaſum proxima mari,in mediterraneis Aeo
liam & Lydiam ſupra Epheſum & Smyrnam,com-
plectitur.Quã certe & Hieronymus ſpecialiter Aſiæ
nomine uocari tradit.Huius partes erunt,Ionia,Aeo
lis,Lydia, ~~fortißimæ~~ & cultißimæ omnium Aſiæ re- fertilissime
gionum quæ intra maria,Euxinum & Cilicum,pro-
minent.Nec diſſentit à ſupradictis alius Lucæ locus,
qui Actorum 20. ubi poſtremus Apoſtoli in Syriam
reditus deſcribitur, ſic habet:Propoſuerat enĩ Paulus
præternauigare Epheſum ne tempus tereret in Aſia,
feſtinabat enim, ſi poßibile ſibi eſſet, ut diem Pente-
coſtes ageret Hieroſolymis.A Mileto aũt mißis Ephe
ſum nuncijs accerßiuit presbyteros eccleſiæ &c.Hic
dicitur cauiſſe Paulum ne remoram ei Aſia faceret,
& ea cauſſa præteritam Epheſon, & petitam Mile-
ton.Quod plane cum his quæ alibi dixit,cõſentit.Mi
letum enim in Caria ſtatuit Ptolemæus,quanquam in
Ionia pleriq;,ad quam ab Aſſo nauigans primũ con-
tinentis portũ ingreſſus eſt,antea ad ſolas inſulas con
uerſus,uidelicet quo à littoribus Aſiæ abſtineret.Mi-
letum autẽ euocauit Epheſios,ut,quoniã certus eſſet
ſe poſthac Aſiam nõ reuiſurum,poſtremũ illos, quid

potiſsimum in cœtu ſanctorũ agere, quid cauere, & cuius maxime rei memores eſſe deceret, ordine inſtitueret. Officij erat non intermittere quod ad profectũ Euãgelij pertinere uidebatur: beneficij, uocatos ad ſe, ne qua parte exciderẽt, admonere. Nunc rurſum partes reſumendæ nobis, & quantum inſtituti mei ratio patitur, peragrandæ longius. Nec enim alia (quod ſciam) orbis pars, aut celebrior Eccleſiarum dignitate, aut Chriſtianiſmi per initia, Aſia obſeruãtior fuit, ut non ſine dolore retractari eius poſsit memoria quam tam paucis retro ſæculis, incuria magis noſtra, quàm ulla urgente neceſsitate amiſimus.

CARIA.

CAriam ab ortu Lycia, & in littore Telmeſſus finit, ut dictũ eſt. A meridie atq; itẽ occaſu, pelagus, hinc Aegeum, illinc Rhodiẽſe, à Septentrione Phrygia, Lydia, Ionia. Strabo Mæandrum eius hac parte limitem ſtatuit, qua Ioniam attingit. Plinius ſinum Iaſsium, qui tamen citra Mæãdri oſtia Miletum etiam ab Ionia excludit. Pomponius Baſilicum facit Cariæ finem, qui Iaſsio Boream uerſus proximus eſt. Quod hoc libentius admonendũ duxi, quo minus mirum fiat Lectori uſqueadeo in Aſiæ proprie dictæ terminis eſſe uariatum. Caria ergo, peninſula Doride prominẽs latus Aſiæ occiduum à meridiano dirimit. Dores eam coloni habitarunt è Græcia profecti, qui

&

& nomen terræ dederũt, deinceps Dores, Dorici & Doriẽſes appellati. In eius Iſthmo Halicarnaßus quondam ſummæ claritatis ciuitas, quæ Herodotũ & Dionyſium hiſtoricos genuit, bellis poſtremo attrita, è cuius ruinis nuper munitißimũ oppidum ſancti Petri cognomine Rhodienſes extruxerant, proximis annis unà cum Rhodo à Turca captum. In peninſulæ cornu Gnidus, hodie Caput Chij à nautis Italiæ dicta, & citra eam ab auſtro Loryma contra inſulam Carpatum, à Borea autẽ Ceramus fuit Choo obuerſa. Media enim Doris inter Coon & Carpatum incedit, florentißima quondã cum res Græcorũ incolumes eſſent, iam minus culta, non minus tamen fertilis. In continẽte mons Phœnix Ptol. dictus, excelſo iugo à Tauro egreſſus, latus Cariæ auſtrinum à Boreali diſiũgit, & Tauri in Aſiam procurſum finit. Iuxta eum oppida fuere, Mindus maritima, intus autem Alinda, & Alabanda Molonis qui Rhodi docuit patria, et Stratonica æque clara, niſi quod Alabandæ forum Romani tribuerũt, Conuentu inſtituto, qui Alabandicus cognominatus eſt. Illi enim rebus Aſiaticis ordinandis, quo expeditior iuriſditio foret, in urbes eã cuiuſq; regionis præcipuas diſtribuerũt, adiectis diœceſibus, hoc eſt agri parte, unde illò fori cauſſa cõmearetur. Quæ partitionis ratio prouinciarum propè omnium fuit, neque hodie Principum curæ neglectui eſt, Galli Parlamẽta

uulgò, Germani Regimina uocant. Inde & Metropoles dictæ Romanis urbes illæ primariæ & Diœceſes, urbium ſcilicet, gentiumq; unius iuriſditionis, adminiſtrationes, quas uoces poſtea Epiſcopi Orientis in ordinandis Eccleſiarum ritibus, à Romanis ſunt mutuati, mox & Latini illis uſi, nec tum aliud hiſce nominibus continebatur Chriſtianis, quàm ordo publicus & politia quædã, ad hoc inſtituta quo ſyncerior eſſe diſciplina omnium ordinum & eccleſiarum poſſet, uidelicet, euocandis conſtituendisq; miniſtris, ſynodis celebrandis, alendis curandisq; pauperibus, cenſendis caſtigandisq; moribus, & id genus rebus alijs. Cæterũ promotis, ut fit, terminis, Latinæ maxime eccleſiæ ius etiam prophanum arripuere, ueteribus epiſcopis non ignoratũ modo, ſed & neglectum & contemptum, quod à Chriſto diſerte ſibi à cura ſæculi interdictum eſſe exiſtimaſſent. Proinde ius ſuum, hoc eſt, diuinum quod in ſcripturis continetur, adminiſtrabant, Humanum ſeu prophanum in legibus Regum contentum præſidibus & curatoribus prouinciarum relinquebant. Sanè pluſculos in Aſia conuentus Romani habuerunt, quorũ quinto libro naturalis hiſtoriæ C. Plinius meminit. Prope autem Halicarnaſſum Troezene opp. cuius incolæ Troezenij, alij à Peloponnenſibus, & regio Troezena Plinio libro decimo nominata. In mediterraneis, Nyſa urbs, et Tralleis

quas

quas Thebais fluuius perfundit, Eudon alluit, unde Tralliani dicti. Iuxta Lycaones Laodicea eſt, Lyco Laodicea. amni è Lycia uenienti impoſita,magna urbs & Pauli maxime tẽpore clara,ante enim Mithridates eam obſidio fregerat,cæterum reſtaurata fuit ac ciuium fortunis & dignitate adeò prouecta,ut ciuem habuerit Hieronem, duo millia talentorũ in populum largientem, præter pecuniam quam urbi exornandæ impendit.Præterea Zenonem & ipſum opulentum,cuius filius Polemon fuit, Ponti rex, ut alibi quoq; diximus. Laodiceæ ſitus amœniſsimus eſt,præter enim Lycum fluuium,Capro etiam & Aſopo de proximo uenientibus alluitur. Ager circumiacens non fertilis modo, ſed & præſtans uelleris laudatiſsimi prouentu.In totum autem felix regio,ſi terræmotus(præcipuũ Aſiæ malum)non infeſtarent.Hanc alij in Phrygia locarũt ſicut & Hierapolim,ego Plinium ſecutus Cariæ attribui,Ptol.Laodiciam uocat,& notus eſt eius urbis Conuentus,Laodicẽſis dictus Plinio. Iuxta fuit Antiochia ad Mæandrum uocata, Maſsico amne è Cadmo ueniente circumflua, haud procul allabente Mæandro,in quẽ emittit Maſsicus.Sed illuſtrior Laodicea eſt propter Paulum,qui Chriſtum docuit, & epiſtolam quæ prior ad Timotheum inſcribitur,ex ea urbe Epheſum miſit. Plures autem eius nominis cum paſsim fuerint, cõſtat clariores nõ fuiſſe,una Syriaca illa Lucæ euan

geliſtæ patria, et altera Aſiatica, de qua iam diximus. Fuit & Galatica confinis Phrygiæ Laodicia, haud procul Coloßis, in qua Paulus non fuit, ſicut nec Coloßis, quod ipſe palàm Coloſ. 2. capite indicat. Quanquam eiuſdem epiſtolæ ultimo capite de utraq; admonuiſſe uidetur, illa ſcilicet Aſiatica Hierapoli uicina, altera quæ iuxta Coloßas eſt. Sic enim Coloſſenſes alloquitur: Cũ recitata fuerit à uobis epiſtola, facite ut & in Laodicenſiũ eccleſia recitetur. Et eam quæ ſcripta eſt ex Laodicea, ut uos quoq; legatis &c. Patriam ſcilicet Laodiciam Phrygiæ intelligens Coloßis proximam, quam non uidit Apoſtolus. Deĩn altera Caricam iuxta Hierapolim, ex qua Epheſum ſcripſerat. Non quadrat enim ut ex eo loco ſcripſiſſe uideri debeat Apoſtolus ad quem nunquam peruenit. Vt autem demus eandem Laodiceam eſſe cuius hoc ipſo capite meminit, tamen diuerſam ab illa quæ 2. capite nominatur, & duas in Aſia Laodiceas eſſe, quorum meminerit Apoſtolus, de ipſo ſenſu epiſtolæ conuincitur. In ora Cariæ ultima eſt Iaſſus urbs, de qua ſinus Iaßius ſeu Iaſius cognominatus eſt, nam & ſimplici ſ. & duplici utraq; uox effertur. Solinus, apud Iaſium, inquit, urbẽ Panioniæ puerũ Delphinus adamauit. Sic enim illic legendum arbitror, non Babyloniæ ut ferè habẽt exemplaria. Eſt enim Panionia ſacra quondam Ionibus regio ſic dicta, authore Põponio, quod eam com-

muniter

muniter Iones colerẽt.Strabo lib.14. tribus eam à ma riſtadijs abfuiſſe, & templũ habuiſſe ait Neptuni *co gnomento* Heliconij, *in quo ſtatis diebus* Prienenſes *omnium* Ionum *nomine ſacrificabant.Quod quidem illud ſacerdotiũ erat quod iuxta* Iaſſum *fuiße* Solinus *innuit.*Puto *autem & apud* Plinium *capite 8.libri no ni legendum:* Puerum Alexander *magnus* Panioniæ Neptuni *ſacerdotio præfecit &c. non quadrat enim* Babyloniæ *uocabulũ, cum, quod id temporis in* Aſia *agebat* Alexander, *tum etiam quod remota à mari* Babylon, *etiam ſi tunc ab* Alexandro *capta fuiſſet, tamen haud magno habere* Neptuni *numen potuit.* Accedit *ad hæc, quod* Strabo *in octauo tradit* Prienenſes *ſacrificio* Panioniæ *hominem quempiam iuue nili ætate uigentem præficere aſſueuiße,ut intelligamus* Alexandri *conſilium etiam occaſione adiutum, ne non illum præficeret ſacerdotio, cui palàm fauere numen eſſet uiſum .*Libuit *hoc obiter, quoniam* Aßi *mentio incidiſſet* Lectori *æſtimãdũ proponere, quod uiderem* Hermolaum *uocem* Babyloniæ *inexcuſſam tranſmiſiſſe.*

IONIA.

PLinius *quinto libro,*Ionia,*inquit, à* Iaßio *ſinu incipiens numeroſo ambitu littorum flectitur.* Terminatur *ab ortu* Lydia, *quæ &* Mæonia *eſt,ab occaſu* Aegeo, *à* Septẽtrione Aeolide,*ut quic*

quid Phoceam inter & Iaſſum iacet, totum Ioniæ tribuatur.

Miletus.

Vrbium eius maxime celebris Miletus, caput aliquando regionis, & ſuper octuaginta urbium per cuncta maria genitrix, ut ait Plinius. Ex Mileto fuit Timotheus ille Muſicus, quem libro 2. inſtitutionum Quintilianus duplices mercedes ab diſcipulis quos alij inſtituiſſent exigere ſolitum ſcribit, facilius ratus rudē docere, quàm dedocere q̄ praue didiciſſet. Hanc urbem & Paulus ornauit oratione illa quam ad Epheſiorum presbyteros habuit, digna meo iudicio quæ omnium Templorum poſtibus inſculperetur, ut ſimul officij, & qui præſunt, admonerentur, nec immundas manus, longe minus impium animum ſacris admouerent, & eccleſiæ ſperdiſceret indignos eſſe cœtu ſuo qui aut auaritia qualerent ſordidi, aut mandata docerent, doctrinas hominum: Qui Curios ſimulāt, & Bacchanalia uiuūt. A Mileto urbs Priene fuit, Biantis patria, & mons uicinus Mycale. Promontorium Trogilium aduerſum Samo, & ultra Pangilium in pulcherrimo ſinu poſita

Epheſus.

Epheſus longe omnium Ionicarum urbium clariſſima, & Aſiæ olim lumen dicta. Vrbis ſplendorem ſitus auxit, primum oppidorū frequentia circumſeptus, quorum omnis olim Aſiatica claritas fuit. Obiectæ autem ſinui inſulæ erāt memorabili fertilitate, & quibus ora etiam Aſiæ aliquid debeat. A ſiniſtris Mæandrus fluit, à Phrygiæ monte

Au-

Aulocrene (quem Cælenium Ptol. uocat) exortus, & per Cariam placidus, omnes eos agros fertiliſsimo rigans limo, in Aegeum effluit. A dextris Caiſtrus, & ipſe Aſiaticarum opum uector, quem è Lydiæ Cylbanio monte uenientem & frequẽtibus auctum fluuijs, ſinus ille Epheſinus excipit. Creditũ eſt utroq; amne tantũ limi littoribus inuectum, ut terras propagarint in maria, ſicut in Aegypto Nilus, & inſulas continenti annexuerint. Mons Peon uitibus conſitus & arbuſtis nobilis, latus urbis ad auroram uergens ſpectabili amœnitate præcingit. Cæterum à religione & operoſiſsimo Dianæ templo in tantum aucta fama eſt, ut cum duodecim urbes Ionia aliquãdo teneret, omnium tamen præcipua Epheſus habita ſit, nec aliud opulentius templum per Aſiam, aut ornatius creditum, aut ſpectatum, quàm Dianæ Epheſinæ templum. Strabo author eſt, in Cataoniæ Comanis, alijsq; Aſiæ locis ditiſsima ſacerdotia Numinum fuiſſe, & quibus regio ſanguine orti, præficerentur, parsq; agrorum & iuriſditionis illorũ poteſtatis eſſet. Omniũ tamen opes, donaria, anathemata, Epheſium numen uicit. Templum urbe media ſurgebat, Græcæ magnificentiæ uera ammiratio, ut ait Plinius, Ducentis id & uiginti annis factum ferebatur à tota Aſia, poſitumq; in paluſtri ſolo, ne terræmotus ſentiret aut hiatus, longitudo CCCCXXV. pedum, latitudo CCXX. erat.

Ephesus minor Asiæ metropolis & emporium celeberrimum Amazonum opus, clarissima, a nomine ipsa Amazonis appellata. pluribus ante nominibus dicta Smyrna: Ortygia; Ptelea: Arsinoe ab uxore Lysimachi. In hac templum Dianæ celeberrimum a tota Asia annos ducentos edificatum. Her. Raphael Volaterr. li. 10. Geographiæ. In Epheso etiam Paulus prædicavit. Acto. 18. 19. Huius meminit Apostolus 1. Cor. 15. 2. Corin. 11. Apo. 1. 2. Extat & Pauli epistola ad Ephesios.

Columnæ centum uigintiſeptem à ſingulis regibus dicatæ. Iuxta templum Aſylum erat libertatis inuiolatæ ad ſtadij ſpaciũ ab Alexãdro extenſum. Quod Auguſtus tamen damnoſum eſſe ratus, quoniã impunitate propoſita multorum libido ad ſcelus inuitaretur, irritum fecit, ut refert Strabo. Fons Callipias prope templum amœnus, & qui procul ueniẽtes uel aſpectu recrearet. Intus imagines, ſimulacraq́; auro, argento, ebore, marmore conſpicua. Donaria item à regibus, urbibus, gẽtibus, populis collata, dicataq́;, quæ omnia uel per ſe ipſa ſpectata & cognita peregrinantium itinera & ſudorem leuare diſpendio & operæ facere precium uidebantur. Alioqui & urbis luxus, & elegantia, & copia fouebat aduentantes, ſuperq́; omnia rumore ſparſo, ut fit, alij alijs fama excitati ſuccederent, nec ullus eſſet uiſitandi numinis finis. Cum uotorum quoq; nullus eſſet, magnus ibi artificum prouentus, maior ſacerdotum erat, ſplẽdore, ornatu, opulentia radiabant omnia. Nec æuo ullo aut ſæculo ea maieſtas uidebatur interitura. At uero moles illa magnificentiſsima, tanto numine, tantis opibus, tantaq́; fama per orbem nota, CHRISTO Epheſijs per pauperẽ, humilemq́; Apoſtolum prædicato, ita ceſsit, ut plus minus triennio magna urbis pars, Diana ſpreta, & reiecto idolorum cultu, redemptionem per illum factam amplexa fuerit, præterea libros ueteris

inſci-

inſcitiæ & magicæ ſuperſtitionis plenos, nec paruo precio comparatos, flammis tradiderit, ceu Lucas 19. cap. ſcripſit. Prædixerant prophetæ futurum, ut ſpiritum fidei gẽtes eſſent accepturæ, relicturæ idola, Chriſtum ſecuturæ, qui nõ luxu, ornatu, ſplendore, ſimulacris, opibus, donorum elegantia: ſed fide, humilitate, abſtinentia, beneficentia, ſynceritate, & proximi dilectione colitur. Ethnicorum ſapientes à ſacris auri argentiq; uſum ſummouendũ exiſtimarunt. Nec inepte ſane, nec impie Perſius: ſatyra ſecũda.

Dicite, inquit, Pontifices in ſacro quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatæ à uirgine Puppæ.

Quid ni igitur Apoſtolũ audimus ex prophetis id repetentẽ Actorũ 17. ut ne opinione ducamur, coli Deũ rebus humana factis manu? Et cum non ſacræ modo ſed & prophanæ literæ teſtentur ad Euangelij prædicationem opes illas templorũ & falſorum numinum caſuras fuiſſe, præterea lege abrogata, ne Iudæorum quidem iuſſa quondam & imperata à Deo opulẽtia, ſubſtiterit, ipſo etiam templo funditus ſubuerſo: quid oro nos agimus, dum contra ueterum exemplum, contra uſum eccleſiæ tot ſæculorũ, contra clariſſima ſcripturarũ oracula, in hoc incumbimus, ut domus ſacræ id genus elegantijs ſint confertæ, ut hoc inſtituto rem gratam domino faciamus, qui manibus humanis non colitur. Quanto ſatius foret opes in pauperes, hoc eſt

Vide Acto. 7. 17.
Heſaie. 66.
Hieremie. 23.
Pſal. 1. 38.

uiua Dei templa (ut inquit ille) quàm in nō ſentientes ſtructuras effundere? Illud enim, niſi fallor, ſcripturæ iubent, hoc uetant. Sed redeundū ad Epheſum, in qua illuſtranda Paulinæ uigilantiæ Ioānes euāgeliſta acceßit, hunc enim Epheſi commoratum & defunctum eſſe lib.3. tradit Euſebius. Certe Irenæus libro de hæreſibus ſecūdo Aſiæ eccleſijs Ioannem præfuiſſe, & ad Traiani uſq; principatum uixiſſe, docet. Vt inde colligi queat Ioannis Euangelium ſero ſcriptum, urgente, ceu Hieronymus tradit, Hebionitarum hæreſi, qui Chriſtū ante Mariam fuiſſe, hoc eſt, uerbum æternū carnem factam eſſe, negabant. Sic ſeruauit in quæq; momenta temporum organa ſua dominus, quæ VERITATEM tot modis, ſatana ſuggerēte, inuaſam, uindicarent. Hæc eſt Epheſus, quam ex uinculis Romanis Apoſtolus eſt conſolatus. Scripſiſſe eum & priorē ad Corinthios Epheſi, ex itinere, cum aliæ coniecturæ ſunt, tum hæc præcipua eſt, quod Lucas Act. 19. Paulum ſubſiſtentē in Aſia Timotheū & Eraſtum præmiſiſſe in Macedoniā tradit, quū ipſe mox pauló eſſet ſecuturus. Et quod ultimo capite eius epiſtolæ, Salutāt, inquit, uos in domino multum, Aquila & Priſcilla &c. Quos Epheſi tamen reliquiſſe Paulū, cum ipſe in Syriā tēderet, palàm indicat idē Lucas Act.18. Nunc reliqua Ioniæ reddemus. Supra Epheſum Magneſia iacet Theſſalorum colonia, ad Mæandrum co

gno=

gnominata, propter eam quæ ad Sipylum dicitur, in Lydia. Vulgatus iſte gentibus mos, quo errori differentia ſuccurrat. Sic Syriæ Laodicea una ad Libanũ dicitur, ne ſeorſim prolata uox, eam indicet quæ in eadem Syria ad Orontem iacet. Germani haud alio magis diſcrimine cognomines locos explicant. Colophon & ipſa Ioniæ urbs eſt, ad Haleſum amnem ſita, cum Mirante monte, à quo terræ in altum abeuntes peninſulæ forma Chium uerſus prominẽt, in qua Erythræ quæ Sibyllæ Aerithræ nomen dederũt & Clazomene iacet, & extra peninſulã in altero ſinu Smyrna, dein Phocis illa quæ Maſsiliam in Gallia genuit, Ioniæ maritimæ poſtrema. Smyrna amœno littore ſita, amne Melete affunditur, Plinio, uaſtata quondam à Lydis, ſed Regum opera integrata, ut Pauli ſæculo haud dubie pulcherrima fuerit. Eundem ſinum amnis Hermus influit, multos alios, ſed præcipue Pactolum & (qui Phrygiæ nomen dedit) Phrygem, recipiens. Plinius montem Smyrnæ Maſtuſiam tribuit, & Conuentum Smyrnæum indicat percelebrem quondam, ſed longe poſthabendum Eccleſiæ quam apoſtoli in ea urbe condidere. Polycarpus eam tenuit, apoſtolorum diſcipulus, qui dicere ſolebat, Nihil eßе pro uero recipiendum, quàm quod conſtaret ab apoſtolis traditum. Quam ſententiam & Papiæ Hieronymus tribuit, & ipſe ſecutus eſt epiſtola quadam ad Theoph.

contra Ioan. Hieroſolymitanum epiſcopum, ubi inquit, Scio me aliter habere apoſtolos, aliter reliquos tractatores, illos ſemper uera dixiſſe, iſtos in quibuſdam ut homines errare. Idem author tradit Polycarpum à Ioanne epiſcopum factum, totius Aſiæ principem uirum fuiſſe. Viuus certe exuſtus eſt ſub M. Antonino & Aur. Commodo, Anno Chriſti C L X X. nec multis annis poſt eius mortem ingenti terræmotu cõcuſſa ciuitas, decennali libertate donata eſt, quo ſe inſtaurare poſſet. Dura ſanè illis ſæculis Chriſtianorum cõditio fuit, quũ principes Auguſti tuẽdæ religionis prætextu, ipſam (quæ uera eſt religio) fidẽ in Chriſtum ſubuertere & extinguere niterẽtur, quum deorum ſuorum ueterem cultum, præterea & cerimonias tot ſæculorum uſu conſenſuq; receptas, & totum illud ſatanæ regnum, quod cæcis animis longæ conſuetudinis præſcriptio ingeſſerat, aduerſum doctrinam quæ unum Deum prædicabat, plures negabat, tanta cum cõtentione propugnandum deffendendumq; recepiſſent. Nihil enim quietũ noſtris aut integrum, nihil non ſummo cum diſcrimine coniunctũ erat. Primum impietatis & blaſphemiæ nota ſuccreſcẽtis Euãgelij fama traducebatur. Deinde læſæ quoq; maieſtatis arceſſebantur, qui ſacroſancti Imperij Romani receptam, atque adeò maiorum prudentia, conſilio & authoritate inductam religionem deorũ con-

tem-

tempſiſſent, apud aras & delubra Numinum non ſa-
crificaſſent, incenſum dijs maiorum minorumq; gen-
tium non adoleuiſſent. Quorum uidelicet criminum, cum reos ſeſe Chriſtiani cottidiana confeßione ſua teſtarentur, nec diuelli minis ullis à Chriſto, longe minus abduci perſuaſione poſſent, crudeliſsimis edictis & proſcriptionibus afflicti ſunt, & indicibus propoſita præmia feruntur, ne reliqui eſſe ullo loco Chriſtiani poßent. Mitißime autẽ tum res agebatur, cum caueretur Chriſtianos non requirendos quidem, ſed oblatos puniri oportere. Quale Plinio ſuo Prouinciã moderãti Traianus reſcripſerat. Ceſſantibus autẽ & interdum cõniuentibus Principũ animis, aderãt artifices incẽdiorũ, calumnijs, criminationibus, delationibus, ſæui: qui in illorum aulis perinde atq; in pelago uentorum turbines, ſubinde alias atque alias perſecutionum procellas commouerent. Interim uulgus communes caſus rerum aduerſarum undecunq; ingruentes in Chriſtianos transferebat. Si pugnatum erat improſpere, ſi annona laboratum, ſi terræmotus, ſi alluuiones, hiatus, peſtes, ſi grandines & cataractæ nocuiſſent, ſi exundaſſent flumina, deorum id quidem iræ tribuebatur, ſed inde natæ, quod Chriſtianos ferret ac toleraret imperium. Nullum probrum erat, nullum dedecus, quod inſontißimæ profeßioni non impune obijceretur. Proinde tanta indignitate tractatis ne

in publicum quidem prodire interdum Chriſtianis licebat. Quod equidem admonendum duxi, quod animaduertam multos eſſe ætate noſtra, qui præſenti rerum ſtatu perſuaſi, dum legũt audiuntq́; Petrum Romæ tot annis ſediſſe, Linũ, Cletum, Clementẽ, aliosq́; ueteres Vrbis epiſcopos, tanta cum dignitate, grauitate & uigilantia præſediſſe eccleſiæ, Polycarpũ autem epiſcoporũ Aſiæ principem fuiſſe, perinde tum, aut pace, aut dignitate & ſplendore, aut fauore hominum habuiſſe eccleſias ueteres, atq; hodie habent per Europam: cum longe diuerſum uetus hiſtoria prodat, longeq́; alij ſint hodie noſtrorum mores & ritus quàm illorum fuißent, quibus nihil erat inter inſidias, & perſecutiones quietum. Memorabile uero quod ſcribit diuus Hieronymus: Legem iam olim à Romanis latam fuiſſe, quæ iubebat minime dimitti Chriſtianos, qui ſemel ad eorum iudiciũ eſſent pertracti, qua cauſſa & Apollonius, Romanæ urbis Senator, ſub Commodo principe (tot annis poſt Petrum) à ſeruo ſuo, quod Chriſtianus eſſet, proditus, quanquam inſigni uolumine in Senatu lecto, fidei ſuæ rationem reddidiſſet, tamen huius ſententia capite truncatus eſt. Putamúsne, aut loci aut refugij multum, eius temporis epiſcopum habuiſſe, ſi uirum illum Senatoria dignitate conſpicuum, quemq́; & urbis fauor & ordinis, ſuorum odio eximere debebat, nec ciuitas nec di-

gnitas

gnitas tutata eſt, quin ei ob ſectam cui ſe deuouerat moriendum eſſet? Arbitror autem notum omnibus ex omni triginta epiſcoporum ſucceßione, quæ à Petro & Paulo uſque ad Syluestrum & Conſtantinum imperatorem annorum minimũ trecentorum ſpacio deducitur, nullum fuiſſe de quo, Lege illa obtinente, ſupplicium ſumptum non ſit. Iam in Gallijs, ut libro quinto tradit Euſebius, apud Lugdunum & Viennam, Antonino Vero imperãte, circiter Photini tempora, cui Irenæus ſucceßit, Chriſtianis interdictum fuit, ne ullis domibus habitarent, ne balneas ingrederẽtur, ne prodirent in publicum, ne publico priuató ue loco conſpicerentur. Qua propè incredibili ſæuitia magna pars noſtrorum latebras & ſpecus inhabitare compulſa eſt. Cui autem uerosimile fiat, mitius habuiſſe in ipſa urbe tyrannorum alumna, illo ſæculo Chriſti cultores, quàm in Prouincia habuerint? Proinde admirari me fateor, quorundã inaduertentiam, qui parum expẽſis temporibus, primis illis eccleſiæ Romanæ epiſcopis, templorum extructiones, poſſeßiones agrorum, & neſcio quæ munera per urbem uelut ſuam, Chriſtianis diſtributa affingũt. Quaſi uero credere opus habeamus, hoc eis permiſſum, tanta indignitate tractatis, & communi totius ciuitatis Ethnicorum odio contemptis, ut ne prodire quidem, ceu dixi, plerunq; auderent, & benigne ſecum agi tum cre

derent, quùm intermiſsis perſecutionibus, in urbe tolerarentur. Ipſe Tertullianus uetus author, & qui ſub Imp. Pertinace multo tempore Romæ fuit, palàm innuit, ne ſuo quidem tempore alia templa Chriſtianis fuiſſe, quàm ſimplices domos in quibus ſtatis diebus fideles congregabantur. Conuiuia etiam, & Cœnam illam ſacram pro ueteri more celebrantes, aliaq́; id genus quæ publicæ diſciplinæ erant, exercentes. De qua re ipſe 39. capite Apologetici diſſeruit. Neque uero hæc affero, quaſi aut uſum damnem templorũ, quem longe optimum duco, aut illorum opinionem ſequar, qui ſomniant eccleſiam non poſſe conſiſtere niſi & perſecutio conſiſtat & ſæuiat. Sed magis ut hiſtoriæ ſua fides illæſa ſeruetur, quam pleriq; adulandi magis quàm ueri prodendi ſtudio aut fucant, aut interuertunt. Cuperem autem ſacrorum antiſtites, memoria tantarum rerum humiliari, non efferri: & ſimul admoneri officij, ut & gregem paſcerent Chriſti ſanguine redemptum, & doctrinam quam ſic retinuerunt apoſtoli, ut ſanguine etiam fuſo obſignarẽt, tam æſtimarẽt magno, quàm magnus ille eſt, qui eius ædendæ fuit author.

Actorũ. 20. ·1· Petri. 5.

AEOLIS, TROAS.

A Phocea maritima urbe Aeolidis initiũ, Ionia digreſsis ſumitur. Prima eius ciuitas Elea, dein Pitana Arceſilæ Academici patria, clariſsima

Aeolica=

Aeolicarum, iuxta flumen Caiſtrus è Myſia ueniens, Pitanam inter & Eleam Aegeum ingreditur. Pomponius primo libro Aeoliam ante, Myſiam dictā fuiſſe ait, & Troada connumerat. Erunt igitur fines Aeolidis, ab occaſu Helleſpontus & Aegeum mare, contra Lesbon inſulam, ab Auſtro Ionia ante dicta, à Septentrione Phrygia. Oppidorum celebrium, præcipuum eſt, Adramyttium, cuius Conuentus quondam, Adramyttenus dictus. Et Adramyttina illa nauis in Lucæ Actis cap. 27. cui primum uinctus Apoſtolus à Iulio Centurione Romam nauigaturo, impoſitus fuit. Inde Antandrum, Scepſis, & in littorum flexu poſita Aſſus, Aetolorum colonia, & aliquando Apollonia dicta, cuius Lucas Act. 20. ad hunc modū meminit: Nos autem cōſcenſa naui ſoluimus Aſſon, inde excepturi Paulum, ſic enim ordinauerat ipſe, per terram iter facturus &c. Haud procul Aſſo, promōtorium Lectum attollitur Aeolin & Troada diſterminans, Plinio. Inde Troas oppidum, colonia Romana, & apoſtoli etiā ætate Alexandria dictum, proximum Helleſponto & Tenedo inſulæ in ipſis Helleſponti faucibus iacenti, atque hinc Lecto, illinc Sigeo promontorio ſepta. Eius Lucas meminit Actorū. 16. Cum autem pertranſiſſent Myſiam, deſcenderunt Troadem. Et iterum: Cum ſoluiſſemus, inquit, à Troade, recto curſu uenimus Samothracem &c. Quanquam prior locus de

Adramyttium.

Aſſos.

Troas. mutat Aſiæ maxima. eadem Antigonia dicta. Plinius li. 5. na. hi. ca. 30. fit mentio. 2. Corin. 2.

regione accipi poteſt in quam è Myſia Paulus deſcenderit. Eſt enim Troas & urbis nomen iam dictæ & regiunculæ cui Phrygia ſuperfunditur. Cõmodiſsima autem eſt è Troadis portu in Thraciam & Macedoniam nauigatio. Meminit eius urbis & ipſe Paulus ſecunda ad Timotheum 4. cum ait: Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, cũ uenies apporta &c. Hæc eſt Troas, ad quam Apoſtolus poſtremo peragrata Græcia & Macedonia appulit, ſeptem diebus in ea moratus, Act. 20. Qua & panem noctu facta congregatione, cum fratribus fregit, & deguſtauit, diu collocutus, ſermoneq; uſque ad diluculum protracto. Quem locum plerique ſuæ opinioni accommodãtes, Panem fregiſſe tantum, hoc eſt, alteram Euchariſtiæ partem diſtribuiſſe Apoſtolum contendunt. Non uidentes Euchariſtiæ ſeu Cœnæ dominicæ celebrationem, in ſcriptura, panis fractione ſignificari. Quod hoc tamen uel uno loco Apoſtoli clariſsime conuincitur. Iam enim Corinthi fuerat Paulus, & epiſtolam ſuam ad Corinthios priorem iam antea ex Epheſo miſerat, in qua eum ſe uſum eccleſiæ illi de Cœna dominica tradidiſſe teſtatur, quem non ipſe cõſilio aliquo inſtituiſſet, sed quem accepiſſet à domino. Nimirum, ut congregati de pane ederẽt & biberent de poculo, hoc modo Chrſti mortem qua eſſent redempti, annunciaturi, donec ille olim è cœleſtibus mundum iudicaturus

1. Corin. 11.

turus rediret. Putandúm ne igitur aliter Paulũ Troade myſteria Cœnæ peregiſſe quàm peregit Corinthis aut diuerſum Troianis tradidiſſe ab illo, quod tanta cum aſſeueratione ſe à domino accepiſſe affirmat? Præcipue quod 1. Corinth. 10. Corinthios ab idolorũ cultu & communione dehortatus myſteriorum eos Euchariſtiæ ita admonet, ut euidenter pateat, Apoſtolum ſacramenti illius inſtitutione non corporis modo dati, ſed & fuſi pro nobis ſanguinis memoriã Eccleſijs proponere ſolitũ fuiſſe, quo certius redẽptionis ſuæ uelut teſſeram quandam reciperet, & in animum reuocaret, ita nos in corpus unum compactos per fidem, ut merito nullius alîus membra eſſe poſſemus quàm eius, cuius caput Chriſtus eſt. Non autem corporis gentium cuius caput dæmon eſt. Inde hæc illius uerba ſunt: Poculum benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Chriſti eſt? quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus. Ergo ſi unum corpus, horum membra non erimus qui extra hoc corpus ſunt. Illi autem corpori, Paulo teſte, & corporis & ſanguinis, panis & calicis communicatio attribuitur. Video quidem doctos uiros hodie de partibus ſeorſum exhibendis uehemẽter digladiari, & uſum eius rei ueterem fuiſſe audio quidem aſſeri, tamen nõ niſi recentẽ, &, ni fallor, à ter-

tio quartó ue ſæculo citra, introductum inuenio, cum conſtet interim plus nongentis annis non Orientalem *modo (quæ uſum eum nunquam intermiſit) ſed* Occi*duam etiam* Eccleſiam, *integro ſacramento, ut eſt à Chriſto inſtitutum, ſine diſcrimine uti fuiſſe ſolitam. Nam &* CAROLI *magni ætas hūc morem tenuit. Et teſtantur acta ſynodorum quarundam à morte Ca*roli *Germanicarum, quibus &* Romani *presbyteri interfuerunt, indiuiſam eo tempore* Euchariſtiæ *communionem fuiſſe, neque ullum, quod ſciam, ueterum aut mediæ ætatis interpretum uidiſſe me recordor (qui tamen nonnullos uidi) qui diuiduæ* Euchariſtiæ *ullam rationem præſcripſerit.* Quod *fieri tamen non potuiſſet ſi ea de re quicquam fuiſſet illis ſæculis ab* Eccleſia *definitum.* Accedit *his quod tot ueterum & recentiorum conſtitutionū & decretorum compilator* Gratianus *in ſuis illis* Canonū Pandectis, *nuſquam ullius partis ſacræ cœnæ, ſeorſim* Laicis *datæ, ac ne moris quidem illius in totum ſæculi uſque meminit, ſed ubique unius ſacramenti, duobus ſignis inſtituti mentionem facit.* Idem *& apud* Lombardū *uidere eſt æqualem* Gratiani, *qui lib. ſentent. 4. multis diſtinctionibus de ſacramento* Euchariſtiæ *curioſe omnia excutiens, nuſquam cœnam diuidit, nec aliud* Laicis, *aliud ſacerdotibus quod ſumant præſcribit.* Sed *ſimpliciter duplicem manducationem facit corporis &*

ſan-

ſanguinis Chriſti, uidelicet ſpiritualem & ſacramentalem. Et in ſacramentali quidem perpetuo panem & calicem, ſiue, quod idem eſt, corpus & ſanguinē complectitur. Floruerunt hi duo uiri ſub Imperatore Friderico primo, clariſsimo Sueuici ſanguinis duce, annis abhinc trecentis ſexaginta, ex quo primum tempore Ius ſcriptum, quod Canonicū uocant, & Theologia quæ Scholaſtica dicitur, in orbem Chriſtianum emerſerunt. Nec me latet quid Gerſon in ſynodo Conſtantienſi ſenſerit, & quid libri eius de hac re ſcripti præferant, ſed fateor ingenue, me non uidere, quibus aut ſcripturæ aut idoneorum interpretum duntaxat eorum qui ante Lombardum uixerunt, locis teſtimonijs ue defendi poßit, quod ille uir alioqui nec indoctus nec impius tanta ſecuritate aſſeruit. Nec uacat in præſentia hanc rem ad plenum excutere, & ſi uacaret, tamen operæprecium non eſſet, cum nuper hæc materia abunde à diſertiſsimis uiris locupletiſsime diſputata ſit. Illud conſtat arbitrante Baſilienſe ſynodo, non expectata Gerſonis opinione, Eucharistiæ uſum ſub utraque (ut uocant) ſpecie, Boiohemis ut pium & ſacræ ſcripturæ accommodum, fuiſſe traditum. Ac ne quis ſuſpicari poſſet ex neceßitate permiſſum eis quod alijs nō liceret, cōceptis etiā uerbis res acta eſt, uidelicet quod authoritate domini noſtri Ieſu Chriſti & Eccleſiæ ueræ ſpōſæ ſuæ hoc modo ſumpta Eucha

riſtia Bohemis ſit licita, & digne ſumentibus utilis ac ſalutaris. Sed hæc nunc omittimus ad Troadem reuertentes, ſupra quam remotius à mari Gargara fuere, ab Aßijs conditum oppidum, & mons Ida, iuxtaq; Ilium illud Troiani belli memoria celeberrimũ. Fuit & Gergythos à quo Gergythiæ Sibyllæ nomen eſt, in Marpeßo uico nõ longe à Gergytho natæ. Quanquam apud Lactantium Marineſſo habuere uiciata exemplaria, quod ab Hermolao eſt annotatum. Hinc iacet Helleſpontus & tractus reliquus in Bithyniam uergens, quem mox paulò in Phrygia referemus.

LYDIA, QVAE ET MOEONIA.

MEditerranea eſt Lydiæ regio, ab auſtro Mæandrum aliquouſque, dein Cariam, ab ortu Phrygiam Galaticis gentibus confinem, à Septentrione Myſiam, ab occaſu Ioniam & Aeoliam attingẽs, Plinio. Cultißima hæc Aſiæ portio fuit, & Herodoto in primis memorata propter Crœſi regnum, qui ab Haly Paphlagoniæ fluuio, uſque ad Propontida & Aegeum mare, quicquid intra Taurum eſt, tenuit, tanta proſperitate & affluentia rerum, ut de ſumma ſibi felicitate perſuadere fuerit auſus. Et Soloni ſapienti etiam ſuccenſuerit quod beatum eum, niſi cognito exitu, fateri nollet. Verum à Cyro Perſarum rege captus & pyræ impoſitus qua cremaretur,

tur, uera dixiſſe Solonem ſaſſus eſt. Vnde illud Ouidianum ſumptum ex Herodoto:

Sed ſcilicet ultima ſemper
Expectanda dies homini eſt, diciq́; beatus
Ante obitum nemo, ſupremaq́; funera debet.

Quidius li. 3. Metamor.

Victore igitur Cyro illo qui & Iudæos Babylone in Palæſtinam regredi paſſus eſt, ad Perſas Lydorũ regnũ deuenit, cum annos circiter ducẽtos quinquaginta duraſſet. M. T. Cicero in oratione pro Pompeio, de hac maxime Aſiæ parte intellexiſſe uidetur, quum inquit: Aſia tam optima eſt & fertilis, ut & ubertate agrorum, & uarietate fructuum, & magnitudine paſtionum, & multitudine earum rerum quæ exportantur facile omnibus terris antecellat. Inde luxus ille Aſiaticus memoratus ſcriptoribus, quem Romani ut admiſerunt perinde atque ſuaui & blandiente Syrenum cantu, obſopiti euerſiq́; ſunt, & urbs illa gentiũ domina, quam & domeſtica & militaris uirtus euexerat, Aſiaticis opibus delibuta, repente mutatis moribus, uitijsq́; admißis ſeipſam oppreßit. Caput Lydiæ quondam fuere Sardes, antea Hydæ dictæ, ad Caiſtrum amnem, haud ita procul Tmolo monte. Quas, quia Crœſi regia erat, cinctas obſidione & expugnatas fuiſſe à Cyro, libro primo ſcripſit Herodotus. Romani & conuentum Sardibus tribuerunt, qui Sardianus dictus eſt, Plinio. Magnam uero urbẽ & cele-

2. Chro. 36. Esze. 1.

De Sardib[us] vide Strabonem li. 13. Plinium li. 5. capi. 28. ad quarum ecclesiam Ioannes Apostolus scripsit. Apoca. 1. 2. 3.

brem fuiſſe Strabo indicat. Hæ *ſunt Sardes quarum eccleſiam inter ſeptem illas* Aſiæ *præcipuas* Ioannes Apocalyp.3. *cēſuit.*Meminit *&* Hieronymus Methodij *Sardenſis epiſcopi, ut qui amœno & declamatorio ingenio fuerit.* Proxime *Sardeis,* Catacecaumena *regio multorum millium ſpacio diffunditur, ſolo cinericio & exuſto ſimili, cui præter uitem nulla arbor colitur. Strabo uinum eius adeò nobile eſſe tradit, ut nulli cedat. Sūt ſanè paßim in Aſia rupes atræ, & ſimilimæ aduſtis, inter quas & meatus montium & cauernæ extāt, adeò uenenato ſpiritu, ut ſi certi generis animalia adhibeas repente moriantur: ſubtus eo modo tepores alente natura.* Eſt *&* Philadelphia Lydorum *urbs clarißima, quam proxime tempora* Pauli *terræmotus afflixit, commune Aſiæ malū. Cuius non obſcuræ cauſſæ ſunt, quemadmodū & aduſtionum, quarū præcipui ex noſtris Seneca,* Plinius, *&* Albertus *meminerunt.*Notior *autē Philadelphena Eccleſia*

"ut *quàm* " *& referre ſit opus.* A Philadelphia *uerſus occaſum æſtiuum,* Thyatira *iacēt.*Hermi *amnis ripis impoſita, à pleriſq; autē Phrygiæ attributa, quæ & Semiramis aliquando &* Pelopia *dicta eſt.* Hinc Lydia *illa fuit purpuraria, liberalitate in* Paulum *& ſuos, nota,* A*ctorum* 16. *Strabo ultimam eam* M*yſorum facit, ſedemq; fuiſſe ait* Macedonum, *qui* M*yſomacedones de* Gentium *coitu appellati ſunt.* Nota *eſt ex*

Plinio

Plinio Thyatirena iuriſditio Romanorum, longe no tior eccleſia Thyatirena Chriſtianorũ inter ſeptem Eccleſias Ioãni numerata, quarum ſupra meminimus. Pactolum amnem celeberrimũ Tmolus fundit, Chryſorhoam aliquando dictum Græcis, quod aurũ ueheret. Iuxta quem ſita Magneſia ad Sipylum cognominata, cuius etiam regio Magneſia dicta eſt. Sipylus quondam & Tantalis claræ, ſed abſorptæ terræmotibus, ut author eſt libro ſecundo Plinius. Ionum amnes, Caiſtrus & Hermus ſuam originem Lydiæ debẽt, nec ingrati in parentem rigant terras & fœcundant, ſicut & Pactolus, quem tamen Strabo ait ſua ætate aurũ ferre deſiiſſe, antea tot ſæculis hoc ſolo nomine celebratum. Vt iam conſtet nec amnibus id munus durare ſemper, ſicut nec mõtibus, ex quorum tamen fodinis ingens prouẽtus Aſiaticis regibus fuit, auctis uidelicet in immenſum opibus ceu lib. 14. innuit Strabo. Cui uero ualde mirũ ſit, deſtitui auri uenis amnes & montes? qui cogitat hoc quoque efficere naturam, ut in totum & montes ſubſidant, & amnium curſus intercidant. Siquidẽ aliquot Phrygiæ fluminũ, quæ Homerus celebrauit, nulla amplius ueſtigia cerni, C. Plinius prodidit. Mons Tmolus omniũ Aſiæ clariſsimus, ueteribus accolis etiam Myſos, qui colerent, admiſit, unde Myſotmolitæ poſtea dicti accolæ, quorum pars fuere Philadelpheni, & trans Hermũ ſummoti Thyatireni.

Apoca. 1. 2.

SVnt Authores, inquit Plinius, trāſiſſe ex Europa Myſos, Phrygas, & Thynos, à quibus appellentur Myſi, Phryges & Bithyni: unde mox terris data nomina fuerint Myſiæ, Phrygiæ, Bithyniæ. De Myſis & Phrygibus ſimul, de Bithynis ſeorſum dicemus. Sunt enim Myſorum cum Phrygibus ferè cōfuſi apud authores, limites, tametſi aliquò tenus etiam diſcernuntur. Duplicem enim Phrygiam faciunt, maiorem inter Galatiā & Lydiam longo flexu incedentē, donec ad Pāphilios, Lycios et Cares pertingat, cuius urbes præcipuæ Ancyra, Synnada, Apamia, Hierapolis, Cybira. Minorem Troadi ſuperiectam, & ad Galatas uſque ingredientem, ab Auſtro Myſia maiore, à Borea Bithynia finitam. Rurſum & Myſiam bipartiuntur, Minorem à Bithyniæ finibus in Propontida flexam citra Pruſam quæ iuxta Olympum eſt, in qua mons ipſe ſit Olympus, & maritimæ urbes, Zyzicum, Parium, Lampſacum, Straboni, Plinio, Ptolemæo. Maiorem ab Auſtro ſupra ſinum Adramyteū, in qua Scepſis regio & Paleſcepſis, iuxta Antandrū littoralem urbem, contineantur. Teutraniam quoque regiunculam, cuius urbs Pergamus eſt, in Myſia ſtatuerunt. Helleſpōto interim Abydum & Dardanum tribuētes. Verū has partes Phrygiæ nomen nō confundit modo, ſed etiam amplectitur. Ordiemur igitur ab Helleſpōto, & inde ad ortum meridiemq; inſigniora duntaxat

duntaxat loca indicaturi, flectemus. Infra Sigæũ promontorium à Troade *iam nunc memorata* Abydos *iacet, contra* Seſton Europæ *oppidum, ut* Martianus *libro ſexto:* Hic, *inquit, duæ ciuitates, quarum una* Seſtos Europæ, *altera* Abydos Aſiæ. *Vtranq; notã fecere literæ* Leandri *fato.* Inde *contra* Callipolim Europæ, *ſita uetus urbs* Lampſacus, *memorabilis conuentu contra* Eudoxium *&* Accatium Arrianæ *factionis principes, habito, quanquam nullo ſucceſſu, propter* Valentem *Cæſ. qui* Arrianos *tuebatur, & reſciſsis ſynodalibus actis, orthodoxos dãnabat exilio, ceu in* Valentiniano Paulus *diaconus ſcripſit.* Huius *urbis ciuis fuit* Anaximenes *orator, præceptor* Alexandri, *ille qui* Lampſacum *periclitantem uaferrimo reſponſo, ſeruauit.* Alexander *enim excidium* Lampſacenis *interminatus, ut uidit* Anaximenem *legatione ad ſe miſſum, primum præceptorem, dein & eloquentia ſuſpectum, ſancte iurauit, nihil ſe facturum quod peteret.* Tum Anaximenes: Rogo *te, inquit,* Alexander *ut* Lampſacum *diripias.* Authore *libro ſeptimo* Valerio. A Lampſaco, Parium ~~est marmore~~ *quondam nobile, & proximum iam* Bithyniæ Zyzicum *à* Mileſijs *conditum, cuius epiſcopus* Eunonius *ille fuit hæreticus, qui per omnia diſsimilem patri filium eſſe affirmabat, & factum creatumq́; aſſerebat: quo nomine demum urbe pulſus in* Cappadocia *exulauit.* Inde

ra. 3. de vafre dictis. aut Parium.
memoria Pa- zidis.

eſt Rindacus amnis, ante Lycus dictus, uoce multis amnibus cōmuni, quam tamen impoſitā eſſe à cauſſa conſtet, quod aut impetu undarum, aut auctu, ripas infeſtent & mordeant, aut (ut Rhenus noſter aſſolet) frequenter mutent alueum. Græcis enim λύκος lupus dicitur, animal natura uorax, unde & piſcem noxiæ uoracitatis lupum dicimus, cuius frequens apud Pliniū mentio. A Rindaco finis eſt Myſiæ, & Bithyniæ initiū, Plinio. Altera Myſia quæ adiacet Aegeo, Scepſin habet celeberrimā quondam ciuitatem, à qua Scepſij, & Pergamum Attali regiā, qui regnū Pop. Romano teſtamento reliquit. Pergamus Sileno fluuio finditur, alluitur autem Cæcio quem mons Pindaſus ædit, Plinio. Eius fuit Pergamena iuriſditio, de qua idem Plinius, & Pergamena eccleſia, de qua eſt apud Ioannē. Sed & charta Pergamena, quæ hodieq; à loco eo ubi inuēta eſt nomen retinet. Strabo decimotertio libro, Pergamū deſcribens palàm innuit inter clariſsimas eam Aſiæ ciuitates habitam, ſed tum maxime potentem fuiſſe, quum in Aſia rerum Attalus ſupra memoratus potiretur. Habuit & bibliothecam cum Alexandrina certantem, & Galenum nobis medicū genuit ſub Traiano Romæ ob artis præſtantiā ſummo in honore habitum. Intus Ancyna iacet, & Synnada, cuius Synnadenſis Conuentus olim, & Synnadici marmoris celebritas, & noſtris Parœcia Synnadenſis

Apocal. ca. 1. 2.

denſis dicta, nobili epiſcopatu. Nec *prætereundum, hoc maxime tractu ubi Synnada eſt* Phrygiã *aliquando* Pacatianam *cognominatam fuiſſe, uſque ad* Cariæ *confinia, ubi & Carophryges dicti coitu gentium, ut* Gallogræci *in* Galatia, *&* Syrocilices *ad montem* Amanum. Vltra Synnadam *in* Auſtrum, Philomelium *eſt, montanis appoſitum, quæ gentem Galaticam & Piſidas à Phrygibus diſterminant, meminit oppidi* Ptolemæus *&* Strabo, *cuius incolæ* Philomelienſes *dicti* Plinio. *Inde* Pelta *eſt, dein iuxta* Mæãdri *ortum, quondam* Cilenæ. V*etuſtiſſimi reges* Pacatianæ Phrygyæ, *memorantur,* Gordius, Mydas, Marſias. *Hinc in* Cariam *immittẽs* Phrygia, *haud longè* Laodicea, Hierapolim *ambit clariſſimã urbem, impoſitam amni* Lyco, *iuxta quam &* Coloſſæ *iacent, itidem in* Phrygia *cenſæ,* Plinio: *unde* Coloſſenſes *dicti,* Pauli *epiſtola celebres, qua &* Iudaiſmo *fiduciam, &* Paganiſmo *ſupercilium detraxit.* Vtrinq; *enim* Euangelicæ *doctrinæ puritas, ſubinde alijs atque alijs perſuaſionibus uiciata, laborabat.* Erant *ex ethnicis docti uiri ad* Chriſtum *conuerſi, qui arrepta miniſterij functione, cum eloquẽtia ualerent, philoſophiæ itidem dogmata inſyncera, de* Deo, *de aſtris, de fato, de uirtute, de rationis præcellẽtia & ſubtilitate, ex porticu fortaſſis aut* Academia *petita, ingerebant.* Quippe *in illis perdiſcendis erant educati, & fides pro modulo data con*- Coloſſæ.

ceptam à teneris perſuaſionem nondum elimauerat. Neophyti igitur è ciſternis hauriebant, ſed quod puriſsimis ſanæ doctrinæ fontibus ſuffunderent. Contra, qui ex circumciſione crediderunt, fauebant legi, pariter à teneris imbibitæ, nec deſinebant ceu iuſſam à Deo, & ad ſalutem attinentem ſimplicium animis inculcare. Proinde Apoſtolus certo ſciẽs, nec in ratione hominis aut uirtute, neque in Lege & eius iuſtitia quicquam eſſe quod ad ſalutem faciat, ſed plenitudinem iuſtitiæ eſſe in Chriſto, per quem credentibus donata ſit redemptio, Coloſſarum eccleſiam admonet, ut neque his, neque illis aurem præbeant, palàm teſtatus tam philoſophia quàm Lege, candorem Euangelij ſubuerti. Sed in Chriſto fixas radices teneant, quemadmodum eſſent illũ ab Epaphra edocti. Vtinam & nos in poſtremis illis temporibus, hanc eximiam doctrinam ſic fuiſſemus ſecuti, ut, Paulo inhortante, nec Iudæos audiſſemus operũ fabricatores, nec Ethnicos admiſiſſemus argutiarum magiſtros. Hoc uno enim præſidio declinare licuiſſet flagrantiſsimum iſtud belli incendium, quod Euangelio etiamnum aduerſum carnis iuſtitiam & prudentiam geritur. Atque hæc quidẽ de Coloſsis. Proxime Hierapolim Themiſoniũ eſt celebre oppidum, dehinc Mæandri ripis impoſita urbs Apamea non Conuentu modo inter Aſiaticos præcipuo quondam, ſed & Chriſti profeſsione celeberrima

Hiere. ca. 2.
Acto. 15.
Gala. 5. ca.
Colo. 2.
Colo. 1.

berrima, et prius Celenæ dicta, unde & Celenios montes à Ptolemæo dictos uideri queat, in quibus Mæander oritur. De Celenis Liuius libro 8. belli Macedonici, Celenæ, inquit, urbs caput quondam Phrygiæ fuit. Migratũ inde haud procul ueteribus Celenis, nouæq; urbi Apameæ nomen inditum ab Apamea ſorore Seleuci regis, & Marſyas amnis haud procul à Mæãdri fontibus oriens, in Mæandrum cadit. Famaq; ita tenet haud procul Marſyam cum Apolline tibiarum cantu certaſſe. Mæander ex arce ſumma Celenarum ortus, media urbe diſcurrens per Caras primum, dein Ionas in ſinum maris egreditur, quod inter Prienen & Miletũ eſt. Hactenus Liuius. Curtius tertio libro nõ Mæandrum ſed Marſyam fluuium intermeare Apameam dixit, eundẽ & Lycum nominans. Plinius certe quinto libro tribus amnibus in Mæandrum exeũtibus circunfundi Apameã ſcribit, uidelicet Marſya, Obrima, Orga. Eſt & in Syria Apamea ſicut & Hierapolis, quarum nihil minus frequẽtes quondam eccleſiæ fuere. Quanquam Hierapolim Phrygiarum urbium maxima, alij in Caria, nõ nulli in Lydia, tertij in Lycaonia Phrygiæ ſtatuere, manifeſta uariationis cauſſa, quod in horum tractuum confinijs iacere ipſam conſtet. Præterea quod lib. 13. Strabo docet, Phrygiæ & Cariæ, ſed & Myſiæ loca difficulter inter ſe diſcerni queant, ob mutatas gentium ſedes, ut ante quoque di=

ctum eſt. Hæc *eſt* Hierapolis *quæ* Philippum *apoſtolum, cum filiabus* Syria *digreſſum excepit, aluit, condidit.* De *qua re* Polycrates Epheſi *epiſcopus epiſtola quadã ad* Victorem *urbis* Romæ *teſtatus eſt.* Cui *uacat eius partem in* Hieronymi *catalogo, ubi de* Polycrate *mentio eſt, legat.* Memoratur & Papias *præſul* Hierapolitanus *eidem* Hieronymo. *Eius fertur dogma fuiße* Mille *annorũ, quibus* Dominus *cũ ſanctis poſt reſurrectionẽ eſſet in carne regnaturus, quod poſtea* Apollinarius, Irenæus, Tertullianus, Victorinus & Lactãtius *ſunt ſequuti.* Obiter *monẽdus* Lector, *aliã eſſe* Hieropolim *in* Aſia, *ab hac noſtra* Hierapoli, & *ab illa* Hieropolitanos, *ab hac* Hierapolitanos *dici.* Sita *autem eſt* Hieropolis *in* Aeolide, *haud procul* Thyatiris, *quam* Ptolemæus Hierocæſaream *uocat, ut annotauit* Hermolaus. Ad Hierapolim Phrygiam *aquas eſſe calidas refert* Strabo, *quæ ipſo profluuio, lapideſcant, & in toffum indurentur, quales hodie & in* Carpathijs Sarmatiæ *conuallibus monſtrãtur.* Præterea & *ſpecus extare, halitu noxio, quos uidiſſe ſe idem author & paſſeres immiſiſſe ait, illico exanimatos uenenoſo ſpiritu, qui tamen hominem minus infeſtet.* Plinius *libro 2. ſolis ſacerdotibus eum halitum innoxium exiſtimat, & fortaßis ita gẽtibus eius agri tum fuit ob* Numinis *reuerentiã perſuaſum.* Eſt *enim cognatum ~~religioni~~ [superstitioni] uitium, ut fabuloſis interdum*

&

& commenticijs rebus admirationem ſui ambiat.

BITHYNIA.

Bithyniam longe optimam & ſplendidiſsimam prouinciam, à Nicomede illo qui Iulium Cæſarem educauit, Populo Romano teſtamento relictã, duo maria alluũt, ab Occaſu Propontis, à Septentrione Euxinus põtus. Quá introrſum abit, ab Auſtro Myſia & Phrygia, ab ortu Galatia & Paphlagonia finiunt. Porrò uariare ſcriptores in Bithynico limite orientali, maxime marittimo, ſupra in Paphlagonia oſtendimus. Turcæ eam regionẽ hodie Natoliam uocãt. Ex oppidis ~~inſigniora~~ ferũtur, Pruſa ad Olympũ dicta, & alia quæ ad Hippum cognominatur. Porrò Hippus amnis eſt Ptolemæo, Plinio uero mons. Olympicam illam conditam ab Hannibale libro 12. Strabo tradit, quum poſt deuictum à Romanis Antiochum Pruſias eum rex hoſpitio excepiſset. Tumulus eius Plinij ætate eo loco monſtratus eſt, quo antea Lybiſſa ſteterat. Cæterũ in ora Propontidis Apamia eſt colonia: & præcipue inter Bithynicas clara Nicomedia, in ſinu qui ab Aſtaco urbe Aſtacenus cognominatus eſt, poſita. Habuit hæc epiſcopum Euſebium doctum uirum, ſed Arrij dogmate ſuſpectũ, illum ſcilicet à quo Iulianus Bizantij natus à teneris eſt in fide noſtra inſtitutus, poſtea ſeductus à Lybanio, qui animũ eius falſa deorum perſuaſione dementauerat. Glorioſior

insigniora

Euſebio Authimus fuit uir magnus, qui cum doctrinæ pietatem coniunxerat, capite plexum præſente Dioeletiano, & Martyrem factum uetus hiſtoria aſſerit, Martyres autem Græcis eccleſijs, hoc eſt, teſtes dicebantur, qui (ut Ammianus ait) ad negandum Chriſtum & ſinendam religionem compulſi, pœnas cruciatusq́; pertuliſſent, ad glorioſam mortē intemerata fide progreßi. Profecto maius ulli rei teſtimonium præſtari nequit, quàm quod cum mortis optione coniungitur. Nicomediæ Lactantius rhetoricam profeſſus, mox diſcipulorum penuria ob Græcam uidelicet ciuitatem, ſub Conſtantino ad ſcribendum ſe contulit. Sed dolendum tamen tot præclara uolumina eius intercidiſſe, quorum ordine Hieronymus meminit. Non minus clara Chalcedon eſt cōtra Conſtātinopolim ſita clarißimo hodie Emporio, & Galata dicta accolis, à Bizantio, interflua Boſphori parte, ſeptem ſtadiorum ſpacio diuiſa. Celebris eſt noſtris ob ſynodum Chalcedonenſem, quæ inter præcipuas numeratur. Quanquam haud raro in ea urbe per Arrianorū dißidia cōgreſſum, conſultatum, & diſceptatum eſt. Nec tacenda hoc loco Maretis Chalcedonen. epiſcopi laus, qui quum grauante ſenio, uiſu & corpuſculo adeò languido eſſet, ut manu præeuntis regeretur, die autem quadam obambulans, Iulianum iam idolis ſacrificantem, obuiam habuiſſet, palàm & in faciem,

ut

ut impium & apoſtatam reprehendit. Contra uero Iuliano cæcitatem ei acerbe opprobranti, ut quam ne Deus quidem illius Galilæus ſanare poſſet, liberrime reſpondit ſe Deo ſuo gratias agere de cæcitate qua principem tam impium intueri ſibi eſſet negatum: meminit facti libro undecimo Eutropius. Nũc ad alia pergendum. Cios extra Boſphorum in Euxino ſita, quæ & Pruſias aliquando dicta eſt, diuerſa à Tio Paphlagonum ſeu Mariandinorũ eodem littore, Pruſam autem ad Hippium, Burſam inuerſis & mutatis literis poſteriores uocarunt, Turcis etiam celebrem. Poſt quam in ortum Iuliopolis dicta, & item Heraclea iacent, notæ urbes. Contra in Propontidis ora, Pythia, poſtea Sotiropolis dicta ob thermas medicæ ſalubritatis, in quibus lauans Imperator Conſtantinus uenenum pro pharmaco inſcius hauſit. Inde Nicomediam uectus, proxime urbem in publica uilla ab Euſebio Nicomedienſi, extrema primũ ſenecta baptizatus ex humanis exceßit. Intus iuxta Aſcanium lacum Nicæa ſpectatur, fertiliſsimo agro clauſa, & mater urbium Bithyniæ dicta. Conditam ab Antigono Macedone & Antigoniam uocatam, deinde à Lyſimacho de uxoris nomine Nicæam dictam, Strabo eſt author. Ambitus urbis ſtadiorũ ſedecim fuit, forma mœnium quadrata, nec pluribus quatuor portis, uiciſq; adeò rectis ut ex lapide mediæ urbis quatuor illæ, quaqua

uerſum portæ cerni potuerint. Nemo ignorat ſynodum Nicænam hac urbe, imperante Conſtantino celebratam anno à nato CHRISTO tricenteſimo uiceſimoquarto, primã uidelicet ab eo Conuentu quem Apoſtoli Hieroſolymis egerant, atque ideo non tam uetuſtate quàm ſanctitate multorum qui interfuerũt, ſacroſanctã. Quanquam illi poſterior ætas adeò non detulit, quin reſcindere pluſcula & nouis conſtitutionibus abolere fuerit auſa. Fatalis, opinor, hæc conciliorum ſors eſt, ut prioribus ſubinde poſteriora, aut inſertiant aliquid, aut detrahant, nõ harum modo rerum quas pro ſuo iure uariant Eccleſiæ, ſed illarum quoque quæ uidebantur Canonica ſcriptura diſerte tradita. Nec finis eius erit incommodi, neq; ullus unquam ſynodorum ſucceſſus admodum felix, niſi demum inter eccleſias cõueniat, Nihil aut recipiendum aut definiendum, quod non euidentibus ſcripturarum oraculis nititur, longe minus ſtatuendũ quod illis eſt aduerſum. Hæc enim, niſi fallor, ſola ratio, & moleſtiam leuare conciliorũ, & publicæ eccleſiarum concordiæ ac tranquillitati ſuccurrere poſſet. Meminiſſe uero oportet, & in Thracia Nicæã fuiſſe, Bithynicæ cognominem, cuius alicubi Socrates Bizantinus meminit. Nicææ Bithynicæ, patrum memoria, epiſcopus fuit Beſſarion, homo natione Græcus, quem ob excellentem eruditionem, & utriuſque linguæ facundiam,

Euge=

Eugenius IIII. tempore ſynodi Baſilienſis in ordinem Cardinalium aſciuit, uirum liberaliſſimum, & cuius domus Romæ inſtar Academiæ fuit ſtudioſis omnibus patens. Id hoc libētius retuli, ut oſtenderem tantillo tempore exacto etiamnum Romæ fuiſſe, primarios presbyterorum, qui Græcis atque adeò Aſiaticis eccleſijs præeſſent, haud quidē Titulo tenus, ſed re ipſa tales, & doctrina, grauitate & eruditione, uel maximis eccleſijs per Græciā digni. Amniū Bithyniæ primæ claritatis Sangaris eſt, qui & Sangarius dicitur, Liuio, Marcellino, cæteris. Dein Rhindacus ex Myſio mōte, qui idem & Olympus dicitur, delapſus, uetus Myſiæ Bithyniæq; ad Propontida terminus. Plinius plures memorat, ſed incelebriores, quorum Lycus Heracleam præfluit, Billæus Tium, ſupra nobis ex Pomponio, Paphlagoniæ attributum, cui & Parthenium aſſignat Plinius. Ptolemæus, Bithyniæ tribuit.

INSVLAE MEDITERRANEI *præcipuæ.*

Reliquum eſt, ut abſoluta partiū orbis continente, nunc & de inſulis dicamus. Harū plurimas & frequēter habitatas, mare habet quod Mediterraneum dicimus. Maximas autem Oceanus. Nos ordine obſeruato prius de his quæ ſunt in Mediterraneo, mox & de illis quas Oceanus ambit, dicemus. Sumemus autem initium à Mœotide, in qua cum ut in

lacu multis locis uadoſo, pluſculæ ſint, tamen non habent cur memorentur, niſi indicare Alopeciam libet non longe à Tanais oſtijs remotam, Straboni, Ptolemæo, atq; item Plinio memoratam. In Euxino aliquot contra Europæ atque Aſiæ littora iacēt, à Plinio redditæ quinti libri fine, quarum præcipue, Peuce, Danubij oſtijs obiecta, & contra Boſphorum Thracium ſitæ Cyaneæ. In Propontide Proconneſus tantũ habitatur, ut libro ſecũdo tradit Pomponius. Aegeum pelagus, reliquumq; mare quod inter Occiduam oram Aſiæ, Macedonicumq;, Theſſalicum, Atticum, & Peloponnenſe littus interiacet alicubi, & Myrtoum & Icarium et Creticũ & Carpathiũ mare cognominatũ ante alia inſuloſum eſt. Helleſponto autem proxima Tenedos, deīn contra Athon Macedoniæ montē Lemnos iacet, inter quam & oram Thraciæ quæ Neſſo & Hebro amnibus clauditur, minor quidem Lemno, Samothrace. ſed fama quondã celebrior, Samothrace, portuoſiſſima ut ait Plinius, habēs ab ortu Imbrum inſulam minime obſcuram, ab occaſu Thaſum & ipſam nobilem & fertilem, Samos autē primum dicta, & Thracia cognominata uidetur, ad eius Sami quæ Aſiæ obiacet, differentiam. Vnde Maro Aeneid. ſeptimo dixerit, Threiciamq; Samon quæ nũc Samothracia fertur. Plinius author eſt in ea quondã Venerem, Phaëtontem & Poton celebribus ſacris & ſanctiſſimis cerimonijs

coli

coli ſolitos, ut alijs quidem & inſulis & urbibus diuerſa numina pro Gentilium uanitate culta obſeruataq; legimus. Nobis *hoc nomine ſacratior eſt, quod* Paulum *Macedoniæ adnauigantem excepit, ut* Lucas Act.20. *Cū ſoluiſſemus, inquit, à* Troade, *recto curſu uenimus Samothracen, & poſtero die* Neapolim *&c. Erat enim in Continēte* Macedoniæ Neapolis, *contra* Thaſum *inſulam in littore ſita urbs, cuius ſupra meminimus. Ex aduerſo & cōtra* Aeoliæ *oram* Lesbos *eſt, clariſsima inſularū quæ ſunt ad occiduam* Aſiæ *frontem, quippe non fertilitate ſolum, quæ tamen ei* Macariæ *cognomentum indidit, ſed urbium etiam frequentia, & fama clarorum hominum enituit.* Obijſſe *in ea urbes aliquot terræmotibus & maris hauſtu indicat* Plinius. *Memorātur ex reliquis* Mitylene, Methymna, & Ereſſus *illa quæ* Theophraſtum *genuit* Ariſtotelis *diſcipulum, & in ludo ſucceſſorem, uerecundiſſime ab ipſo* Ariſtotele *deſignatum,* Lesbij *uidelicet uini cōmēdatione ut ſuauioris: cuius rei* Gellius *libro decimotertio pereleganter meminit.* Lucas *quoq; de* Mitylene Act.20. *Cum autem ueniſſemus* Aſſon, *recepto eo uenimus in* Mitylenen, *& inde nauigantes ſequenti die uenimus contra* Chium, *poſtridie uero appulimus* Samum, *& cōmorati* Trogillij, *proximo die uenimus* Miletum. *Eo enim loco apoſtoli nauigationem ex* Aſſo, Mileton *uſque factam breui quidem ſed*

Mitylene, insula contra Asiam, q a proximo continenti abest quinquaginta septe millia passuum.

diſtinctiſsima narratione eſt cõplexus. Porrò Lesbus licet proxima Aſſo ſit, tanta tamen longitudine à Septentrione in Auſtrum protenditur, ut octo urbibus Aeoliæ mariltimis reſpondeat. Ea cauſſa factum, ut quoniam ad meridianam inſulæ partem Mitylene & Ereſſus iacent, hac quidem in occaſum, illa in ortum expoſita, temporis aliquid ei profectioni tribuendum fuerit, qua ex Aſſo ad Mitylenen peruenit Paulus, ut obiter Lucæ uerba ad Geographiæ fidẽ explicemus. Nam & Chius, ut idem dixit, ſupra Lesbum eſt Ioniæ uicina, deinde Samos contra Cariæ partem, mox Trogillion ex aduerſo Mileti, poſtremo uicina iam Doricæ peninſulæ & ad finem Aſiaticæ frontis ſita Cos, de qua idem Lucas 21. capite mentionem facit, innuẽs Paulum recta à Mileto Coum ueniſſe, inde Rhodum, dehinc Pataram, tandem in Cyprum. Nos ſummam eius nauigationis per partes exponemus.

Margin: Chios.

hanc aliqui Chiam appellauere. a Chione nympha Choos. Vide plura de hac insula in Raphaele Volater. li. 9. Ad istam Paulus venit. Acto. 20.

Chios igitur inter Samum & Lesbum ex aduerſo maxime Erythriarum poſita, ut ait Plinius, centum millium paſſuum ambitu cõplectitur, eadem & Chia dicta, monsq́; in ea Pelleneus marmore olim quod Chium uocabant celebris. Sed & Chium uinum inter laudatiſsima, Aruiſinum dictum Plinio capite ſeptimo, libri 14. quanquam ~~Aruiſsimum~~ in uulgatis libris mendoſe legitur. Strabo enim libro decimoquarto Aruiſiam aſperum & importuoſum in Chio locum eſſe ſcribit trecen-

torum

torum ſtadiorum ſpacio, qui uinum fert, Græcanico-
rum optimum. Noſtri Maruaſinum, & corruptius
etiam Malmaſinum uocant, hodie ut Raphaël tradit
ex Creta allatũ. Item Chia ficus ſaporis acuitate com
mendata, de qua Martialis:

Chia, ſeni ſimilis Baccho, quam ſeria miſit,
Ipſa merum ſecum portat & ipſa ſalem.

Condiebatur enim ſeriolis, id eſt fictilibus, & in his
Romam aduehebatur, ut hodie ad nos ex Hiſpanijs
Gallijſq; è iunco textis calathis ferè importãtur. Por
rò Lucas non ad Chium appuliſſe Apoſtolum, ſed con Acto. 20.
tra Chium ueniſſe ait, ut intelligamus aut ancoris ia-
ctis ſe in alto peregiſſe eam noctem, aut ad finitimam
aliquã Chio inſulã ueniſſe, quæ in proſpectu Chium
haberet. Non paucas enim proximas Chio inſulas no-
minatim cenſet libro quinto Plinius. Referam & hoc
quod Aeneas pontifex in Chij mentione annotandum
duxit, Reſinam Chij è Lentiſco manare, quam pri-
mo libro Dioſcorides, & libro duodecimo Plinius,
Maſtichen ſeu Maſticen uocant, adeò laudatam me-
dicis, ut nec Indica nec Arabica antecedat, neque quæ
è Græcia & Ponto aduehitur melior ſit. Vulgo Ma-
ſtix dicitur liquor ille, cum μασίχη tamen Græcis
nominãdi caſu & exinde Plinio Maſtiche dicatur. Sa
mos Chio et fertilior & clarior eſt, ſita inter Icariam Samos. insula in
inſulam quæ Icario mari nomen dedit, & oram Aſiæ Aegeo mari. in

qua repta primum fictilia vasa traduntur. Unde et vasa Samia appellata sunt. Ad hanc Paulus quoque appulit. Actorum. 20.

in qua Epheſus *&* Panionium *iacent,* Anthemuſa *ali quando dicta à floribus,et* Parthenia,*id eſt uirginea,* Stephane, *quoniam corollis texẽdis accommoda ſit.* Flores *enim Samiorũ in prouerbiũ abierũt,uoluptua riæ amœnitatis, & quia fertiliſſima eſſet.*Lac *itidem* Gallinaceum *ferre dicta eſt. Prædicatur & alumno* Pythagora,*qui ut libro 14. refert* Strabo Polycratem *tyrannum exoſus diſcendi gratia ad* Chaldæos *&* Aegyptios *abierit.*Inde *reuerſus cum nihil mitius agi in patria uideret, in* Italiam *abnauigauit.*Videri *pote rat & uoluptate perditam deſeruiſſe, nimirum ad di ſcendum natus.*Et *quod libro 8.*Laertius *tradit, à* Po=*lycrate* Pythagoram *in* Aegyptum *abeuntem* Amaſi

Trogilliũ. *di regi per epiſtolam commendatum fuiſſe.*Trogil*lium parua inſula,in ſinum,quem* Mela Baſilicum *uo cat,inclinat, cognominis autem promontorio* Conti*nentis iuxta* Prienen *urbem ut 14. lib. tradit* Strabo. Plinius *libro quinto pluratiuo numero* Trogilias *di=xit eam inſulam, & l. ſimplici, quod &* Hermolaus

Cous. *probat .*Lucas *gemino protulit, niſi uiciati ſint codi=ces.*Cous *autem ſiue* Cos *contra* Cariam *& illi ſinui obtenta in quo* Halicarnaſſus *fuit,nobiliſſima inſula dicta* Plinio, *inter quam &* Chion *media* Samos *eſt, ſicut inter* Samon *&* Lesbon Chios, *porrò illis* Coos *nec fertilitate nec fama cedit ingeniorum.*Siquidem *&* Hippocratem *genuit principem* Medicum Pytha=

gorę

goræ diſcipulum, & Apellem pictorem incomparabilem, quem ad Perſeum diſcipulum de ſua arte Commentarios ſcripſiſſe, maximus operũ eius præco Plinius ſcripſit. Proinde inter multas Aſiæ laudes, hæc præcipua eſt, quod tot nobis excellentes rei Medicæ & ſcriptores & profeſſores ædidit. Nam & Dioſcorides, cuius libri de herbarũ uſu & effectu, ſeu, ut ipſe inſcripſit, de medicinali materia extant, Cilix fuit ex Anazarbo cuius ante meminimus. Hippocrates autẽ Cous, Galenus è Pergamo Myſiæ Aſiaticæ, Theophraſtus è Lesbo, qui plantarũ hiſtoriam & cauſſas multis libris tractauit. Pythagoras de quo mox diximus, è Samo, quem & ipſum poſt laborioſiſſimas peregrinationes de herbarum naturis ſcripſiſſe, author eſt Plinius. Sanè & Aeſclepiades Aſiaticus fuit è Pruſa Bithyniæ, Mithridatis ætate medicus clariſſimus. Habuit & Coos Aeſculapij templũ uetuſtiſſimi medici, qui artis fauore diuinos honores meruiſſe traditur. Notandum autem & Ceam inſulam eſſe, ſed in Europæ littore proxime Euboëam contra Sunium Atticæ promontorium ſitam, Heraſiſtrati medici & Simonidis poëtæ Melici patriam, de qua libro decimo Strabo: ut ſint tres inſulæ nominibus affines, Chius, à qua Chij, Cos ſeu Coos (utroq; enim modo dicitur) à qua Coi, & Cea à qua Cei dicuntur incolæ, ut & Ceæ ueſtes quas Cea inſula mittebat. Inde & parœmiæ factus

locus eſt, Chius & Cous, de rebus uehementer ſimi-libus. De qua in Chiliadibus ſuis Eraſmus. *Diſcrimen illud iam dictarum inſularum* Hermolaus *explicuit, ſpectatiſsimæ diligentiæ uir, & qui* Plinianæ *lectioni propemodum deſperatæ non lucem modo primus, ſed etiam uitam attulit, ut planè terris effodiſſe tantum theſaurũ, & ſtudioſis impertijſſe uideri, prædicariq́; debeat.* Hactenus de Aſiæ *inſulis occiduis, nunc ad* At*ticam oram deflectemus.* In *ea præcipua inſularum* Euboëa *iacet,* Atticum & Bœoticum *littus propemodum totum longitudine æquans, mare anguſtum interfluit, quod &* Euripum *habet, reciproco curſu notum.* Inde *etiam in inconſtãtes* Adagio *nato.* Vrbium *eius clariſsimæ* Chalcis, &, Cariſtio *quondam marmore nobilitata* Cariſtos. Recentiores Nigropontum *uocarunt inſulam hanc, inuaſam, captamq́; à* Turcis *imperante* Friderycho *tertio,* Anno *à nato* Chriſto M. CCCCLXX. Ab *ea meridiẽ uerſus & ortũ, illæ iacent quæ circum* Delon, Cyclades: *propius* Cre*tam* Aſiamq́; Sporades *dicuntur, plerunque ſcriptoribus ita confuſæ ut* Sporadibus *quæ ſunt* Cycladum, *rurſum autem* Cycladibus *quæ ſunt* Sporadum *annumerentur.* Dictæ *autem* Cyclades, *quod circum inſulam* Delon, *circuli forma ſitæ ſunt,* Sporades *autem reliquæ, quia ſparſim & ſine ordine iaceant.* Plinius *duodecimo capite quarti libri,* Cyclades, *inquit, &*

Spo-

Sporades ab Oriente, littoribus Icarijs Aſiæ, ab Occidente Myrtois Atticæ, à Septentrione Aegeo mari, à Meridie Cretico & Carpathio mari incluſæ, ducentorum millium paſſuum in longitudinem & per ducenta millia in latitudinem iacent. Nota autem eſt Delos Apollinis & Dianæ fabulis, nec ritibus ſuis caruit de fabula nata ſuperſtitio: in ipſa enim Delo nec parere, nec ſepelire fas erat, ſicut nec canem alere, ut libro 4. Thucydides, & poſt eum Strabo decimo libro, prodidit. Proinde in Rhenæa uicina inſula mortuos Delij ſepeliebãt. Id honoris, puto, Dianæ uirgini tribuebatur. Eſt & Paros illi uicina in qua Parium marmor, cãdore ſpectatum. Et Ios Homeri ſepulchro celebrata ueteribus. Præterea Telos inſula diuerſa à Delo, cuius nobile unguentum erat Telinum cognominatum, Dioſcoridi libro primo. Conficiebatur potiſsimum fœnugræco, addito Calamo & Iunco, odoratis. Plinius 14. libro Telinum unguentum ut laudatiſsimum prædicat. Laudata eſt & Cilicia olim unguentis, præcipue Tarſos quæ Nardino præcelluit. Id ex Omphacino fiebat, additis, Coſto, Amomo, Nardo, Myrrha, & ad excitandum odorem Balſamo. Porrò Nardinum non modo uariabat propter uarias ſpecies eius, ſed etiã rebus adulterabatur uim Nardi præferentibus. Eſt autem Nardus Indica quæ & laudatiſsima, eſt Syriaca, eſt Gallica, eſt Cretica, Plinio li-

bro 12. Indica & folia habet, & in ſpicas exurgit, quorum utriuſq; eximius uſus in unguentis erat. Spicatum etiam dicebatur quod è ſpica eſſet confectum authore Galeno. Foliatum autem dicebant Nardinum, non à Nardi folijs, ſed à Malobathro, quod ſæpiuſcule reliquæ materiæ in Nardino admiſcebatur, Malobathrum autem, nil aliud quàm folium eſt odoratum, in Indiæ paluſtribus ad Lentis modum fluitãs, nec ullis adhærens radicibus, de quo multa apud Dioſcoridem doctus homo Marcellus Florentinus diſſeruit. Dignum autẽ cognitu, quod libro 13. Plinius tradit, uidelicet nouem herbarum ſpecies eſſe quæ Nardum imitentur & adulterent. Vnde intelligimus in

Nardus piſtica.

tanta fraudis materia uſum loquendi obtinuiſſe, ut piſtica Nardus diceretur, quæ ſyncera & abſque uicio eſſet, ἀπὸ τῆς πίστεως à fide, & plane ἄδολος, hoc eſt, germana, ut ait Eraſmus, & nulla arte uitiata. Proinde & Hermolaus libro Corollarij primo, πιστικὴν, hoc eſt probam & fidelem exponit, & quæ adulterata non ſit, ſicut Marci 14., & Ioannis 12. accipitur. Diuus Hieronymus ſuper 26. cap. Matthæi piſticam plane, ueram & abſq; dolo expoſuit. Vnguentum hoc, præterquam quod odoratiſsimum erat, attenuabat etiam, extergebat humores, diſsipabat, calefaciebat, authore Dioſcoride. Apud Plinium igitur primo capite libri duodecimi, non Delos ſed Telos legendum,

Πίσιος

dum, quarti enim libri duodecimo capite Deli pariter & Teli mentione habita, nominatim Telon unguentis nobilem eſſe teſtatur. Iam & Pathmos inter Sporades cenſetur non magna inſula & quæ circuitu triginta millia paſſuum nõ excedit. In qua Ioannem apoſtolum exulaſſe Tertullianus in libro de præſcriptionibus hæreticorum affirmat. Damnauerat eum Domitianus, quo interfecto, quum acta eius Senatus reſcidiſſet, & Nerua Cocceius, pertinax à Hieronymo cognominatus, exilia illius, Edicto ſoluiſſet, incolumis apoſtolus ſuæ Aſiæ eſt reſtitutus. Supra Sporadas, Creta, Iouis magni medio iacet inſula Ponto, ut dixit Vergilius. Hodie Candiam uocant, maior eſt quàm Cyprus, minor autem quàm Sicilia & Sardinia, quibus ſolis in toto mediterraneo cedit, interim nobilitate & fertilitate par omnibus. Situs eius orientalior eſt quàm Peloponneſi, intérque Atticam Græciæ & Cyrenaicam Africæ oram media iacet, haud amplius bidui ad alterutram nauigatione. Alluunt maria, ab Occaſu Ionium, ab Ortu Carpathium, à Septẽtrione Aegeum, & ab ea uocatũ Creticum, à Meridie Africanum. Forma eius oblonga, retortis lateribus, & inter æſtiuum ortũ occaſumq; ita porrecta, ut altero faſtigio in Boream, altero in Notum tranſuerſa reclinet, anguſta magis & lõgiſſima eſt ad Orientem, ubi contra Rhodum Sammonio promontorio extollitur,

ab occaſu retuſior in duo promontoria diſpaleſcit, quorum auſtrinum contra Phycuntem Cyrenaicæ à Græcis κριȣμέτωπος dictum, quoniam frontem arietis exprimat: alterum obuerſum Peloponneſo Cimarus uocatur Straboni. Sũt & in lateribus promontoria, quorum Auſtrinum potiſsimum Phenice contra Chorum & Africum, arctoum Zephyrium Sporadibus aduerſum Ptolemæo. Plinius quarto libro nuſquam latiorem eſſe quinquaginta millibus paſſuum tradit, cum longa tamen ducentorũ ſeptuaginta millium ſit, quæ ſumma ad calculum reducta large quadraginta milliaria Germanica æquat, nec multo minus apud Ptolemæum ex obſeruata graduum longitudine colligitur. Referendum id duxi quo ſimilius uero fiat, quod magno conſenſu ſcriptorum traditur, centum eam urbibus aliquãdo fuiſſe claram, quarũ circiter quadraginta Plinij ætas nouit, enumeratæ ab ipſo quarti libri duodecimo capite. Extãt hodieq; non paucæ, quarum minimum decem ſuos præſules habent, urbe metropolitana marittima, quæ eo quo & inſula nomine Candia dicitur, fortaſsis à candore deducto nomine, quandoquidem Strabone teſte, eius inſulæ montes occidui λεύκοι, hoc eſt albi ſeu candidi dicuntur. In totum autem iniquior eſt molliter aſſurgentibus cliuis quorum fertiliſsimæ conualles cernantur. Exaſperatur & mõtibus, Ida maxime, qui mediæ in-

ſulæ

ſulæ altiſsimus imminet, pedem eius oppidis circum, coronæ inſtar ambeũtibus. Rigant amnes, Oaxis Vergiliano notus carmine & Letheus, aliíq; non ignobiles. Sed hac uel una re beata eſt, quod noxijs animalibus caret. Porrò gloriam fertilitatis non urbium modo fama, uerum & uetuſtatis honos, & potentia, rerumq; geſtarum memoria uincit. Præfuiſſe inſulæ Iupiter fertur uetuſtiſsimus rex, cuius Lactantius ante alios lib. inſtitutionum primo meminit. Fuit & Gnoſius cognominatus Rhadamanthus, tanta integritate uir ut tribunal ei & iudiciũ apud inferos priſtini uates tribuerint. De Minoe rege minime fabuloſum eſt primum eum Cretenſibus leges dediſſe, & optimis inſtitutis magna ciuilitate ornaſſe, quam mox paulò & Lacedæmonij ſint imitati. De maris imperio & inſulis Cretæ ſubiectis, ipſe etiam Ariſtoteles ſecũdo Politicῶν teſtatus eſt. Inde enim prouerbiũ natum, Cretes neſcit pelagus, de eo qui quod eximie nouit diſsimulat, ut Strabo decimo libro tradit. Varie poſtea tyrannis paruit, non Græcis modo ſed & Barbaris, donec poſt deuictũ in Aſia Antiochum, Romani eam Metello duce qui inde Creticus dictus eſt, deuicerũt. Poſtremo collapſis imperij Oriẽtis rebus, Veneti eam ingenti pecunia coëmptam ſuæ ditioni adiecerunt, & iam plus trecentis annis poſsident. Qui ſanè non hanc ſolam, ſed & Cyprum & Corcyram, Cycla-

dumq́; & Sporadum non paucas, & Adriatici maris ferè omnes, quæ plurimæ tamen ſunt, poßidẽt, omniũ Europæ populorũ, qui modo Ariſtocratiam retinent, citra controuerſiam potentißimi, Turcis autẽ iuſtiſſimis cauſis fœderati, ne hoſtem experiri eum denuo cogãtur, qui iam antea tot præclaris urbibus eorũ imperio ui ablatis, plus ſatis damni fecerit. Candia igitur oppidum parte occidua, ut dixi, poſitum, eo ferè littorũ ambitu iacet quo antea Phalaſarne, & fortaſſe ipſa Phalaſarne eſt, quod tamen ut coniectari, ita non auſim aſſerere, in tanta præſertim locorũ nominumq́; uariatione, etiã ſi conſtet recens eſſe Candiæ nomen. Sed & Cretæ aliquando nõ fuit. Curetis enim prius, & ante quoq; Aeria dicta eſt, præterea ob eximiam cœli clementiam Macaron, ſiue ut Solinus & Martianus uocãt μακαρόνησος appellata. Tanta temporũ nocendi rebus humanis tum inuidia tum pertinacia eſt, ut nullo unquam certo aut loco aut ſtatu fuerint, longè minus retineant nomina, ut uerißime dictum ſit ab Horatio, in arte poetica.

Vt folia in ſyluis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt, ita uerborum uetus interit ætas,
Et iuuenum ritu florent modo nata uigentq́;,
Debemur morti nos, noſtraq́; &c.

Ea cauſſa factũ eſt, ut & in Lucæ hiſtoria Actorũ 27. locorum eius inſulæ nomina quædam, parte mutata, parte

parte recentia & è uulgi uelut uſu petita legantur, quorum nec Plinius, qui in Lucæ tamen tempora inci dit, nec Ptolemæus, qui poſt eum ſub M. Antonio ui= xiſſe creditur, in deſcriptione Cretæ meminerint. Sal= monem uocat Lucas detorta paululum uoce promon torium quod Plinio & cæteris Sammonium dicitur, præterea in latere inſulæ auſtrino, Pulchrosportus, & Laſæam ciuitatem, & Iaſſum, inter Sammonium & Phenicen portum memorat, quæ aut indigna uiſa doctioribus quæ referrentur, aut illius temporis & uulgo nautico recepta uocabula extitere. Certe Eraſ mo exactiſsimi iudicij uiro, qui nuper Pauli peregri= nationem luculentiſsima breuitate eſt complexus, de uulgi ſermone petita uidẽtur. De Phenice quidẽ opti= mo portu meminit Ptolemæus, & Pulchrosportus iuxtaq; Laſæam littorariam urbem agnoſcit Hierony mus. Aſum autẽ ſeu Aſſum haud recte eam quæ Aſiæ eſt hoc loco intelligit, cum Lucas Creticum littus non Aſiaticum illo capite deſcribat. Quin & uento con= trario ita coercitã nauem indicat, ut ne Gnidum qui= dem appellere licuerit, nedum ad interiorem Aſiæ receſſum in quo Aſſos erat, ingredi. Aſium quidem Plinius in Creta cẽſet, ſed mediterraneum, ut omnino diuerſam & plane mariſtimam reddidiſſe uideri Lu= cas queat. Qui quanta alioqui fide & diligẽtia ſuam hiſtoriam ſcripſerit, abunde uel hic unus locus uiceſi

Margin notes: Salmon. — Pulchri portus. — Phenice. portus Cretę. Acto. 27. — Lasæa. — Assus.

miſeptimi capitis, teſtatur, adeò omnia certis comper tisq; deſcriptionibus terrarum quadrãt. E Lycia *enim* Gnidus. *ſoluentibus* Italiam *uerſus,* Gnidos *petitur, ea eſt urbs uetus & celebri nomine in extima peninſulæ fronte, quâ* Dores *habitarunt, unde ab* Auſtro *ora* Aſiæ *ad* Occaſum *uertitur, ceu in* Caria *diximus.* Hanc *cum in proſpectu haberẽt, nec tenere poſſent à uentis prohibiti, ad ſiniſtram deflectere, &* Sammonio Cretæ *extimo &* Gnido *aduerſo promontorio applicare compulſi ſint.* Mox *uelut impetum declinaturi, contra morem, auſtralem inſulæ oram haud ſatis cõmodam portubus legere, ac demum* Phenicem *ut aptum hybernis locum ingredi cum conſtituiſſent, repente exorto* Euroaquilone *arrepti, & ad* Claudam *inſulam delati, cum non daretur portus, in ampliſsimum pelagus tempeſtate adacti fuerint, hoc unum interim ſummis uiribus conati, ne* Affricano *littori appulſi, in breuia &* Syrtes *inciderent.* Timendum *id prorſus erat, propter uenti curſum, qui à latere* Septentrionis *exortus* Cretæ *præſertim auulſas naues recta in oram* Euro-aquilo. Syrtium *impellebat.* Ventus *autem cuius hic* Euangeliſta *meminit, niſi fallor,* Cæcias *eſt, ab exortu æſtiuo progreſſus, authore* Plinio. Euro *autem* Aquilo *dictus quod à parte* Boreæ Aquilonem, *ab æquinoctio* Subſolanum, *qui &* Eurus *eſt, habeat, mediusq; inter illos incedat: conſtat autem uiolentum eum & tempe*

ſtuoſum

ſtuoſum eſſe. Porrò Claude inſula à Plinio & Pomponio Gaudos dicitur, à Ptolemæo Claudos, ut exinde conſtet mutari conſuetudine nomina. Nam & Beda hoc loco, uidiſſe ſe exemplaria teſtatur, quæ uocabulum Caude, non Claude haberent, ut & Gaude dicta uideri poßit & Claude, ſicut Gaudos & Claudos. Sita autem eſt haud longe à promontorio quod contra Phycuntem Africæ ſpectare diximus. Alia eſt contra Siciliam poſita Gaulos, de qua ſuo loco. Dici uero non poteſt quantum opis adferant ad huius tempeſtatis cognitionē, Tabellæ Geographicæ, quas ſi ab hac parte Lector intuitus fuerit, uidebit luce clarius, in quàm immane & atrox pelagus Paulina nauis correpta, & quàm uicina periculis fuerit, utq; Meliten inſulam uiderit, tanto interuallo dißitam à Cretico littore, non mirabitur totis quatuordecim diebus noctibusq; in alto iactatum fuiſſe Apoſtolū. Cæterum, ut de Creta finiamus, audiuit & ipſa Paulum euangelizantem. Mox & Epiſcopum habuit Titum, qui alijs ordinatis celebres in ea Eccleſias conſtituit. Sic enim loquitur in epiſtola ad Titum Cretæ agentem, Apoſtolus, Huius rei gratia reliqui te in Creta, ut quæ deſunt, pergas corrigere, & conſtituas oppidatim preſbyteros ſicut ego tibi ordinaram. Si quis eſt inculpatus, unius uxoris uir &c. Præcipue autem admonet, ut eos legat qui ſanam doctrinam tenerēt. Erāt enim

Clauda.

iam tum Iudæi in Creta nihilo meliores Aſiaticis & Galaticis pſeudoapoſtolis, qui animas ſimplicium negotiantes, doctrinam ſuam quæſtui accommodabant, & ritu phariſaico doctrinas & mandata hominum ingerebant, ſuperbißima præſumptione cum inſatiabili auaritia coniuncta, quæ uitia Chriſtus phariſæis ut capita ſuperſtitionis & pietatis peſtē acerbe ſemper opprobrauit. Ad doctrinæ porrò improbitatē genuina quædam & peculiaria inſulæ uitia accedebāt, quorum cauſſa non raro Cretes peßime audierunt. Proinde & ipſe Apoſtolus quo circunſpectiorē Titi animum redderet, non dubitauit Epimenidis carmen, uel maledicentißimum epiſtolæ ſuæ inſerere, quod ad hunc modum habet,

κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία γαστέρες ἀργαί. i. Cretenſes ſemper mēdaces, malæ beſtiæ, uētres pigri. Cæterum ſpiritu ſuo dominus ita uitia abſterſit cordibus, & mentes auſcultantium Euangelio ſic renouauit luce cœleſti, ut non alia inſula aut celebriores aut inſtructiores Eccleſias habuerit. Ex epiſcopis ueteribus clarißimi fuerunt Pinytus, Gnoſius, & Gortynæ urbis præſul Philippus cuius cōtra Martionem libri extiterunt, ambo inſignes imperatore M. Antonino. Nunc reliquas inſulas proſequemur. Carpathos clara, inter Cretam & Rhodum iacet, adeò celebris quondam & potens, ut mari etiam nomen dederit.

Rhodus

Rhodus autem cuius 21. capite Lucas in Actis meminit, ex aduerſo Cariæ & Lyciæ ſita eſt, clariſsima inſula, & ueterum etiam ſtudiorum atque eloquentiæ memoria nobilis. Tres in ea urbes fuerũt, Lindus, Camyrus, & Ialiſus quæ & Rhodus nũc dicitur, ſita eſt in littore inſulæ Septentrionali, ac uelut peninſulæ impoſita eximium portum habet, citra quem admodum munita turris, uulgo S. Nicolai dicta, quæ noſtris magno aliquãdo tuendæ urbis præſidio fuit. Eam urbem cum reliqua inſula, diu Saracenorum incurſionibus uexatam, noſtri cum Paleſtina & Syriæ parte receperunt. Deinde amiſſa rurſum Hieroſolyma, fratres Hoſpitalarij qui S. Ioannis cognominantur, Rhodum fauore regis Gotfredi, occuparũt, anno Milleſimo trecenteſimo octauo à nato Chriſto. Quæ res magnam eis opulentiæ occaſionem præbuit. Enimuero fama rerum geſtarũ, dein & publicus fauor, & perſuaſio quædam de coërcendis eorũ opera infidelibus, omnium mentes ad iuuandum contribuendumq́; inflammauerant. Deinde etiam Pontificum accedente cura, bona propè omnia quæ Templarij paulò ante ob impietatem & perfidiam extincti, reliquiſſent, in illos ſunt translata. Acceſsit opibus dignitas, resq́; breui ita creuere, ut Turcis etiam, haud raro Rhodienſes terrori fuerint. Quippe detrectare fœdera, & pacis reſpuere cõditiones interdum ſunt auſi: fertur, facile

Rhodus.

etiam ſoluere conſueſſe ſi quæ coaluiſſent.Idcirco ut rerum omniũ humanarum, ita huius quoq; potentiæ proſperitatem, miſer caſus excepit. Dubium faſtú ne atque inſolentia noſtrorum,an Turcarum odio ueteri, nec ſatiabili regnorum cupiditate, Anno Chriſti M. D. X X I I. diuitem,munitã, & populoſam urbem,toties antea fruſtra petitam & obſeſſam,Turcæ haud multis diebus cepit,omni ſimul eius agri ditione adiecta.Cum eam fratres illi ducẽtis & quatuordecim plus minus annis tenuiſſent. Fide tamen publica noſtris conceſſum fuit, ut tempore præſcripto ſi liberet,ſolum uerterent,cumq; bonis omnibus quò uellẽt emigrarent.Itaque in Melitam ab illis migratum eſt, de qua ſuo loco dicetur. A Rhodo Cyprũ uerſus multæ inſulæ, ſed ferè paruæ & ignobiles.

Cyprus. primo dicta Macaria. de qua plura Pli. li. 5. ca. 31. Strabo in 14. Mela li. 2. Ptolomeus li. 5. ca. 15.

Ipſa Cyprus nouem aliquando,ut Pomponius tradit,regnorum ſedes,media inter Ciliciæ Syriæq; littora iacet,longitudine ab occaſu in ortum ducta, & à Borea Cilicio, ab occaſu Pamphilio, à Meridie Phœnicio, ab ortu Syrio mari clauſa,& Ceraſtis aliquando dicta,quod multis promõtorijs ceu cornibus infeſtis aſſurgat.Horum unum Cromyum Straboni dictum,ab Anemurio Ciliciæ promontorio nõ amplius quinquaginta milliũ paſſuum abeſt,Ceruis etiam illinc in Cyprum natare auſis,ſagaciſſimo terrarum odore, ut tradit Plinius. Promontorium quod ad Orientem eſt Dinares,ad Oc-

ciden-

cidentem Acamas dictum, duabus ceu metis longiſſimæ dimenſionis, poſitis. Auſtrini lateris extrema, ab occaſu Zephyrium, ab ortu Pedalium promontoria Ptolemæus facit. In mediterraneo mons altus Olympus, amnesq́; ex eo, Lycus in Meridiem, Lapethus in Septentrionem effuſus. Credita eſt continenti adhæſiſſe olim parte qua Syria eſt, inſulis etiamnum quæ Clides dicũtur intermedijs. Strabo libri decimiquarti fine Cyprum deſcribens, fertilem eam uino, oleo, frumento eſſe tradit, abundauit & ære, Cyprio cognominato, uulgo cuprum uocant. Idq́; in primis illi laudis tributum, quod nauem ab ima carina ad ſumma uſque carbaſa nulla externa, ſed domi nata parataq́; materia abſoluere & committere pelago potuerit, adeò ligno, ære, pice, lino, abundat. Romani eam ſublato Ptolemæo Aegyptio rege, ob famam diuitiarũ magis quàm ulla iuſta cauſſa moti occuparũt. Catone mox miſſo qui regiam pecuniam Liburnis impoſitã in urbem adferret. Quæ, ut ait Florus, ærarium Pop. Romani latius quàm ullus triumphus impleuit. Inde multis ſæculis Romanorum ditionis fuit, poſtremo rebus Orientis afflictis cum Perſæ & Saraceni omnia incurſionibus uaſtarẽt, multis annis illi genti paruit. Nuper autem Iacobo regi ceſſerat Ioannis filio, qui cum Catharinam Marci Cornarij Patricij Veneti filiam, à Senatu pro more adoptatã, uxorẽ accepiſſet,

& ex ea poſthumum reliquiſſet, eo ipſo haud diu ſu perſtite, Veneti inſulam iure hæreditario ſuam fecerunt, Anno à nato Chriſto M. C C C C L X X. Hodieq; per prætorem Cyprium regnum, quemadmodum & Cretenſe & Corcyræum, adminiſtrant. Oppida Cypri apoſtoli ætate quindecim fuerunt, ex quibus præcipua Salamis in amœniſſimo ſinu Orientalis littoris poſita, ad quam Paulus & Barnabas, comite Ioanne cognomento Marco à Seleucia Syriæ nauigantes, peruenerũt. Lucas enim Actorum 13. Abierunt, inquit, Seleuciam, & inde nauigauerunt in Cyprum, & cum eſſent Salamine annunciauerunt ſermonem Dei in ſynagogis Iudæorum, habebant autem & Ioannem miniſtrum, & peragrata inſula uſq; ad Paphum inuenerũt quendam Magum &c. Siquidem Paphus in littore Occidentali poſita eſt, ut peragrari inſulam oportuerit è Salamina Paphum tendentibus. Eſt & Amathus præclara urbs in ora Auſtrali, & contra in Boreali Corynæum. In mediterraneo autẽ Tremythus. Indicat autẽ Lucas è Papho poſtmodum ſoluiſſe Paulũ, & Pergam Pamphiliæ appuliſſe, illinc enim utpote ab Occiduo littore aptiſſima in Pamphiliam nauigatio eſt. Durat adhuc Paphi oppidũ reſtauratum, ut arbitror, cum Hieronymus ſcribat ſua ætate ueſtigia tantũ extitiſſe, ex quibus qualis fuerit olim Paphos apparuerit. Salamina poſtea à Conſtantio, Conſtan-

Salamis.

de qua vide Pomponium Melam li. 2. et Strabone li. 14. In ea inſula eſt eiuſdem nominis oppidum teſte plinio li. 5. na. hi. ca. 31. quod poſtea adpellatum Conſtantia. autore Hieronymo.)

Conſtantia uocata eſt, quo nomine et Hieronymi *ætas utebatur.* Hodie Famaugusta *Epiſcopatu etiã clara, qui tamen cum multis alijs eius inſulæ* Metropolitanã *quæ* Nicoſiẽſis *dicitur, reueretur. Hæc eſt* Cyprus *quæ* Barnabã *apoſtolum cognomento* Ioſeph, *leuitem, nobis ædidit,* Pauli *comminiſtrum, prætcrea* Ioannem Marcum Barnabæ *conſobrinum, qui initio ambos in* Cyprum *nauigantes ſecutus, in ſecunda profectione ſoli* Barnabæ *adhæſit: inde* Pauli *rurſum comminiſter factus, Vir ſanctus & miniſterij gloria inſignis, alius, niſi fallor à* Marco *euangeliſta cuius in Catalogo meminit* Hieronymus. *De illo* Ioanne, *ſic* Paulus 2. Timotheum 4. Marcum *aſſumptũ adducito unà tecum, eſt enim mihi perutilis ad miniſteriũ.* Et ad Col. 4. *Salutat uos* Ariſtarchus *concaptiuus meus, &* Marcus *cõſobrinus* Barnabæ, *de quo accepiſtis mandata, &c.* Meminit *eiuſdem* Lucas Act. 13. & 15. *capite. Præter hos apoſtolicos uiros, ueterum* Epiſcoporum *clariſſimi memorantur,* Triphyllius *temporibus* Conſtantij *imperatoris, Quem eloquentiſſimum ſui temporis & celeberrimũ fuiſſe* Hieronymus *tradit. Præterea* Spiridion Tremythuntis *epiſcopus, præcipuus patrum* Niceni *Synodi, qui* Irenes *filiæ miniſterio cõtentus rure maxime egit.* Sozomenus *refert eũ peregrino cuidam ad ſe diuertenti, qui ſuilla in quadrageſima ueſci, quod* Chriſtianus *eſſet, abnuiſſet, dixiſſe:* Hoc magis

Marcus conſobrinus Barnabe fuit miniſter cum Paulo Colos. 4. 2 Timo. 4 Actorum 15. Alii quoque diſcipuli predicaverunt in hac inſula Chriſtum. Actorum 11. 21.

Ad Titu. 1. Roma. 14. 1 Timo. 4.

ueſci eum debere, quoniam diuinus ſermo admoneat Mundis omnia eſſe munda. Salaminæ autem ſeu Conſtantiæ epiſcopus Epiphanius fuit, Hieronymo ſingulari amicitia & familiaritate iunctus: cuius hodie celebris in uniuerſa Cypro memoria extat. Scripſit contra omnes hæreſes, & de lapidibus, quorum frequens in ſcriptura mentio eſt, librum, Hieronymo exhibitum, uelut ipſe alicubi Hieronymus tradit. Extat & epiſtola eius ad Ioannem Hieroſolymitanum epiſcopũ ſcripta, quam Latinam fecit Hieronymus. Hic eſt Epiphanius qui uelum Eccleſiolæ cuiuſdam in Palæſtina animaduerſum, diſcidit, quod imaginẽ uel Chriſti, uel ſancti cuiuſdam depictã contineret: de qua re ipſe ante dicta epiſtola ad hunc modum loquitur, Cum ergo uidiſſem in Eccleſia Chriſti contra authoritatẽ ſcripturarum hominis pendere imaginem, ſcidi illud, & magis dedi conſilium cuſtodibus eiuſdem loci, ut pauperẽ mortuũ eo obuoluerẽt, & efferrent. Illiq; contra murmurantes dixerunt, Si ſcindere uoluerat, æquum erat ut aliud daret, uelumq; mutaret. Quod cum audiſſem me daturum eſſe pollicitus ſum, & illico me miſſurũ, &c. Et paulò inferius: Nunc autẽ, inquit, miſi quod potui reperire, & precor ut iubeas preſbyteros eiuſdem loci ſuſcipere uelũ à latore, quod à nobis miſſum eſt: & deinceps præcipere in eccleſia Chriſti iſtiuſmodi uela quæ contra religionem noſtram ueniunt, non appendi.

appendi. Decet enim honeſtatem tuam hanc magis habere ſolicitudinē ut ſcrupuloſitatē tollat quæ indigna eſt eccleſia Chriſti et populis qui tibi crediti ſunt. Hactenus Epiphanius Hieronymo interprete. Ex quo intelligimus imaginū uſum in eccleſijs Hieronymi ætate, non modo nullum fuiſſe, ſed et ſcripturis aduerſum & illicitum uiſum eſſe: alioqui nec tacuiſſet Hieronymus ad facinus Epiphanij, cū in Palæſtina tum ageret, nec tranſtuliſſet epiſtolam quæ eius rei meminit, ſi aut actum praue, aut male traditum ab Epiphanio putaſſet: uidelicet homo tam infenſus hæreticis, tamq; delicato in cenſendis doctrinis ſtomacho. Profecto & Lactantius Firmianus grauis in primis author qui ſub imperatore Conſtātino uixit, idē demōſtrat, uidelicet non ſolum ullum uſum ſimulachrorum ſui ſæculi Chriſtianis, ſed ita etiam tum uiſum eſſe, ut ne liceret quidē ſimulachris uti. Capite enim ſecundo, ſecundi libri diuinarum inſtitutionum ſimpliciter aſſerit, dei imaginem ſemper ſuperuacuā eſſe, quippe cuius numen ac ſpiritus ubiq; diffuſus abeſſe nunquam poßit. Et ſimulachrum dei non eſſe illud quod digitus hominis ex lapide aut ære aliáue materia fabricatur, ſed ipſum hominem, quoniā ſentit & mouetur, et multas magnasq; actiones habet. Quin amentiam eſſe iudicat effingere quæ poſtmodum uereamur, aut uereri & colere quæ finximus. Sed et ineptißimos eſſe homines qui non in- Acto. 17.

telligunt, ipſa ſimulachra ſi ſenſu donarentur magnã gratiam habitura artificibus, & non ſeipſa, ſed artifices potius, à quibus & per quos eſſent, adoratura, ut quorum manibus nata ſpeciem figuramq́; ac pulchritudinem accepiſſent, idq́; fuiſſent, quod fuiſſe ſe Priapus apud Horatium fatetur, cum inquit: li. 1. Ser. Sa. 8.

Priapus idolum fuit in terra Chanaan. cui etiam lucus fuit conſecratus. 1. Regum 15. 2. Chron. 15. cui libidinabantur Codeſim i. leones. hoc putatur eſſe, quod alibi Baal Sebul, et Baal Peor, et Miplezeth, adpellatur.

Olim truncus eram Ficulnus, inutile lignum,
Cum faber incertus, ſcamnum, faceret ne Priapũ?
Maluit eſſe Deum, Deus inde ego furum auiumq́;
Maxima formido, &c.

Sed hæc, inquit Lactantius, nemo conſiderat, infecti ſunt enim perſuaſione homines ac mentes eorũ penitus ſuccum ſtultitiæ biberunt. Adorant ergo inſenſibilia qui ſentiunt: irrationabilia qui ſapiũt: exanima qui uiuunt: terrena qui oriuntur è cœlo, &c. Porrò adorare Latinis eſt genu flectere, corã uereri, honorẽ exhibere, honore exhibendo procũbere. Suetonius in Caligula de Artabano Parthorũ rege ſupplice, Venit, inquit, ad colloquiũ legati Conſularis, et tranſgreßus Euphratẽ, Aquilã & ſigna Romana Cæſarumq́; imagines adorauit. Rurſum eodẽ capite Lactantius, Nam iſta inquit mortalium digitorum ludicra, & fragilia figmenta, ex quolibet materiæ genere formata, quid aliud ſunt, niſi terra ex qua nata ſunt? Quid ergo rebus inferioribus ſubiacetis? quid capitibus ueſtris terram ſuperponitis? &c. Alloquitur quidem his uerbis

Gentes

Gentes, cum Chriſtianis nulla tum eſſent ſimulachra. Demus aūt tum fuiſſe, ut ſunt et proſtant hodie, humanis itidem manibus de fragili materia artificū ingenijs enata, quis negare auſit etiā aduerſus noſtra tam quadrare Lactantij *uerba, quàm aduerſum* Ethnicorū *ſtatuas ſcripta ſunt?* Certè *nihil noſtra ab illorum idolis, origine, materia, effigie, artificū manu, differunt, etiā ſi contendamus nihil horū à nobis adorari.* Iam negat Firmianus, *dei ſimulachrū rectè de ulla materia poſſe conſtitui, quoniam ipſe* Deus *corā ubiq; præſto ſit, nec uerius exprimi poßit q̄ ipſe ſe expreſſerit, hominem* Gene. i. 5. *ad imaginem ſuam condendo.* Nam & Paulus Roma. Roma. i. *primo palàm teſtatur, dei immortalis gloriā imminui quoties per mortalis hominis imaginem aut ſimilitudinem effingitur.* Idem Lactātius *capite quarto eiuſdem libri:* Vbi *ergo, inquit, ueritas eſt?* Vbi *nulla uis adhiberi poteſt religioni: ubi nihil quod uiolari poßit apparet: ubi ſacrilegium fieri nullum poteſt.* Quicquid *autem oculis manibusq; ſubiectū eſt, id uero quia fragile eſt, ab omni ratione immortalitatis eſt alienum.* Fruſtra *igitur homines auro, ebore, gemmis, deos excolunt & exornant, quaſi uero ex his rebus ullā poſſint capere uoluptatē.* Capite *autem* 18. *inter cauſſas uanæ religionis idolorum duas potißimū adducit:* Alteram, *quod ſimulachra quæ coluntur, effigies ſint hominum mortuorū:* Alterā, *quod imagines ſacræ qui=*

bus inaniſſimi homines ſeruiunt, omni ſenſu carent, quoniã terra ſunt. Proinde decimo nono capite: *Quare, inquit, non eſt dubiũ quin religio nulla ſit, ubicunque ſimulachrũ eſt.* Nam *ſi* RELIGIO *ex diuinis rebus eſt, diuini autem nihil eſt niſi in cœleſtibus rebus, carẽt ergo religione ſimulachra, quia nihil poteſt eſſe cœleſte in ea re quæ fit ex terra.* Quod quidem, *inquit, de nomine ipſo ſapienti apparere poteſt,* Quicquid *enim ſimulatur, id falſum ſit neceſſe eſt, nec poteſt unquam ueri nomen accipere quod ueritatem fuco & imagine mentitur.* Si *autem omnino imitatio non res, potiſſimum ſeria, ſed quaſi ludus ac iocus eſt: non religio ſimulatio ſed* Mimus *religionis eſt.* Præferendum *eſt igitur uerum omnibus falſis, calcanda terreſtria ut cœleſtia conſequamur.* Hucuſq; Firmianus, *non cultum modo, ſed & facturam ſimulachrorum exagitans, indignumq; exiſtimans ad ſpeciem religionis trahi quod fragile, caducum, terrenumq; & ſine ſenſu eſt.* Quod *dicere tamen aut ſcribere nõ potuiſſet, ſi* Eccleſiæ Cõſtantini *ſæculo uſum ullũ ſimulachrorum habuiſſent.* Non *profecto magis, quàm* Propheta *deridere ea tanta cũ libertate potuiſſet, ſi ex lege uti ſimulachris licuiſſet.* Hoc *enim qđ exclamat* Pſal.114. Simulachra Gentium *argentum & aurum, opera manuum hominũ.* Os *habẽt & non loquentur, oculos habent & non uidebunt, aures habent & non audient,*

Pſal. 1.34.
Baruch. 6.
Danielis. 14.
Heſaie. 44. 46.
1. Corin. 12.

nares

nares habent & nõ odorabunt, manus habent & nõ palpabunt, pedes habent & non ambulabunt: non clamabunt in gutture ſuo. Item: Similes illis fiant qui faciunt ea, &c. tam contra Iudæorum ſimulachra feciſſet, quàm faciebat contra Gentiũ idola. Nihil enim eſt horum omniũ quæ ſunt à propheta aduerſum ſtatuas eo loco inſtinctu ſpiritus ſancti prodita, quod non dictũ uideatur in uniuerſum cõtra ſimulachra. Niſi ſi noſtris quædam ſimulachra ſint quæ de nulla terreſtri materia, nec ullius hominis manu facta cõſtare poßit. Neq; id iam nũc narro uelut diſputans de imaginibus: ſed admoneo tantum de temporum ſtatu, idq; fide hiſtoriæ, quæ planè conuincit ueteres & apoſtolicæ doctrinæ obſeruantes eccleſias ſimulachrorum uſum reſpuiſſe. Aelius enim Lampridius Ethnicus ſcriptor (quem hoc libentius cito) in uita Imper. Alexandri Seueri, Capitoliũ, inquit, ſeptimo die cũ in urbe eſſet aſcendit, templa frequentauit, Chriſto templum facere uoluit, eumq; inter deos recipere, quod & Adrianus cogitaſſe fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus ſine ſimulachris iuſſerat fieri, quæ hodie idcirco quia non habent numina, dicuntur Adriani, quæ ille ad hoc paraſſe dicebatur: ſed prohibitus eſt ab his qui conſulentes ſacra, repererant omnes Chriſtianos futuros, ſi id optato eueniſſet, & omnia templa deſerenda. Hactenus Lampridius. Manifeſte teſtatus eum mo

rem Chriſtianis fuiſſe, ut in domibus ſuis & templis nulla ſimulachra haberẽt. Tale facturus Seuerus erat & iam Adrianus paßim extruxerat, ut data occaſio=ne, hoc commodius ritum Chriſtianũ inducere poſſet, niſi dæmonia diuerſum ſuaſiſſent, ſcilicet ſimulachra in templis erigẽda ne ſua interiret religio. Paganiſmus igitur fuit, non Chriſtianiſmus, quod idem author tra=dit, Seuerũ in domeſtico Larario ſuo Chriſtũ habuiſſe & Abraham, id enim publice ſibi ut Chriſtiano non licuiſſet, qui tamen eodem in Larario non hos ſolum, ſed & Apollonium magum, & Orpheum Vatem ueterem, illis coniunctos ut deos colebat. Si cui uacat (ne ſim longior) Tertullianum legat, cap. 12. Apolo=getici, & quo in honore ueteribus Chriſtianis ſimula chra fuerint inueniet. Quin & Auguſtinus lib. de Ci uitate tertio M. Varronẽ prædicat, quod licet ſeptus preſſuſq; tantæ urbis peruerſa conſuetudine, dicere tamen & ſcribere fuerit auſus, eos qui primi populis ſimulachra inſtituiſſent, & metum dempſiſſe, et erro rem addidiſſe. Eleuatur enim ſuperſtitione religio, & minus timent qui non niſi coram ſimulachro uene=rabundi trepidant, cæteris uero in locis quod libet agunt. Iuſtior illis & ſanctior metus eſt, qui nec loco ſe nec tempori accommodantes, & ſemper, & ubi=que Deum timent, certi & præſentem eum & huma narum actionum, imò & cogitationum inſpectorem,

neq;

Qui ſcit co gitationes ho minum quoniam vanę sunt. Psal. 93. 1. Cor. 3. et abscondita cordis. Psal. 43. Vide Sapien. 1. Hiere. 17. 20. Psal. 7. Apoca. 2. 1. Regu. 16. 3. Regu. 8. ca.

neq; illum certo loco, aut ad ſtatuas, ſed in omni loco eſſe, omnia percipere, intueri, cognoſcere. Ad quod illud Chriſti attinet, Veros adoratores non in monte nec Hieroſolymis ſed in ſpiritu & ueritate adoraturos. Sed ad inſulas reuertendum eſt. Corcyra contra Epirum iacet Adriatico mari circumflua, quanquã illic & Ionium & Siculum occurrũt, tamen illud quoque quod Siciliæ ab ortu, & parte meridiani littoris imminet, Adriaticum uocat Ptolemæus, ſicut Adriam Lucas Actorum 27. Nauigantibus, inquit, nobis in Adria circa mediũ noctis, ſuſpicabantur nautæ ſibi apparere aliquam regionem. Notius autem quàm ut memorem, id mare & Adriam dici ab oppido ueteri, & Adriaticũ, Ciceroni etiã Adrianũ, cuius ſinus ille eſt Adriaticus dictus qui Venetias uſq; & Tergeſtũ ingreditur. Corcyra nonagintaſeptem millium paſſuũ longa eſt, Homeri etiam Poëmate illuſtrata, et Vlyßis nota hoſpitio. Vulgus nauticum hodie Corfunam uocat. Diuerſo à latere & contra Brutium agrum Sicilia panditur, inſula non fertilitate modo (ob quam tamen Cereri & Baccho conſecrata ueteribus fuit, et horreum etiam urbis Romæ credita) ſed frequentia atq; uetuſtate oppidorum, amnium commoditate, & geſtarum rerum memoria, uictorijſq; Pœnorum & Romanorũ alternantibus, ſuper omnes alias inſignis. Credita & ipſa Italiæ aliquando continens fuiſſe, po

Adria.

ſtea auulſam terræmotibus, et fretũ illud quod ſeptem ſtadiorũ ſpacio intereſt, admiſſum fuiſſe. Forma eius triquetra, latera finientibus promontorijs, quorũ qđ Italiam, ubi Rhegium eſt, ſpectat, Pelorum, quod Græciam, Pachynum, quod Africã, Lilybeum dixere, inde Græcis etiam Trinacria dicta. Vrbes eius ſeptuaginta duas Plinij ætas numerauit. Hodie duodecim epiſcopatus feriũtur, late patẽtibus Diœceſibus. Celebritate aũt & ubertate eius factũ eſt, ut quẽadmodũ uetuſtis gentibus populisq́; ita haud multis retro ſæculis noſtris quoq; magnarum diſſenſionũ ſeminariũ fuerit. Tenuere eam multis annis & iuſtiſsimis cauſsis, Sueuorũ duces, & malũ ſibi, ut Cæcias (quod dicitur) nubes attraxerũt, motis uidelicet bellis quibus magnæ ſeſe partes miſcuerant: nec ceſſatum aut armis aut odijs fuit, donec ne nomen quidem reliquum eſſet Sueuici ſanguinis. Sanè & ab Anglis & Lothoringijs petita inuaſaq́; eſt, hoc maxime tempore quo in Syriam & Saracenos expeditiones ſumebantur: de quibus ſupra in Syria et Aegypto admonuimus. Poſtremo in regũ Arragonum Hiſpaniæ manus peruenit, hodieq́; auſpicijs Caroli imperatoris obſequitur, cuius itidem ditionis & regnum Neapolitanũ & Brutius ager, & Calaber eſt. Meminerunt oppidorum recepti authores, qui aut hiſtoriam aut fabulam reddiderunt, M. Cicero actionibus in Verrem, T. Liuius, Saluſtius, Silius Itali

cus,

cus, Claudianus, ex recentioribus autem Blondus, & diligẽtiſſime libro ſexto Raphael Volaterranus: Græcorũ autẽ Plutarchus, Polybius, Appianus, Diodorus, ut terrarũ ſcriptores prætereã. Nec enĩ alia eſt, quod quidem ſciam, toto orbe inſula, quam ex æquo Græci & Latini ſcriptores partim nobilitate inſulæ, partim autem occaſione rerum geſtarum celebriorem reddiderint. Ex ueteribus igitur Panormus etiamnum clara eſt, & in littore quod ex aduerſo Italiæ eſt celeberrima Meſſana, in qua non multis retro annis Laſcaris Conſtantinus, et poſt eum, ut audio Marcus Muſurus Græcas literas ſunt profeſſi. Eodẽ in littore, ſed propius Pachynũ ante omnes claritate inſignes Syracuſæ iacẽt, Theocrito uetuſtiſſimo pœta inſignes, quem Maro in Bucolico carmine imitatus eſt: ædidit & Archimedem Mathematicum, de quo eſt apud Liuium quarto libro ſecundi belli Punici, ſed uerè clara ob Pauli apoſtoli memoriam quem Lucas tradit è Melite Alexandrina naui uectum, triduo Syracuſis egiſſe, Act. 27. Ea uero urbs petẽda erat in Melitã iactatis, et Siculũ fretũ circumeundum, donec Rhegiũ appelleretur. Vnde & à Luca περιελθόντες, hoc eſt circumlegentes dictum, quod ab itinere eſſet deflexum. Epirũ enim legebant, qui ab Oriente ueniſſent, atq; inde traiecto Adriatico ſecũdis uentis Rhegiũ petebatur. Inde freto ſuperato Puteolos nauigabatur. Suetonius in Syracuſæ.

Tito, Quare, inquit, feſtinās in Italiā, quū Rhegium, dein Puteolos oneraria naui appuliſſet, Romam inde cōtēdit expeditiſsimus. Plerunq; Brunduſinū portū qui Calabriæ eſt, ingreſsi reliquum itineris per terras conficiebant. Contra, qui Roma eſſent in Syriam abituri, traiecto Siculo freto, Peloponneſum tendebant, hinc Rhodū, inde Cyprū, inde Syriam cōtinentē: quæ nauigatio hodieq; Venetis naucleris Hieroſolymā petētibus, admodū trita eſt, niſi quod à Venetijs primū Corcyram Adriatico emenſo contenditur, inde Peloponneſus petitur. Hieronymus Paulinæ profectionem ex urbe deſcribens, Inter Scyllā inquit et Charybdim Adriatico ſe credens pelago, quaſi per ſtagnum uenit ad Metonen (ea Peloponneſi urbs eſt) ibiq; refocillato paululum corpuſculo, Et ſale tabentes artus in littore ponēs, Per Maleam & Cytherā ſparſasq; per æquor Cycladas: & crebris freta concita terris, poſt Rhodum & Lyciam, tandem uidit Cyprum, &c. Paucis indicans, quem curſum in Syriam nauigatura tenuerit. Ante autē dixerat Roma ſe ad Pontian inſulam perueniſſe, quæ ut tradit lib. 3. Plinius contra urbem Veliā et littus Lucanū haud longe Siculo freto abeſt, alia à Pontijs quæ iuxta Corſicā iacent. In illa enī Flauia Domitilla ſancta fœmina, Domitiani furore circumuēta exulauit. Melita aūt naufragio Pauli notata, ferè medio pelago inter Lilybæum Siciliæ promonto-

Melita. insula inter Epyrum et Italiam spectans Siciliam ad septentrione ad quam Paulus venit. Actorum ca. 28.

rium

rium, et Cercinnam Africæ inſulam, quæ ſinui magnarum Syrtiū adiacet, ponitur, cū oppido eiuſdem nominis. De ea Cicero actione in Verrem ſexta, ſic refert: Inſula eſt Melita, iudices, ſatis lato ab Sicilia mari periculoſoq; diſiuncta : in qua eſt eodem nomine oppidū, quo iſte nunquam acceßit, quod tamen iſti in textrinum ad muliebrem ueſtē conficiendā fuit, &c. Alibi textrinū illud Melitenſe uocans: ubi authore Diodoro precioſa tenuitate & mollitie ueſtis fiebat. Proxime Melitam eſt Gaulos inſula cuius terra enecare in Africa ſcorpiones Plinius tradit. Sunt & aliæ iuxta inſulæ, quæ quia medio pelago iacent, aliâs ut contra Siciliam ſitæ, aliâs ut Africano obuerſæ littori ſcriptoribus memorantur, cū tamen eædem exiſtant. Vnde & Punica gens eſſe potuit, quæ apoſtoli tempore Melitā colebant, quanquam & Colonos in ea fuiſſe Romanorū ſatis uel Publij nomine intelligitur. Ita multis in locis uſu uenit, quondā, ut Romanis Barbari mixti habitarent. Certè Lucas Barbaros uocat, non ex contemptu, ſed hoc magis eos laudans, quod tam benefici fuiſſent, trium ſcilicet menſium hoſpitiū largiti. Quod autem de Melite Lucas, hoc ferè & de Corſica Pomponius lib. 2. innuit, & ipſa mixtim habitata. Sed Pomponij uerba ponere libuit, quæ ſic habent, Corſica littori propior, inter latera tenuis & longa, præter quàm ubi Aleria & Marianæ Coloniæ ſunt, à Barba

ris colitur. Hactenus Pomponius. Melita hodie Malta uulgo dicitur, nuperrime fratribus ſeu Dominis hoſpitalarijs S. Ioannis, poſt amiſſam Rhodum, Imperatoris Caroli fauore ad inhabitandum conceſſa: ne prorſus mutata conditione mari exuerentur. Occidua magis Sardinia eſt, & ipſa inter maximas mediterranei inſulas habita, ſpecie oblõga & in auſtrum magis quã Sicilia protẽſa. Diſtat ab Affrica ducẽtis milibus, à Septentrione Hetruſco mari haud magno interuallo à Corſica diſtincta. Latus eius orientale centum octuagintaocto milliũ paſſuum, Occidentale centũ ſeptuaginta millium longitudinis habet, Plinio. Quin & à frontibus, Auſtrina Borealiq; admodũ lata eſt. Quantum habitatur eximie fertilis, nec infrequẽs eſt. Ex oppidis uero nulla clariora ſumt Calari & Sulci, quorũ adhuc uetuſta nomina manent. Creditum eſt in ea herbam naſci, qua qui ueſcitur ridendo pereat: ut inde Adagioni locus factus ſit, Sardonius riſus, de quo in Chiliadibus Eraſmus. Vetuſtiſsimi authores tamen Sardiniæ cœlum ut triſte & peſtilens notarunt, ob paludes ſcilicet quibus abundat, ceu tradit Silius. Hinc illud M. Ciceronis lib. Epiſtolarum ſeptimo, in Tigellium Sardum, quem patria ſua peſtilentiorem dicebat. Sed & Suetonius C. Cæſarem Iudæos exoſum in Sardiniam deſtinaſſe militatum tradit, quod ea inſula peſtilente aëre eſſet. Conſtat & poſteros Geneſerichi

Sardonius riſus. in prou[illegible] ſmo. ſoluntisq ridentes. dictum

Vandalorum regis, poſt occupatam Affricam, pro Ariana hæreſi propaganda, Catholicos epiſcopos magno numero, nec ſemel, in hanc inſulã uelut pœnæ deſtinatam relegaſſe, non ita multo tempore poſt Auguſtini mortẽ. Elegãter aũt Martialis, ſubindicãs in omni loco homines eſſe morti obnoxios, Nullo fata loco, inquit, poßis excludere, cũ mors Venerit, in medio Tibure Sardinia eſt. Erat enim Tibur proxime Vrbẽ ſaluberrimi cœli oppidulũ. Sardiniã conſtare uideo poſt collapſas Romanorum res diu Saracenis Affrica potitis paruiſſe, interim & Piſanis uendicatam, quorũ uariæ in Saracenos uictoriæ quondam ſpectatæ. Cæterum Siciliæ regno ab Hiſpanis recepto, haud ægre in ditionem horum & Sardinia conceßit, hodieq; paret Imperatori Carolo. Corſica cõtra Genuam Liguſtico mari alluitur, longa centum quinquaginta milliũ paſſuum, lata quinquaginta millium, ut lib. tertio author eſt Plinius. Vniuerſa fermè montibus tollitur, & eſt uinetis cultißima: nec ignotum Italiæ uinũ eius quod uulgo Curſicum uocant. Ditionis eſt Genuenſiũ, qui & ipſi imperatori Carolo parent. Aduerſus Galliam Stœchades, ita aliquando appellatæ quod ordine iaceant, Maßilienſiũ littori appoſitæ, ut lib. tertij 5. cap. tradit Plinius. Contra Tarraconenſia littora ſitæ Baleares, & ipſæ paruo interuallo diſtant. Maiores minoresq; olim dictæ, Pomponio. Hodie Maiorca Mi-

norcaq́; uulgo corruptis uocabulis uocantur, potiſsimum duæ: omnes tamen Hiſpanicæ *ditionis.* Stœchades *autẽ ad regnũ* Franciæ *attinent, cuius & in* Oceano Inſulæ *numerantur.* De *quibus mox referemus.*

INSVLAE OCEANI PRAECIPVAE.

E*Xtra columnas* Herculis *& fretum, quod de uicina inſula* Gaditanum *appellatum diximus,* Oceanus *pateſcit, ingens mare, nec receptum* Sinibus, *ut illa maria de quibus meminimus quum ſinus potiores cenſeremus, ſed ambitu immani terras undiquaque includens circumluensq́;.* Cui *per partes ſua itidem apud authores indita nomina leguntur.* Hiſpanicus *enim dicitur, quà* Hiſpaniam *alluit: inde* Gallicus, *& à* Britannia *inſula* Britannicus, *dehinc* Germanicus, *& in terras ſeſe immittens* Sarmaticus. Rurſum Hiperboreus *&* Scythicus, *& mox aborientis latere* Sericus *&* Aeous: *tum ad auſtrum conuerſis littoribus* Indicus *quia* Indiam *alluat.* Dein Ruber, *duobus ſinibus fuſis, quorum alter* Perſicus *alter* Arabicus *dicitur.* Aethiopicus *autẽ* Oceanus *eſt, qui* Aethiopum *maxime* Auſtralium *terras ambit.* Hinc *ad occiduam terrarum partem circunflexus &* Aethiopicus *&* Libycus *&* Athlanticus *dicitur.* Inſulæ *multæ eius quidem, ſed rariores tamen in tanta undarum*

Hispania Europę regio latissima, omnis pulcherrima descriptione habes in Cornelio Tacito in vita Agricolę quam ego peragravi. Roma 15. Vide de hac Plinium li. 3. ca. 1. Pomponium Melam li. 2. Ptolomęum li. 2. ca. 4. 5. 7. 6.

ua=

uaſtitate uiſæ, etiamſi nuperrime quaſdam ad Auſtrum & Occidentem Luſitanica primum nauigatio patefecit. Dubium, ueteres ne an interim enatæ? In totum enim incertior eſt de inſulis traditio propter uarietatem & naſcentium frequenter apparentiumq́; quæ ante non extiterant: rurſum autem ſubſidentium obeuntiumq́; quorum frequens & cognita habitatio fuit. Quod quidem ex alluuionibus, terræmotibusq́;, & ſi quæ aliæ ſunt imperantis Naturæ cauſſæ, quæ nos prætereunt, euenire creditur. Potiſsima Meridianarum & ab Alexandri uſq; memoria cognita orbi noſtro, Taprobane eſt, adeo ſpacioſa, ut priſcis, uelut libro ſexto tradit Plinius, altera orbis pars quam Antipodes incolerent, exiſtimata fuerit. Sita eſt è regione littoris quod Indo Gangeq́; includitur: mare quod inter inſulam & continentem eſt, uadoſum ferè & frequenter ſenos paſſus altitudinis non excedere, conſtat. Plinius & Solinus inter ortum & occaſum iacere eam ſcribūt, haud explicata, ut uidetur, loquendi ratione, cum nulla inſula ſit, quæ inter ortū & occaſum non iaceat. Exiſtimo tamen ad extantium terrarum longitudinem ueteribus Tabellis deſcriptam, obſeruatione facta ita eos prodidiſſe, quoniam à maximo meridiano haud multum abeſſe ea inſula uideretur. Palàm enim incōparabilis diligentiæ uir C. Plinius non uno loco in deſcribendis terris ſe & priſcis

& nouis Tabulis uſum teſtatur, quo maiore fide omnia redderet. Sed & comperta nuperrime longitudo extimæ Indiæ & poſtremi Occidentis ita illorum authorum ſententiæ ſuffragatur, ut uerißime ſenſiſſe eos ſit fatendum. Abundare & gemmis eam inſulam & margaritis, auriq; & argẽti amore & æſtimatione [illegible] teneri traditur. Elephanti in ea maiores quàm Indici, homines autem ut in temperato aëre maxime longæui. Quo uel ſolo argumento patere poßit intra circulos tropicos non tam moleſte habitari terras, quàm uetuſtas, egregia illa ueritatis magiſtra experientia deſtituta, prodidit. Sophronius author eſt, & à Candaces reginæ Eunucho cuius Lucas Actorum capite octauo meminit, hac inſula Chriſti Euãgelion eſſe prædicatum. Plinius regem legere inſulanos ſolitos innuit, ſenio & clementia ſpectatum, nec admiſſum aut retentum cui liberi eſſent, uidelicet ne tyrannide efferretur ſucceßio & hæreditarium hoc modo regnum fieret. Quin & capitis damnari ſolitum tradit ſi quid ille facinoroſum deſignaſſet. Eadẽ & principes & priuatos illo loco iudicij ſeueritas manſit. Nec inultum fuit ſcelus à quocunq; commiſſum. Puto, quia grauius peccant principes in exemplum tracti, quàm peccare priuati inglorijúe poßint. Certum autem uel recentiore indagatione, Auſtrales inſulas rebus propè omnibus abundare, quæ continenti, hoc

[Candace regina fuit Aethiopiæ cuius Eunuchus a Philippo baptizatus. Actorum 8. c. hat Plinius li. 6 na. hi. ca. 29. Raphael Volaterr. li. 12. geo.]

eſt,

eſt, Indiæ, Arabiæ, & Aethiopiæ tribuuntur, uerum in portus & emporia iam dictarum regionum conuectæ in nomen mercium continentis tranſeunt, & Indicæ, Arabicæ, atque Aethiopicæ uocantur. Opes autem illas diues naturæ parẽs, ita his terris reliquit, ut & ſingulis proprias quaſdam, rurſum, & communes omnibus dederit. Sola India piper mittit, granum ſcilicet toſtum ſole, & de arbuſcula non abſimili Iunipero collectum, niſi quod illa ſiliquas etiam habet granis fœtas, quæ & ipſæ antequam dehiſcant, lectæ ac toſtæ ad ſolem, piper illud faciunt quod longum uocamus, authore Plinio. Sed & Macir, id eſt cortex ille odoratæ nucis ſeu folliculus quem uulgus Macem uocat, cum nuce ſua ex India affertur, Greci κάρυον μυρίστικον, id eſt, nucem unguentariã uocãt ipſam, quæ noſtris muſcata dicitur ut in Corollario tradit Hermolaus. Eſt & Gariophilon Indiæ fructus natus in arbuſcula duorum cubitorum, cui buxeus color, cortex pallidus, parua folia & Cyperi modo denſa. Arabia ſola omnium terrarum Thus ædit, de quo in Eudæmone diximus, & Cardamomum, quod ei peculiariter tribuitur. Aethiopia autẽ quæ Trogloditica cognominatur Cinnamum ſeu Cinnamomum gignit, fruticem duorum cubitorum in cuius cortice ſumma gratia eſt. Atque hæ quidem propriæ ferè horum tractuum merces ſunt. Communes habet India marga-

ritas, cum Arabicis & Perſicis littoribus duntaxat præſtantiores, ignobiliores enim & in Mediterraneo & Britãnico Oceano reperiri libro nono ſcribit Plinius. Lignum Hebeni magno quondam æſtimatum, India quidem mittit, ſed præſtantius Aethiopia, fruticoſum enim Indicum eſt, Aethiopicum autem enodi trunco, & parte medullacea nigrum, durum, graue, quod & à Marone intellectum arbitror Geor. 2. Sola India nigrum fert Hebenum &c. Nam & Dioſcorides & Plinius Hebeno Aethiopico nigrorem præcipue tribuunt. Neque rarum Vergilio, Indiæ nomine Aethiopiam, ac rurſus Aethiopiæ uocabulo Indiam ſignificare. Quare adductus Seruius uideatur, ut dixerit Poëtam in carmine paulo ante citato omnem Aethiopicam plagã intellexiſſe. Siquidẽ & Ptolemæus in India Aethiopas quoſdam cenſet, unde & promiſcuum uocum uſum enatum eſſe uideri queat. De Nili enim ortu locutus Maro libro Georg. III.

Vſque coloratis amnis deuexus ab Indis.

Aethiopes ſignificat. Contra, libro ſecundo:

Quid memorem Aethiopum molli canentia lana
Vellera? &c.

Indi haud dubie intelliguntur, quos Aethiopes nominat. Præter enim Seres, & in Indiæ & Arabiæ tractu lanigeras eſſe arbores, Plinius & Theophraſtus ſunt authores. Hebenum autem Theophraſtus ſcribit cortice buxeo eſſe lignum, intus nigrore

grore

grore ſpectatū, cum ſumma duritia. Vt adducar coniectura hoc ipſum eſſe lignum, quod nuper ex inſulis nouo medicæ ſalubritatis præconio aduexerunt, & Guayacum cognominarunt, potionibus aduerſum ulcera Gallici morbi accommodiſsimum. Enimuero & ipſe Plinius libro uiceſimoquarto Hebenum ueteribus medicis in erodendo uſui fuiſſe teſtis eſt. Sed & puſtulis & deſtillationibus mederi Dioſcorides tradit. Sæpe autem accidit, ut rerum uſu ac memoria intercidente pro nouis quæ ſunt uetera recipiamus, & econtrario præualente conſuetudine uetuſta uideantur uulgo, quæ nuper nata excogitataq; & recepta ſunt. Zinziber autē, ſiue, ut Plinius, Singiuer & Singiber, radix candida, Arabiæ & Aethiopiæ communis eſt. Quidam eam piperis radicem crediderūt, falſo. Humilem herbam gignit, nec alia uſquam radix eſt quæ facilius cariem ſentiat. Ea de re tingere eam mercatores ſolent, ne facile uetuſtas queat deprehendi. Myrrham optimam mittūt Arabes & Aethiopes, debilior enim Indica eſt, ſed illis tamen cognata. Maſticen & Arabia & India præſtant, ſed utranque tamen uincente Chia, ut ſupra eſt dictum. Aloë precioſiſsima ex India eſt, deteriorem præſtat Syria. Succus eſt amariſsimus, ex inciſo fruticis caule, & folijs, præterea etiam ſponte effuſus, celeberrimo rei Medicæ uſu. Coſtum commune eſt Afris & Nabatæis. Fo-

lium, peculiariter ſuggerit India, unde foliatum unguentum dictum eſt Dioſcoridi. Ladanum ex Arabia optimum uenit. Caſia & huic & Aethiopibus communis eſt. Sicut Indis & Arabibus calamus odoratus, qui tamen & apud Syros haud procul Libano monte legitur, ſed Auſtrino illi incomparabilis. Myrobalanon Aethiopes uendunt, præterea & Arabes & uicini Aethiopibus Aegyptij. Iuncus uero odoratus non niſi ex Africa, quod ſciam, & ex Arabia uenit. Nardum æſtimatiſſimam mittit India, frutex eſt in folia & ariſtas excreſcens, præcipuus uero uſus folijs & ariſtarũ cacuminibus, quas ſpicas uocant. Syriaca, Cretica, Gallica, herba eſt, Indica autem frutex. Sed de nardo ſupra dictum eſt. Non ommittendum & Saccharum, ſeu ut uulgus Zuccarum, ex India, Arabia & inſulis Auſtrinis magna copia ſummitti. Quanquam & Aegyptus hodie & Cyprus, Creta, Rhodos, & Sicilia, cõficiant. Humor eſt melleus de arundinibus collectus, cuius olim parcus uſus, nũc frequentiſſimus eſt. Libuit autem iſthæc in tranſcurſu commemorare, ut, quoniam inſularum Auſtralium meminiſſemus, Lector ſimul intelligeret quæ inde potiſſimum merces, quæ Aromata, ut uocant, & quibus maxime ab oris ad nos aduehere͂tur. Gemmis quidem in totum ea pars orbis abundat. Plane natura toto illo prouentu rerum tam precioſarum nec inſalutaris fuiſſet nec

in com

incommoda, quippe quæ tot modis prodeſſe eſt co=nata, niſi libido inſatiabilis & luxus intemperãs re=rum uſum uitiaſſet, precijs etiã ad immenſum auctis, quæ nequirent tamen eſſe immodica, ſi quibus licet, & quoad deceret quibuslibet uteremur. Circum Taprobanen & oram Indicã multæ aliæ ſunt uaria rerũ ubertate prædicatæ, inter quas quæ auro argentoq́; abundent, memorantur. In Aethiopico littore itidem plures nec diſpares illis magnitudine. Sicut & in Africæ parte quæ ad occaſum ſpectat, maxima inſularum America cognominata obtenditur. Deinde longiſſimo ab occaſu Continentis interuallo, Spagnolia, & ultra eã Iſabella, dein Parias dicta, nuperrimis exploratoribus. De quibus quanquam priuatim proditũ eſt ab his qui ſe nauigationũ authores & claſſium Præfectos fuiſſe aſſerunt, tamen quoniam Regum, ut ante quoque admonui, ampliori cura ad plenum excuti ea locorum ratio poteſt, pleraq; autem quæ nunc incertiora feruntur, ita nota fieri, ut omnis ambiguitas de medio tolli poſſit, ſilendum de illis hoc loco ſatius duxi, quàm fuſius referendum. Poſtremo & anguſtia inſtituti operis, & quoniam priora mihi propemodum inuito amplius excreuerunt quàm ratio inſcriptionis ferat, ut ſuperſederem admonuerunt. Non potui autem temperare mihi, quando dignum annotatione uidebatur, quin Raphaëlis Volaterrani recen=

tiſsimi ſcriptoris ſententiã de Africæ latitudine excu
terem, primum ambiguam, deinde talem quæ ſecum
etiam ipſa pugnet. Nec id facio ueluti gloriolam ca=
ptans, in errore tanti alioqui uiri detegendo, quem
equidẽ lucubrãdo multis in locis ſum ſecutus, ſed hac
maxime cauſſa, ut, quoniam recentiorũ traditionem
imitatus Aethiopum tractum ultra Capricorni circu
lum in Auſtrũ abire docuiſſem, æquũ mihi Lectorem
(quem procliue erat tanti ſcriptoris haud ſatis expen
ſo præiudicio perſuaderi) ſimul, & ſuſpitione libe=
rarem, & meam fidem redimerem. Igitur libro duo=
decimo Commentariorum urbanorum, de locis nu=
per repertis ſcribens: Ego uero, inquit, nullum extra
Zodiacum Continẽs ex authoritate doctorum homi=
num puto, neque ſi eſſet, habitabile omnino foret, ob
ſolis humilitatem ex Abſidis oppoſito apud eos con=
ſtituti &c. Quam ſententiam triceſimoquinto libro,
in explicãdo ſolis motu, ſed perplexius tamen de Con
tinente locutus, repetit. Contra uero idem author, ne=
ſcio an oblitus ſui, ut fit ſæpe, an non ſatis gnarus qui
diceret, iam ante citato duodecimo libro, ultimum
''quid Athlanticæ oræ promontorium, ad ''~~quod~~ terræ ſeſe
in ortum reflectere incipiunt, ad Antœcos noſtros
pertinere, ſed & extra æquinoctialem circulum tri=
ginta amplius partibus iacere tradit. Quod ipſum ſi
ita habet, conſequẽs eſt, & extra Zodiaci metas Con
tinen

tinentem eſſe, & Africam ad latus Antarcticum multis gradibus patere, & habitari mortalibus, quod paulo tamen ſupra pernegat. Notius autem eſt quàm ut egeat explicatione, Terras quæ ab Aequatore partibus uigintiquinque aut Boream, aut Notum uerſus abſcedunt, iam extra circulos Tropicos eſſe. Si igitur Raphaëli Africæ continens una & triginta partibus ab Aequinoctij circulo in meridiem panditur, conſtabit arbitror uel ſe authore, Africam ſeptem minimum gradibus ultra mediam illam Zonam ad decliuem mundi partem, abſcedere. Quod ſi ipſe, Romæ commentatus, eos eſſe Antœcos intelligit, qui extra Zodiacum æquis ab Aequatore ſpacijs utrinque diſtant, ſicut ipſe ſecũdo libro de Antœcorum ſitu prodidit, fatebitur, uelit nolit, quadraginta minimũ duobus gradibus Auſtrinam plagam in meridiem extendi, ſiquidem tot partibus urbs Roma Septentrionem uerſus ab Aequatore ſummouetur. Iam quod de Abſidis, hoc eſt Augis Solis oppoſito loco admonet, etiam ſi uehementem illius partis æſtum arguit, tamen non prorſus aufert habitationẽ, quod ipſum præter cauſſas ab Alberto redditas, cottidiana experientia conuincitur. Vt donemus interim quod eodem lib. XII. tradit neminem ad partem uiceſimamſeptimam noſtri poli, propter glaciem rigentem appropinquare poſſe: cum recẽtior traditio ultra latitudinem à Ptole

mæo compertam, hoc eſt ultra gradus ſexagintatres, nouem amplius gradibus habitari terrã Boream *uerſus deprehenderit, ut hodie* Continentem *ſeptuaginta duarum partium ab* Aequatore *latitudinis habitari, nec amplius decem & octo partibus à* Polo *arctico abeſſe conſtet.* Sed *hiſce de rebus pauló fuſius dictum eſt in* Commentarijs *quos in* Pomponium Melam *ante annos quindecim ſcripſimus.* Nunc *ad inſulas redeundum.* Et *ad* Occaſum *quidem extra* Herculis *columnas, in ipſo* Bethicæ *prouinciæ capite, ut ait* Plinius, Gades *inſula ſeptuagintaquinq; millium paſſuũ longa, & anguſto mari à* Continente *diuiſa, cum uetere oppido, eodem quo inſula nomine, ubi templum ditiſsimum olim ſacratum* Herculi, *eoq́; ſanctius habitum, quod oſſa eius ibi ſita magno accurſu pagani colebant.* Contra Luſitaniæ *littora* Erythia *ſita,* Pomponio, *à* Geryone *quondam, ut creditur, habitata, hodie* Berlingam *uocant, iuxta quam aliæ quoque ſine certis nominibus adeò fertiles prædicatæ ueteribus, ut cum ſemel ſata frumenta fuerint, ſubinde reciduis ſeminibus ac ſegetem nouantibus, ſeptem minimum, interim plures etiam meſſes ferant.* Durat *hodieq́; horũ littorum ubertas, nec iniuria* C. Plinius Italiæ *ſuæ, ut ab omni fertilitatis dote laudatæ,* Hiſpaniæ *maritimas partes ceu fertiliſsimas confert.* Celtico *promontorio* Caſsiterides *obiacent, ita quondam dictæ quia*

plumbo

plumbo quod Κασσίτερον *Græci uocarunt, abundent, magno argumento Græcas etiam gentes Oceanum illum quondam ingreſſas fuiſſe.* Nam *&* in Britannia *Græcorum monimenta extitiſſe palàm teſtatur libro quarto* Plinius. Hiſpani *nautæ eas more ſuo alijs atque alijs diuorum nominibus conſecrarunt, præcipua illarum, etiam* Chriſto *dicata: quem ritum uelut auſpicatum, hodieq́; in locis nuncupandis retinent.* Flexus *littorum ad* Boream *conuerſus paucas inſulas habet, frequentiores* Gallico *littori obiacent, ac ne hæ quidem certa facie propter æſtus* Oceani *reciprocos, qui hanc inprimis oram infeſtant.* Luna *enim exoriente, ſurgit ille & ingenti horribiliq́; undarum ui opplet littora, donec illa lineam meridianam attigerit.* Deinde *demittit ſeſe, ſenſimq́; ſubducit nudatis littoribus, quoad uſque* Luna *ad horizontem occiduum deuenerit.* Vbi *occidit rurſum creſcit petitq́; terras, & tum eſt altiſsimus quum illa ſuo motu ad mediæ noctis, hoc eſt contrapoſitum* Meridiano *parallelum approximauit.* Hunc *tranſgreſſa ortum uerſus æſtus ita in profundum retrahit, ut magno etiã interuallo littoribus digreſsi non cernantur.* Nec *redeunt donec illa iterum ad* Orientalem Horizontem *peruenerit.* Fit *igitur hoc modo ut uigintiquatuor horarum ſpacio, bis ingruat æſtu* Oceanus, *bis refluat, ſubſidatq́;, & quoniam ſidus illud celerrimo tranſitu*

meat per Zodiacum, & plane deſultoriũ eſt, fieri ui demus ut eius motu per ſigna uariato, acceſſus quoq; & receſſus Oceani uarient, neque ullo tempore pariter fiant, præterea maiores minoresq; exiſtãt prout illa luce plena aut deficiẽte aut nulla fuerit. Solent enim ferè cieri æſtus pleniluniјs, nec parũ refert ad quam cœli partem inclinarit latitudine, & an ad Septentriones, an uero ad Auſtrum exorbitet. Multum præterea intereſt quibus ſtellis aſtrisúe in pererrãdo ſignifero ſeſe coniunxerit, quibus oppoſuerit, quos angulos permearit. Plerunque enim accidit, ut ex improuiſo irruens, frequenter habitatos agros mergat & eluat. Quod proximis annis apud Hollandos & Friſios multa hominũ clade accidiſſe nouimus. Quod contingere & Mediterraneo ſolet, ſed ferè terræmotibus aut uiolentis uentorum eruptionibus agitato. Qua de re ſi quis pluſcula deſiderat, ea legat quæ in tertium librum Melæ ex traditione D. Georgiј Collimitiј uiri in omnium doctrinarum genere incomparabilis, conſcripſimus. Porrò inſulæ quæ in Britonum littore iacẽt ditionis ſunt regni Gallici. Britonas autẽ intelligo Britanniæ Gallicæ accolas, quos è Britannia inſula in ea loca migraſſe conſtat. Vulgus Bartenniam uocat, ad Ligerim amnem, Nortmanniæ proximam. Vnde Pelagius monachus Brito cognominatus, qui Hieronymi ætate fœdiſſimum errorem Liberi Arbitriј

Georgius Collimitius.

bitrij & meriti aduerſus gratiam per Africam Syriamq́; ſparſerat, Carthaginenſi demum Synodo damnatus. Omnium tamen inſularum Occidentis & Septentrionis citra controuerſiam maxima & potentiſsima eſt Britannia, quam hodie Angliam uocamus, ab Anglis uidelicet Saxonum gente, quæ ſub Valentiniano illo qui ex Cōſtantio duce & Honorij ſorore Placidia natus, imperauit, eam inſulā ingreſſa tenuit. Arbitror autem in totum Germanos origine eſſe qui hodie Angli dicuntur. Scotos autem & ipſos inde ortos notius eſt quàm ut ſit multis referendum. Inſula hæc ueteribus Albion dicebatur, uelut ad differētiam quum reliquæ omnes eo tractu Britanniæ dicerētur, authore Plinio. Primus eam Romanorū, Dictator Cæſar poſt deuictas Gallias ingreſſus uidit magis quàm uicit. Poſtea Claudij imperatoris armis patefacta innotuit, & Romano Imperio ductu Veſpaſiani adiecta eſt. Non tamen ultra uicinitatem Calidoniæ ſyluæ uictoria tum progrediente, iuxta quam ea inſulæ pars iacet quæ & minor, & ſecūda Britannia, dicta Scriptoribus, hodie Scotiæ nomen habet. Quam quidem ut remotiorem à Gallico littore, & feris quondam populis habitatam, ideoq́; ſerius deuictam eſſe conſtat. Cæterum ut in Germania, ſic in Britannia quoq; ſecundis rebus haud diu uſæ Aquilæ illæ, maximas ſuorum clades uiderunt, nec inultum fuit uiciſſe, neq;

ulla prouinciæ huius adminiſtratio illis admodum quieta fuit, donec collapſis Imperij rebus Germaniæ populis ceßit. Hodie omnia pro ſitu proq; cœli qualitate cultißima ſunt. Certum autem aëris eam temperatioris eſſe, quàm pleræq; Continentis regiones exiſtant, quod maris beneficio ſunt qui tribuunt, nam & Strabo genere Ponticus, duodecimo libro, tractum Ponti qui ad Euxinum præiacet clemẽtioris cœli eſſe tradit quàm interiorem & magis Auſtralem Cappadociam. Humido tamen nubiloq; cœlo eſſe Britanniam Cornelius Tacitus in ſoceri Agricolæ uita prodidit. Forma Angliæ oblõga, laciniosis littoribus, quæ & ipſa frequens æſtus inuadit. Tranſuerſa autem, & à brumali occaſu in æſtiuum ortum porrecta, præterea Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, multo maximis Europæ partibus aduerſa, octies cẽtenis millibus paſſuum longitudine patet, quemadmodum ex Agrippæ authoritate Plinius tradit, latitudine autem nuſquam maiore trecentorum millium eſt. Qua proxime Continentem accedit, ad littus Geſſoriacum ubi hodie oppidum Callois extat, quinquaginta millium paſſuum traiectus eſt. Ab Occaſu uicinam habet Hyberniam & ipſam ſatis claram, ſed longe tamen minorem, & regibus Angliæ ſubditam, in qua Gregorio libuit ut Monachiſmum plantaret, ſummißis ex Italia Auguſtino quodam & Melito & Ioanne qui Benedicti inſtituta

ſtituta imbiberãt, breuiq; adeo ſucceßit uotis, ut inde examina Monachorum in Gallias Germaniasq;, ceu de alueario quodam euolauerint, hodieq; in Norico etiam & Pannonia Cœnobia extent, quæ ſuam origi nem ad Scotos monachos (ita uulgo dicebãtur) refe= rãt. Sed longe tũ alia Monachiſmi quanquam recẽtis & nuper inſtituti facies erat, quàm hodie cernitur. Re ipſa cupiebãt eſſe quod dicebãtur, nihil fucatum illis, nihil perſonatũ placebat, ſimplicitatis erat, non malitiæ, longe minus obſtinaciæ ſi qua in re erraba= tur. Opum autem & rerum ſæculi tantus illis contem ptus, ut eas nõ ſolum non ambirent, ſed oblatas etiam & hæreditarias reſpuerent. Præclare enim Colum= banus & ipſe Hyberniæ monachus, qui, ut Abbas Vualafridus ſcribit, à Sigiberto Francorum rege ma= gnifica pollicitatione, ne Regno ſuo decederet, inui= tatus, reſpondit, Non decere, ut alienas diuitias ample ctere͂tur, qui Chriſti nomine ſuas dereliquißent. Quid dicturum fuiſſe putamus, ſi titulos ei prophanos, ſi agros & latifundia, ſi deniq; ius illud meri & mixti Imperij, monacho illi Sigibertus obtuliſſet? Sed & Gallum ſuum Hybernia celebrat, Columbani diſci= pulum, qui primum Luxonij, dein Brigantij, poſtre= mo Arbore Felici commoratus, quum iuſto tempo= re Alemannis Prouincias ingreßis, Chriſtum prædi= caſſet, ad extremum uelut pertæſus eius gentis mores

& ferociam,in ſolitudinem ſe contulit, exiguo monaſteriolo contentus, cuius loco hodie oppidũ noſtrum de huius nomine Sangalli nuncupatum,cernitur. Multis quidẽ ante Gallum ſæculis Chriſtiana Rhetia fuit, uerum ab Alemannis è Germania profectis,religionem pariter & Prouinciæ ſplendorẽ amiſit. Demum Francos ad fidem conuerſos, uicti Alemanni ſunt ſecuti, & religionem imbiberũt, cuius per ſuperiorem Rhetiam potiſſimi miniſtri, ſobrij illi & barbati magiſtri Pirminus & Gallus fuiſſe perhibentur. Angli hodierni uetuſtam Britannorum gentem, armorum gloria non æquant modo, ſed etiam ſuperant. Acceſſit robori cultus pietatis propius cognitæ,& literarum ſtudiorumq; cura minime infelix,propter ingeniorum excellentiam.Nec minus hodie Græce & Latine loquentes habet ea inſula quàm habuit cum Romani eam homines adminiſtrarent. Quin & ipſe illuſtris rex Henrychus eius nominis octauus, præter eximias dotes quæ in multis regibus deſiderantur, eruditione etiam & peritia doctrinarum,raro nimirum eius ordinis munere,præcellere dicitur.Ipſa inſula,et gentium uariarum commercijs celebris, & opibus cum ſuis tum aduectitijs ditiſſima eſt. Lana ibi molliſſima & optima,Stannum candidiſſimũ,quod multis iam ſæculis regio ædit, quam ipſi Cornubiam uocant.Sanè & ob auri & argenti fodinas,& margaritas

ritas in eo littore lectas, ab antiquis authoribus celebrata eſt. Non præterierim in hac Britannia ex Conſtantio Chloro & Helena, Conſtantinum Magnum genitum eſſe, qui primus Imperatorum urbis Romæ ſyncerius fuiſſe Chriſtianiſmo creditus eſt. Sed & illud conſtat multis ante ſæculis Angliam Chriſtianam fuiſſe quàm Germania conuerteretur. Hodie duæ eius Metropoles memorantur, Cantuarienſis & Eboracenſis: in Hybernia autem tertia, Amarchana, quarum omnium uigintiquinque Diœceſes numerari, recentiſsimi ſcriptores prodiderunt. Scotia, ut dixi, poſtremam inſulæ partem uendicat, inſignis & ipſa Regno, nec indiga rerum quæ ad alias etiam gentes exportantur. Vltra illam Orchades iacent inſulæ inter Britanniam & Thulen ſparſæ, ditionis regni Scotici. Ipſa Thule extima ferè eius maris inſularum, fama etiam cõgelati maris prædicatur. Glacie enim obduci & rigeſcere maria Hybernis menſibus in illa ſinuũ inſularumq; frequentia & uicinitate certum eſt, resq; fidem accipit à noctium longitudine & rigoris uehementia, ubi dies brumæ tempore prope nulla eſt, & ſi quæ eſt, tamen intemperie uincitur propter excuſſos ampliſsimis angulis Solis radios, & eluſam uim caloris in ſuperficie tam lubrica & leui. Vt uel hac unica cauſſa rerum cõditori placuiſſe uideri queat, quo latera mũdi & plagã extimam Polis

adproximantem, aquarum, ut ſic dicam, regno contribueret, immodica enim temporum illis in locis diuerſitas, non moleſta ſolum animalium naturæ & manſioni, ſed etiam intolerabilis fuiſſet. Aeſtiuis illic menſibus crepuſcula ſunt pro noctibus, Hybernis, diluculum pro die eſt. Citra Orchades in ortũ terræ iacent inſtar inſulæ quæ parte aliqua extimæ Sarmatiæ adhærent, fortiſsimarum quondam gentiũ altrices, nec circunfluæ modo ſed etiam peruiæ Oceani æſtibus: quanquam peninſulam non inſulam eſſe conſtet quicquid illic ambitur mari. Proinde & Paulus Diaconus non ineptus ſuorum temporum ſcriptor libro de geſtis Longobardorum primo, Hæc inſula, inquit, ſicut retulerunt nobis qui eam luſtrarunt, non tam in mari eſt poſita quàm maris fluctibus circunfuſa &c. Noſtra ætas etiamnum Noruuegiã, quaſi Nortuuigiam, id eſt Septentrionalem terram æſtibus undarum affuſam, præterea à gentibus Gotthiam & Suetiam ſeu Suediam uocat, à Germanicis Sarmaticiſq; littoribus mari multis locis uadoſo & latentium Teniarum inſidijs periculoſo diſterminatã. Ptolemæus Sabuloſum Pontum nominat hac maxime parte, qua terras penitius ingreditur. Duæ illic inſulæ, Selandia et Gotthia, quarum alteri rurſum à mari quod circũfluit nomen eſt, Germani enim See mare, Land oram aut terram uocitant. Alteram Gotthi incolæ ſic appellarũt. Pomponius

ponius uetus author inter Septentrionis inſulas in illo ſinu Codano à ſe dicto, unius meminit quam Theutoni tenuerint: ijdem fortaſſe qui & Gotthi, uetus enim nomen Theutonorum eſt. Nec tacēda hoc loco Gleſſi ubertas, quæ Sarmatico littore ſpectatur. Electrum id & Succinum dixerunt ueteres Germani, ut Plinius docet, Gleſſum, ob nitorem, arbitror, humoris tranſlucentis, quam uocem uernaculus ſermo adhuc retinet Gleſſum, ſeu Glaſſum pro uitro uſurpans, & Gleſtum etiā pro omni materia quæ igne colliquata nitorem leuorémue fictilibus ſuperinducit, arti figulinæ omni notior quàm ut opus ſit indicari. Noruuegiam ueteres Scandiam, & interdum Scandinauiam ut Plinius, recentiores etiam Scondiam dixere aduerſam Cymbrico Cherrſonneſo, & nuper à Iacobo Zieglero tabulis æditis illuſtratam, inter quam & Continentem inſulæ aliquæ interiacent, parte regni Danorum ſeu Danmarchiæ, parte Suedorū ditionis. Enimuero & Suedi ſuum regem habent, opibus & milite celebrem. Hæ ſunt inſulæ ex quibus fortiſſimæ gentes, Gotthi, Vuandili, Franci, Heruli, Rugi, Longobardi, Alemanni, emerſere: primi omniū qui Danubio & Rheno, ueteribus Imperij limitibus ſuperatis, magno ſuorum numero, non prouincias modo Europæ omnes, ſed ipſam etiā altricem imperij & dominam Italiam incredibili uictoriarū ſucceſſu ingreſſi, quadringētis

minimum annis perpetua quadā regnorū ſucceßione tenuerunt. Ante autem dictum Vandalos maritimas Africæ prouincias ſubactas circiter nonaginta annos tenuiſſe. Ita uiſum fuit diuinæ prouidētiæ, ut in abditißimo Germaniæ receſſu, gentes alerentur, quæ ſuo tempore, motis lacertis, Romani nominis gloriam extinguerēt. Perſæ quidē & Arabes & Turcæ graui uulnere ſauciarunt imperium, ſed Orientale. Vrbem ROMAM, *& ipſam libertatis ſedem Italiam ſoli Germani ſubiugarunt, idq́; tanto impetu, ut totius propemodum Europæ libertatem uindicarint. Nec enim fuit gens ulla, quod ſciam, quæ in illius Vrbis tyrannidem maiore uindicta animaduerterit.*

ERRATA QVAE INTER ſcribendum, ut fit feſtinando, com-miſſa ſunt.

In Phaletio Keßleri ita legendum:

Aut qua Marmarici fremunt leones,
Seu cui uecta dedit puella nomen
Terram frugiferam & uiris potentem.

Pagina 4. uerſu 17. lege quam illam probare ſent. Ibidem uerſu 24. leg. eccleſiæ. Pag. 6. uer. 8. leg. ſubſtantiæ. Ibidē uer. 9. leg. malueritq; ratio t. &c. Pag. 7. uerſu 5. leg. uigeret. Ibidem uerſu 23. leg. operibus unctorum. Ibidē uerſu 24. leg. penuario. Pag. 9. uerſ. 13. leg. traditionem. Pag. 10. uer. 17. leg. cui omnia debēt. Pag. 11. uerſ. 4. leg. & per-negamus uel ipſis &c. Pag. 12. uer. ult. leg. in totū. Pag. 14. uerſ. 8. leg. quæ nos incolimus. Pag. 15. uerſu 11. leg. uacare eos qui ſcripturarū profeſſores &c. Pag. 17. uer. 13. leg. fateantur. Pag. 19. uerſu 16. leg. In ſe rediret rotun. Pag. 22. uerſu 4. leg. longitudo differt. Pag. 27. uerſu 3. leg. tres illis con-trapoſitos. Pag. 33. uerſu 7. leg. Mœoticā paludem. Pag. 34. uerſu 14. leg. & uacca interiore qui aratro ſulcum circumagerent. Ibidem uerſu 18. poſt ea. Pag. 35. uer. 17. leg. πόλιος. Pag. 37. uer. 5. leg. qua in occaſum. Pag. 40. uerſu ult. leg. lacinioſa. Pag. 44. uer. 15. leg. uetus numiſma aliaq; antiquitatis monimēta &c. Pag. 49. uer. 6. leg. regni quoq;

ſplendor. Pag. 52. uerſ.12. leg. & qua ad oceanũ. Pag.64. uer.10.leg. Eccleſiaſticæ hiſt. Ibid.uer.11. leg.propter minas Conſtãtij. Pag. 67. uer.24.leg. terrarum. Pag. 68.uer.4. leg Axiaces. Pagina 70. uer. 10.leg. quæ Taurica cog. Pag.77. uer. 6. leg. Augia Rheni, Faucibus. Pag. 84. uerſu 11.leg. Drauũ, nõ Sauũ. Ibid.uer.17. leg.Ruffus cõſularis. Pag. 85. uer. 10.leg. ut uicenis etiã liceat. Pag.91. uer.17.leg. Marcus Graieuicus. Pag. 99. uer. 24. leg. proxime Philippos. Pag. 112.uer.7. leg. Sicũ, & marmore memoratũ Troguriũ. Pag.134.uer.24. leg. tantus prouẽtus. Pag.165.uer.18.leg.ueteribus recentia. Pag. 185. uerſu 5. leg. Nomus dictus eſt. Pag. 190. uer. 17. leg.No. Pag.210.uer.5.leg. pro lege Euangeliũ, pro Moſe Chriſtũ. Pag.222 uer.3. leg.quod palam. Ibidem uer.1. dicta, terra ſcilicet. Pag. 241. uerſ. 5. leg.inſtituitur. Pag. 253. uerſ.21. leg.propagatũ. Pag. 281.uer.11.leg. trans Iordanẽ. Pag. 291. uer.6. leg.Schomeron. Pag. 306. uer.4. leg. lachrymarũ datũ fuiſſe. Pag. 309. uer.13.leg. Marſiã. Pag.319.uer.4.leg.Gaugamela. Pag.340. uer.19.leg.Stenagori. Pag.341.uer.23.leg.Herodes. Pagina 342. uer. 9.leg. Artabano rege ab Artaxerſe Perſa deuicto, ad Perſas rurſus regni apex translatus eſt. Ibidẽ uer .21. leg. ad mortẽ uſq;, ceu. Pag. 347. uer.9.leg.Infra eũ, Pag.370.uer.18.le.Quod ipſum.

Pag.

ERRATA.

Pag.393.uer.5.leg.ſeruile quiddã ſecũ trahunt. Pag. 406.uer.16.leg.ſtrepitũ partiũ. Ibid. uer.17. leg. aptiſsimis ſcripturarum telis. Pag.410.uer.penul. leg. nec magis inter. Pag. 411. uer.3. leg.ut ignarus propheticæ. Pag.357. uer.7. leg. mendaciũ eſſe Plinius dixit. Pagina 366. uer. 5. lege pellificium. Pag. 367. uer.16. leg. interim. Pag.434. uer. 22. leg.quam plurimis poſſet. Pag. 437. uerſu primo, leg. Sebaſtenus epiſcopus. Pag. 444. uerſu 1. leg. utriuſq;. Pagina 417. uer. 6. leg. Carcathiocerta. Pag.418.uer.7. leg. finit Cilicia. Pag. 420.uer.15. leg.& iã dicta Armenia. Pag.455.uer.18.le.ſolius. Pag. 461. uer.ult. leg.fera corda domans. Pagina 465. uer.4. leg.in Syriam nauig. Pag. 469.uer.9. leg. fertiliſsimæ & cultiſsimæ. Pag. 474.uerſu 10. leg.Primam,non patriam. Pag. 481. uer.10.leg.Sibyllæ Erythreæ. Pag.497. uer.21.leg. Pariũ memoria paridis quondã &c. Pag. 502.uer.ult.leg. ſuperſtitioni uitiũ. Pag.503.uer.12.leg.inſigniora. Pag.504.uerſu 1.leg. Authimus. Pag.500.uer.24. leg.Aruiſsimũ. Pag. 290. uer.17.leg.à Maximino. Pag. 283. uer.6.leg.Itureos Taxi torquẽtur in arcus. Pag. 516.uer.16. leg.ἀπὸ τ πίσιος. Pag.481.uer. 24. leg. Melete. Pag. 546. uer.7. leg.æſtimatione teneri traditur. Pag.552.uer.20.leg.q̃d. Pag.556. uer.8.leg.Multũ præterea intereſt.

ELENCHVS VRBIVM,

GENTIVM, AMNIVM, ET LOcorum prope omnium quorum Nouo teſtamēto ſit mētio. Annotatione paßim & rerum aliarum & uocum inſerta, quæ uſui eſſe ſcripturarum ſtudioſis poßint.

A

ABilene Tetrarchia. pagina 282. & 309
Achaia regio 103
Adramyttium opidum 487
Adria mare 537
Aegyptus regio 169
Aennon oppidum 298
Ager ſanguinis 288
Agrippa rex 273
Agrippa filius eius, qui & iunior dictus 240. & 246
Alabaſtra quæ? 308
Amphipolis ciuitas 99
Antiochia urbs 311
Antiochia Piſidiæ 452
Antipatris oppidum 293
Apij Forum, locus 127
Apollonia urbs 100
Arabia regio 206
Archelaus rex 234
Aretas rex 213
Arimathea uicus 288
Aſia proprie dicta ubi? 467
Aßaron tractus 288
Aßos oppidum 487. & 521
Athenæ urbs 104
Attalia oppidum 460
Attica, regio 102
Aurum, Thus, Myrrha 332
Azotus oppidum 223

B

Babylon urbs 321
Babylonis tranſmigratio 322
Babylon, apud Petrum 324
Berrhœa oppidum 101
Bethania uicus 284
Bethabara oppidum 294

Bethleem oppidum 291
Bethphage, locus 284
Bethſaida opp. 300
Bethſeda opp. 252
Bithynia regio 503

C

Cæſarea urbs 289
Cæſarea Philippi 298
Cana oppidum 301
Candace regina 203
Capernaum oppidum 300
Cappadocia regio 431
Cedron torrens 252
Cenchreæ portus 108
Charran ciuitas 318
Chebron oppidum 293
Chios inſula 510
Chriſtiani ubi primũ dicti? 312
Cilicia regio 456
Clauda inſula 523
Corazim oppidum 301
Corinthus urbs 106
Coloßæ oppidum 499
Cous inſula 512
Creta inſula 517
Cyrenæ urbs 159. & 167
Cyrenenſis Simon Ibidem
Cyrenius Præfectus ſeu Præſes Syriæ 235
Cyprus inſula 526

D

Dalmanutha oppidum 301
Damaſcus urbs 308
Decapolis, regio 307
Derba urbs 438
Domus Herodis 251
Duodecim horæ diei 285

E

Elamitæ populi 331
Elymas Magus 528
Elogium Chriſti crucifixi 143
Emaus oppidum 288
Epheſus urbs 476
Epheſiæ Dianæ Templũ 477
Eunuchus Candaces 203. & 546
Euroaquilo uentus 28. & 522

F

Felix Præſes prouinciæ 241
Feſtus procurator Iudææ 241
Fratres diſperſionis apud Petrum 269

G

Gadara, locus 302
Gadareni populi Ibidem
Galatia regio 443
Galatæ unde dicti? 445
Galilæa regio 280
Galilæa gentium ubi? 281
Gaza oppidum 290
Geneſar lacus 299. & 302
Geneſareth Ibidem
Geraſeni populi 284
Gnidus opidum 471. & 522
Golgotha locus 284
Gomorrha urbs 296
Græcia regio 102

H

Haran ciuitas 318
Herodes rex 229
Herodes Tetrarcha qui & iu=nior dictus 234. & 236
Herodis iunioris mors 245
Hierichus urbs 294
Hieroſolyma urbs 248
Hiſpania regio 37
Horarum in Palæſtina obſer=uatio 285

I

Iconium urbs 437
Idumæa regio 221. & 222
Illyricum regio 113
Ioannes Euangeliſta 480
Ioppe oppidum 289
Iordanis fluuius 298
Italia 115
Iudas Galilæus 236
Iudæa regio 220. & 247
Iudæa Trãſiordanis, uel Tranſ Iordanem 247

L

Lacus Tiberiadis 299
Laodicea urbs 473
Laſæa ciuitas 521
Libya regio 166
Lithoſtratus locus 251
Lucius Cyrenenſis 167
Lucas Euangeliſta 312
Lycaonia regio 437
Lycia regio 463
Lydia regio 492
Lydia purpuraria 494
Lydda oppidum 288
Lyſanias rex 282

Lyſtra oppidum 438

M

Macedonia regio 97
Madian regio 209
Magdalum oppidum 301
Magi 328
Marcus Euangeliſta 193
Melita inſula 540
Meſopotamia regio 314
Miletus urbs 476
Mitylene urbs 509
Myra oppidum 465

N

Nain oppidum 301
Nardus piſtica 516
Natio praua & adultera 276
Nazareth oppidum 301
Neapolis urbs 99
Nicopolis urbs 110
Ninus urbs 321
Niniue Ibidem

O

Olíueti mons 252. & 283

P

Pamphilia regio 459
Paphus ciuitas 528
Paradiſus ubi? 376
Patara oppidum 464
Pentapolis regio 159
Perga urbs 460
Pergamus urbs 498
Phœnice portus 521
Philadelphia urbs 494
Philippi urbs 99
Philippus Tetrarcha 234
Philippi domus Cæſareæ 290
Phœnicia regio 303
Phrygia regio 496
Piſidia regio 452
Pontus regio 429
Pontius Pilatus Præſes 236
Porta ſpecioſa 230
Porticus Salomonis 230
Probatica piſcina 252
Ptolemais oppidum 304
Pueri innocentes 232
Pulchriportus 521
Puteoli urbs 121

R

Ramah oppidum 294
Regina Auſtri 202
Rhegyum oppidum 121

Rhodus inſula 525
Roma 126

S

Salamis urbs 528
Salem oppidum 298
Salmon promontorium 521
Samaria regio 271. & 296
Samos inſula 539
Samothrace inſula 508
Sardes urbs 493
Sarepta ciuitas 306
Saron, campus 288
Saronas Ibidem
Seleucia urbs 313
Sexta hora mortuus Chriſtus 287
Sichem, locus 297
Sidon urbs 306
Siloha fons 251
Simon Magus 297
Simon Cyrenenſis 159
Sina mons 209
Smirna urbs 481
Sodoma urbs 296
Syracuſæ urbs 539
Syria regio 218. & 308
Syrophœniſſa 304
Syrtes 156

T

Tarſus urbs Pauli patria 457
Templum Hieroſol. 230. & 250. & 256
Templũ Dianæ Epheſiæ 477
Templum in monte 273
Tenebræ ortæ ſuper terrã 286
Tetrarchiæ quid? 445
Tetrarchia quid? 281
Tetrarchæ 446
Thabor mons 301
Theßalonica urbs 100
Thyatira urbs 494
Trachonitis Tetrarchia 281
Tranſiordanis regio 221
Tranſmigratio Babylonis 265
Troas oppidũ & regio 487
Trogillium inſula 512
Tyrus urbs 304

V


Vr Chaldæorũ oppidum 315

Z

Zabulon oppidum 302

FINIS.

23491.
May, 1941
Henry Stevens


TYPVS COSMOGRAPHICVS VNIVERSALIS
SEPTENTRIO
Circius
Aquilo
Chorus
Cæcias
Libs
Vulturnus
Aphricus
Euro auster
OCEANVS SEPTENTRIONALIS SIVE SCYTHICVS
CIRCVLVS ARCTICVS
Hyperborei montes
Scythia intra
Scythia extra
Imaum
ASIA
Terra de Cuba
OCEANVS OCCIDENTALIS SIVE ATHLANTICVS
TROPICVS CANCRI
Dacia
Germania
Gallia
EVRO PA
Italia
Thracia
Hispania
MARE MEDITERRANEVM
Græcia
Asia minor
Media
Siria
Persia
Taurus mons
Aria
SERICA REGIO
Mauri tania
Africa minor
Cirene
Deserta Arabia
Arabia felix
Gedrosia
India intra
India extra
Gange
Getulia
Aegyptus
Aethiopia interior
CIRCVLVS AEQVINOCTIALIS
SINVS GANGETICVS
SINVS MAGNVS
OCEANVS EOVS
AMERICA
AFRICA
Fontes Nili
Mons lunæ
TROPICVS CAPRICORNI
OCEANVS INDICVS
Madagascar
OCEANVS MERIDIONALIS
CIRCVLVS ANTARCTICVS
AVSTER
TIGVRI ANNO ·M·D· XXXIIII·

Monaſteria olim fuere ſchel: foli: 434.

18

1534
V124e2